



Luigi von Kunze.

Luigi von Kunze.



LUIGI VON KUNITS,
425 Atwood Street,
PITTSBURGH, PA.

L. ANNAEI SENECAE

OPERA

QUAE SUPERSUNT.

RECOGNOVIT ET RERUM INDICEM LOCUPLETISSIMUM
ADIECIT

FRIDERICUS HAASE

PROF. VRATISLAV.

VOL. III.


EDITIO STEREOTYPA.



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCXCV.



DEC 11 1942

12136

FRID. HAASII PRAEFATIO.

Quod plerumque accidere videmus in antiquis litteris, ut quae cuiusque libri fata fuerint, ex emendatione demum intelligatur, ipsa vero emendatio rursus alias certiores leges non habeat nisi quae factis cuiusque libri continentur, id in Senecae quoque epistulis accidit, de quarum historia quae ego aut certa aut probabilia cognovi, haec sunt. Ac primum quidem scriptas esse epistulas eo consilio, ut in publicum ederentur, certissimum est cum ex toto earum argumento et artificio, tum ex locis plurimis, qui ad alios praeter Lucilium lectores spectant, quorum locorum nullus insignior est illo, qui legitur ep. 21, 3—6. ubi haud falsus vates et epistulis suis Seneca et beneficio epistularum Lucilio aeternam gloriam promittit; accedit quod temporum illorum atrocitas, quibus scriptae sunt epistulae, nulla proditur aperta flagitiorum narratione, nulla liberiore querela, qualis in sinu unius amici tuto effundi poterat; nulla est Neronis, nulla publicarum rerum mentio; nec magis ex iis, quae silentio tegit Seneca, quam ex iis quae dicit, satis apparet summa eum cautione vitavisse offensionum pericula; erant enim tempora ea, quibus homines peius quam ferae timerentur; vid. ep. 103. nec profecto sine causa nihil aequae prodesse ait ep. 105, 6. quam quiescere et minimum cum aliis loqui, plurimum aecum; et tamen eum quoque, qui in philosophiam secessit, non tutum sed tutiorem fore dicit; vid. ep. 103, 4. 105, 1. 14, 15. nam ipsi etiam philosophi tamquam contumaces accusabantur ac refractarii, contemptores magistratum ac regum eorumve, per quos publica administrantur; nec puto adeo imperitus rerum hominumque fuit Seneca, ut impotentis dominationis ministros iis magnopere moveri crederet, quae ad defendendos philosophos scripsit ep. 73 et tamen scribi ea non potuerunt nisi eo consilio, ut publice, et maxime a Nerone ipso legerentur. Quare quamquam dubium non est, quin Seneca ipse epistulas imperante adhuc Nerone publicare voluerit, probabile tamen mihi videtur non ab ipso esse editas neque etiam plane paratas ad editionem relictas, sed editas ab alio idque ante Neronis mortem. cuius rei duo repperisse mihi videor argumenta; nam primum si quis consideret, qui ex amicis Senecae ipsis nominibus appellen-

tur, reperiet non fere alios esse nisi aut mortuos aut certe non cives Romanos; reliqui, si a Lucilio et Maximo discesseris, non nominatim appellantur amici ep. 3, 1. 11, 1. 25, 1. 36, 1. 58, 8. 64, 1. 77. 6. 112, 1. quorum locorum nonnulli tales sunt, ut vix dubites, quin ibi olim amicorum nomina scripta fuerint; unus locus ep. 77, 6. Schweighaeuserum offendit adeo, ut Attalum scribi pro amico voluerit mortui hominis nomen ponens. ubi de vivo agitur, idque contra omnium librorum fidem; nec probabilius est, quod Fickertus statuit, amicum queudam Senecae et Lucilii intelligi, quem illi *Stoici* nomine appellare soliti sint; fieri praeterea potest, ut ubi illum dicit ep. 93, 3. et magnum illum et complures iuvenes ep. 115, 2. nomina posita fuerint; illud vero nemo credet, ep. 42, 1. nudum pronomeu iste sic a Seneca scriptum esse; atque manifestius etiam est in eadem epistula § 4. scribi non potuisse: meministi, cum *quendam* adfirmares esse in tua potestate; quo loco cum optimus cod. p. habeat non *quendam*, sed *quando*, satis apparet eum, qui nomina detraxit, oblitum esse lacunam communi aliqua appellatione tegere et id postea demum a noviciis librariis non nimis apte factum esse. Taceo de amplioribus lacunis, quales sunt post ep. 98, 14. et post ep. 101. et in fine ep. 118. quae utrum librorum vitio an primi editoris consilio ortae sint, nemo facile dixerit; sed nomina hominum possit aliquis ab ipso Seneca detracta putare eadem cura, qua Othonem scribit Tacitus hist. II, 48. amicorum libellos epistulasque delevisse; neque defnisse talis providentiae causas cum per se perspicuum est, tum docuit rei eventus; non enim Gallionem solum fratrem Senecae periculo non caruisse, sed etiam Novium Priscum nullam aliam ob causam quam ob Senecae amicitiam in exilium actum esse idem testatur Tacitus Ann. XV, c. 73 et 71. sed ne sic statuam, movet me illud maxime, quod nomine suo appellatus est Maximus Ep. 87, 2. amicus Senecae coniunctissimus, qui profecto idem est atque Caesonius ille Maximus, ad quem multae Senecae epistulae exstabant, vid. fragm. 109. et quem Tacitus tradit Ann. XV, 71. Italia prohibitum esse et reum fuisse se tantum poena expertum; cui quidem et ipsi nocuisse Senecae amicitiam credibile est. Quare Seneca ipse si amicorum nomina delevisset, Maximi nomen relinquere non potuit, alius vero potuit, qui post magnam illam cladem eorum, qui Pisonianae coniurationis occasione afflicti sunt, vivo adhuc Nerone aliis Senecae amicis eandem saevitiam timeret, in exule vero cura illa inutilis erat. Superest unus Lucilius, cujus cur tuto nomen poni poterit, dubia coniectura est; de coniuratione certe suspectus esse non potuit, qui Roma per longum tempus abfuisset; deposita autem procuratione Siciliae haud improbabile est, siquidem nihil tristius ei accidit, tali eum otio tutum fuisse, quale Seneca ei suasit ep. 68. Accedo ad alterum argumentum, quo item confirmari videtur nec edidisse Senecam ipsum epistulas nec plane paratas ad editionem reliquisse; reperiuntur enim sententiae aliquot,

quae mirifice rerum, inter quas positae sunt, ordinem turbant nec tamen quicquam in iis est, cur non a Seneca ipso scriptae credantur neque etiam invenitur locus aptior, unde possint errore aliquo traiectae videri; quare nihil probabilius est quam secundis curis ab ipso Seneca illas sententias adiectas esse, non ut iisdem verbis orationi interponerentur, sed ut se ipsum paucis commonefaceret, quid eo loco vel addendum vel corrigendum esset antequam totus liber in manus hominum perveniret; qui autem deinde mortuo Seneca epistulas edidit, is neque ita mutare potuit orationem, ut Seneca id faciendum esse sibi notaverat, neque abiecit admonitiones illas, quippe quae additamentorum speciem haberent. Ego vero eiusmodi locos nec delevi nec quo soleo modo spurios indicavi, sed tamen uncis inclusos a reliqua oratione separavi; quos si quis a Seneca putabit primo statim consilio et uno tenore cum reliquis coniunctos scribi potuisse, non invideo iudicio; commodiorem vel emendandi vel explicandi rationem si quis reperiet, quam quae a me proposita est, facile accipiam; vereor autem, ne plures etiam loci eiusdem sortis sint, quam quos ego nunc notavi, cum progrediente demum opere suspicio et oriretur et firmaretur neque vacaret iterum iterumque locos priores omnes exigere ad regulas postea repperitas; interim hos pono: ep. 13, 4. *Illud tibi praecipio — venerint.* ep. 78, 14. *Deinde — gaudere.* ep. 88, 3. *Ad geometriam — vetet cupere.* ep. 95, 37. *unde ista — fertilia?* ep. 104, 27. fortitudinis ac patientiae Socratis descriptio additis postea verbis pluribus videtur dilatata esse. Longum est locos hos singulatim pertractare nec necessarium; si quis enim non ebrii hominis sermonem in Seneca ferendum putet vel ordine perversum vel argumento sibi repugnantem, facile reperiet, quae cuiusque loci ratio ac difficultas sit et quam causam habuerit Seneca, cur mutandum aliquid censeret, quod illum non tam mutasse jam sed mutandum indicasse apparet. Sunt tamen alii loci quidam, qui possunt item secundis curis adiecti videri sed ii statim ita verbis concepti, ut sine ulla mutatione reliquae orationi inseri potuerint; qui si apto loco interpositi sunt, haud facile agnoscantur; quamobrem cum unum eorum indicium sit, si alieno loco illati sunt, oritur difficilis quaestio, sintne a Seneca ipso in margine additi et deinde male inserti, an postea demum librariorum errore sede sua deiecti. Ex hoc genere est sententia illa ep. 81, 28. *nihil carius aestimamus — cum accepimus.* quae potuit Senecae in iterata demum lectione adicienda videri; eadem vero potuit etiam a librariis transponi, cum a Seneca paulo post posita esset ante vocem *cogitamus*, nisi quis forte dicere mavult, voces illas: *quaeris — accipiendorum* a librario aliquo ante illas omissas et deinde loco non apto ab alio insertas esse. Eadem dubitatio est ep. 78, 11. totum enim locum illum: *Sed molestum est — quod cupere desieris.* nemo dubitabit quin Seneca aut scripserit aut scribi certe voluerit post § 21. ante verba illa: *Praeterea duo sunt genera voluptatum;* ac fortasse huc

alii etiam loci quidam referendi sunt, quos ego transpositione sanasse mihi videor, in quibus quae vitii causa sit, incertum est, ipsa autem emendatio non minus necessaria erit sive ex primi editoris sive e librarii alicuius exemplo propagatus est. De ipsarum vero epistularum ordine non est cur dubitetur; ego certe neque ubi de tempore epistularum sciri aliquid potest, ordinem repugnare animadverti, neque in codd. mss. turbati ordinis ulla certa indicia inveni, nisi quod dubia mihi videtur sedes epistolae 75. quae in uno cod. Ottoboniano omissa est, in cod. Coloniensi vero male posita post ep. 58. ne quis vero nimis facile librorum illorum auctoritatem spernat, sciendum est videri ipsum quodammodo Senecam testari nullam aliam intercessisse epistolam inter epp. 74 et 76, quippe qui ep. 76, 7. 26. eam, quae est 74, appellet priorem; ita enim proximam dicere videtur. cf. ep. 10, 1. contra quandam epistolam dicit in ipsa hac ep. 75, 9. ubi intelligit ep. 71, 4. quare ut manifestum est falsum esse locum, quo ep. 75 est in cod. Col. posita, ita qui verior sit, difficile dictu est, praesertim cum desit in hac parte cod. optimus p. Sed ab uno hoc et dubio exemplo si discesseris, videntur mihi eodem ordine epistolae nunc quoque legi, quo olim a Seneca scriptae sunt.

Post Neronis autem mortem quae earum fata fuerint, paucis absolvere licet. Illud satis constat, cum sui seculi auribus acceptissimus fuisset Seneca, proximo seculo haud paucis eum sordere coepisse, sive illi Ciceronianum eloquentiae genus praeferebant, ut Quintilianus, sive etiam cum vetustioribus loqui malebant, ut Gellius; ac fortasse pauciores etiam ex eius libris servati essent, nisi Christianorum maxime studiis factum esset, ut diligenter legeretur; atque epistolae quidem ut praecipuo in honore essent, effecit homo insipidus, qui finxit Senecae ad Paulum apostolum Paulique ad Senecam epistulas ineptissimas, quas ego ab hac editione abesse nolui, quia iis potissimum debetur, quod ipsius quoque Senecae epistolae maiore cura custoditae sunt, quippe quibus illae adiungi solerent. Neque tamen studiis illis effectum est, ut omnes Senecae ad Lucilium epistolae servarentur: cum enim iam olim in tria volumina divisae essent, accidit ut tertium ex his periret, cuius quod equidem sciam, nullum est post Gellium vestigium; vid. fragm. 110—115. reliqua duo separatam fortunam habuerunt, neque enim in unum conjuncta sunt nisi in codicibus recentioribus. Ac prius quidem, quo continentur epp. 1—88, sive libri epistularum XIII, pluribus exemplis vulgatum erat et quae feruntur de paupertate excerpta et epistolae Senecae abbreviate, ultra ep. 88. non pertinent; summa autem in hac parte est auctoritas, ut ego quidem arbitror, codicis Parisini p. (8540), qui si a manifestis imprudentis librarii hallucinationibus, quae plurimae sunt, paucisque glossematis discedas, cum reliquos omnes integritate longe superat, tum ipsum etiam alterum Parisinum P. (8658. A.), quippe qui derivatus demum sit ex codice illi simili

vitiis nonnumquam infeliciter correctis; neque in reliqua librorum multitudine ullus est, qui fontem diversum ac puriorem habeat, plurimi latius serpente vel depravatione vel arbitraria emendatione magis etiam corrupti sunt; nec tamen si p. codicem omnium principem dicimus, ideo reliquos negligendos putamus, qui cum fontem quamvis similem, non tamen eundem habeant, scripturam aliquotiens veviore servaverunt; accedit quod truncatus est codex p. cui ob folia diversis locis amissa desunt ep. 6, 1—8, 8. item ep. 51, 4—53, 4. denique ultimae primi voluminis epistolae omnes inde ab ep. 71, 7. Sed haec omnia quoniam non licet universam emendationem meam rationibus suis explicare, exemplis certe aliquot gravioribus glossematum et lacunarum illustrabo. Insigne est ac manifestum glossema ep. 42, 4. ubi post *eadem velle* additam vocem *subaudis* ex p et P et septem aliis codd. Fickertus notavit; in uno Guelferbytano w sec. XV. est *si subaudis*; scilicet grammaticus aliquis scripserat *subaudi si*, ut sequentem imperativum *da* positum indicaret pro *si dabis*. item vetus glossema commune habent p et P cum aliis ep. 69, 5. vocem *tempus* ad explicandam vocem *intervallum* adiectam, sicuti ep. 70, 1 in quinque libris est: *Post longum tempus* pro eo quod est in reliquis: *Post longum intervallum*; sed adiecta illo loco vox cum ferri nullo modo posset, librarii variis emendationibus usi sunt, e quibus una, *temporis*, per editiones propagata est, glossema esse nemo vidit; nec aliter res habet paulo post § 6. cum enim ad vocem *meditare* adscriptum esset *exerce*, quod unum est in cod. p., in reliquis mutato rursus glossemate, ut facilius ferri posset, scriptum est *exerce te*. Contra ep. 21, 4. in p est vel *megistratus* vel *magistratus*, non *megistanas*, itemque in aliis sex libris recentioribus; rectius vero in P *megisthanas*; item ep. 5, 9. unus p habet: *nos et futuro torquenar et praeterito*, quod nollem a me receptum; verius enim videtur quod est in reliquis libris *venturo* pro *futuro*, quod pariter e glossa ortum pro illo habent recentiores libri ep. 98, 6. 124, 17. Frequentiores loci sunt, in quibus vel solus liber p vel cum paucis aliis servavit scripturam integram, cum in plerisque sit glossema; itaque ep. 15, 1. scripsi *valere autem* pro *enim*. et ep. 17, 9, (7) *exiet* pro *exibit*, de quo loco dixi vol. II. praef. p. VI. exemplis autem eius formae ibi e Seneca collectis nunc unum addo ep. 113, 20 (16). ubi item *exiet* e coniectura reposui propterea quod id poscere videbatur librorum fluctuatio, in quibus est *exegit*, *exiget*, *exhibet*, *exibit*; similis varietas est ep. 95, 39, ut ibi quoque *exient* scribendum videatur, nisi in codice optimo esset *exibunt*. Item *te* prouomen a glossatore additum delevi ep. 23, 6 (5) aute *praestare felicem* et ep. 31, 10 (8) post *parem autem*, quod utroque loco etiam Fickerto suspectum fuit. Ep. 65, 14 recte habet p: nos de causa generali quaerimus, quod cum in P duabus vocibus male in unam conflatis sic scriptum esset: nos de causa generalissimus, ortae sunt variae in libris mss. emendationes, nec recte ex iis edd. habent

aut generali locuti sumus aut generalissima quaerimus. Ep. 67, 1. *frigidae verae* ex p edidi, quod esse verissimum et verba sequentia docent et locus similis ep. 83, 5. Ep. 68, 11. postquam innotuit ex p. vera scriptura cui in turba — gratiae, nec probabit quisquam quod antea legebatur: *cuius turbae*, neque rursus ponet verba haec de Pinciani coniectura ante illa: *est tanti*. Quanto autem P codex a p integritate superetur cum aliis exemplis intelligitur, tum duobus his: ep. 66, 2. in p. scriptum est vitiose *consecraliter certe*, quod ego lenissima et certa, ut opinor, emendatione sic correxi: *consecrat: aliter certe*. sed in P cod. cum et illam scripturam ante oculos haberet librarius et novam eamque infeliciter excogitatum inferre vellet *consecratum*, utraque per imprudentiam coniuncta tertiam prodidit corruptissimam: *consecralitum*. e qua deinceps alii oblitterata plane voce *aliter*, invenerunt eam, quae est in editionibus: *consecravit. certe*. Non magis dubium esse potest, quin in eadem ep. § 41 (38) infelicissime inventum sit quod habet P et deinde recentiores libri: hoc contingere omnibus par est; nam neque *contingere* recte dicitur de re, in quam casus nullus dominatur, neque *par esse* dici potest quod est necessitas et notionis recte definitae condicio; quare cum in cod. p. sit: *hoc contire omnibus par est*, sine dubitatione scribendum est: *hoc consentire*, quo oritur et sententia et structura longe diversa sed aptissima. Sed nolo plura de hoc genere cumulare; gravius est quod eodem auctore cod. p. licuit locos plures in integrum restituere, qui frequentissimo vitio truncati erant ob repetitas voces vel easdem vel similes omissis vocibus mediis; addidi igitur haec: ep. 9, 4. *vel oculos*. ep. 16, 3. *nemo intrepide potest vivere, nemo securc*, quo loco cum ob repetitum *nemo* priora praetermissa essent, ut plena oratio esset, correctum deinde est: *nemo securus est*. ep. 23, 6. *vel ex alio*. ep. 31, 3. *ulla*. 66, 15. *par sit. in utraque enim quod fit, aequae recte fit, aequae prudenter, aequae honeste: ergo*. ib. § 49. *haec maiora dixissem*. ep. 69, 6. *nemo moritur nisi sua morte*. Ubi autem codice p. deficiamus, in eius locum succedunt recentiores, qui etiam alibi cum illo consentiunt; quare ex his non dubitavi illa restituere ep. 52, 12. *quemadmodum laudetur*. ep. 74, 8. *in hanc partem, modo*. ep. 79, 8 (7). *non potest vinci*. ep. 81. 21 (20). *sibi gratus est, qui alteri non fuit. hoc me putas dicere: qui ingratus*. ep. 82, 11 (10). *ille Rutilius, qui — misisset*. denique uno loco corruptissimo ep. 9, 12 (10), ubi et p et P vitiosi sunt, secutus Nicotianum librum addidi illa: *propter se ipsam appetenda sit*.“ Immo vero nihil magis probandum est. nam si. Sunt autem omnia illa adeo ad orationem perficiendam aut plane necessaria aut certe apta et Seneca digna, ut summa iniuria adhuc spreta sint. praesertim cum manifestum sit, quae fuerit librariis errandi occasio; omitto alios locos aut a Fickerto iam suppletos aut in quibus non idem ille error versatus est, cuius quo plura exempla sunt, eo facilius ex meis coniecturis eae aut pro-

babuntur aut excusabuntur, quae ad supplenda aliquot verba pertinent. Multa poteram praeterea de codicum mss. rationibus exponere, quae hic locus non capit; apparet vero, non posse universam primae partis epistularum emendationem duobus illis vetustis libris p et P ita contineri, ut reliquos negligere liceat; sunt enim inter Parisinos et Romanos, quorum accurata collatio non exstat, aliqui integriores, qui nonnumquam vel ad p codicis praestantiam prope accedere videantur; sed de his omnibus quamquam ambiguum iudicium est, maxime tamen optandum videtur, ut nisi alii praestantiores alicubi emergant, Parisinus b. (8539) et Urbino-Romanus v (219) diligentius excutiantur; ego novi auxilii nihil habui nisi quod Fickerti beneficio scripturae discrepantias, quas ille ex optimis codd. p et P partim ipse enotaverat partim enotandas sibi curaverat, iterum examinare licuit; neque ea opera inutilis fuit; fieri enim non potuit, quin in tanta apparatus critici farragine nonnulla Fickerti diligentiam fugerent; alia vel ipsius aliquo vel operarum errore non recte relata sunt; alia etiam consulto spreta, quae ego spernenda non iudicavi; itaque gavisus sum messe facta spicilegium relictum esse; non autem opus esse existimavi ea omnia, quae ego ex libris illis nova adscivi, enumerare; quotiens enim a Fickerti editione discessi, facile diligentior quis reperiet, quid illud sit, quod quoque loco non potuerim e materia ab illo proposita repetere; nam ubi non codicum fide sed coniectura nititur scriptura mea, inclinatis litteris usus sum.

Accedo iam ad alterum epistularum volumen, cuius simplicior ratio est; nam si excipias folia duo e vetusto libro decerpta, quae medio codici p casu aliquo post ep. 47, 8 interposita sunt, contentia illa partem ep. 121 inde a § 11. et totam ep. 122, duos habemus codices reliquis omnibus longe praestantiores Bambergensem et Argentoratensem, qui et eiusdem seculi sunt IX vel X. et fortasse eadem manu scripti; sed de Argentoratensi incerta res est, quippe cuius scripturam Schweighaeuser non diligenter notaverit; neque ego olim cum militarium scriptorum cura occupatus in Fickerti usum eundem librum inspicerem, plures quam quos ille iusserat locos attingi; quod quamquam doleo nunc, non tamen credo multa esse, quae post collatum Bambergensem librum ex Argentoratensi peti potuerint; itaque res eo redit, ut ad unum illum emendatio dirigenda sit; neque enim inter reliquos libros recentiores ullus est, qui propria aliqua virtute insignis sit; fons autem omnium communis fuit codex aliquis, qui sub finem maxime vel culpa librarii festinantis vel etiam madore aliove incommodo scripturam haberet admodum depravatam aut lectu difficilem. quare exigua spes est fore ut aliquando graviora vitia, quae iam seculo IX. insederant, librorum ope tolli possint; sed quae sunt reliqua emendandi auxilia, nondum ea, qua par est, diligentia adhibita sunt; atque ego quidem, etsi brevior tempore quam cupiebam absolvenda fuit haec editio, tamen cum has mihi leges scripserim, quas in superioribus quoque libris emendandis se-

cutus sum, ut vetustissimam cuiusque loci scripturam indagarem et ab hac emendationem proficisci vellem, ac praeterea propriam Senecae dicendi consuetudinem itemque eius consilium et ordinem diligenter considerarem, effecisse mihi videor, ut iam multo propius ad veram Senecae scripturam accesserimus. Itaque haud raro quae in vetustissimis libris sunt, quaeque magnam partem Fickerti opera cognovimus, primus restitui, cum adhuc iniuria neglecta essent; inter quae eminent praecclarum illud philosophiae sive nive ep. 48, 10 (5), a iurisprudencia translatum, cuius exceptiones eadem formula appellaverat Cic. pro A. Caecina c. 23. sed ut insigni exemplo intelligatur, quam turpiter saepe adulterata fuerit Senecae oratio, appono scripturam illius loci vulgatam: *Hac ad summum bonum itur? Per istud philosophiae sunt nigrae et turpes infamesque etiam ad album sedentibus exceptiones. Quid enim* etc. quod qui excogitavit, is credo etiam ingeniosus sibi visus est, quod album et nigras sententias coniunxit acumine scilicet puerili et absurdo. Alia exempla restitutae veteris scripturae supra iam commemoravi; sed frequentius in corruptis locis id quod verum est, reperiri et lenissima mutatione restitui potuit considerata diligenter vetustissima vitii forma, veluti ep. 59, 14 (12) repositis vocibus *id est*, quae sunt in plurimis et optimis libris, unum leve supererat vitium, quod codicis p. ope inventum est; in quo cum non *qui* legatur post *erras*, sed *via*, facile fuit corrigere *via*; cf. Dial. VII, 1, 1. Virg. Aen. II, 739. itaque interpunctione etiam recte mutata loco pessime luxato sua restituta est integritas et concinnitas. Ep. 61, 1. multo facilius erat pro *volui* reponere *nolui*, quam vel *nolo* pro *velle* scribere vel addere *non* aut etiam *ne videar*. Ep. 66, 18 quod est in optimis libris *dulce esse terroris*, ego cum Fickerto defendere non suscipiam: coniectura autem nulla lenior et aptior videtur quam *torreri*. Ep. 67, 6 (7) e corrupta voce *neme*, quae est in p P, ego una addita littera feci *nempe*; nam quod alii invenerunt *numne*, id et discedit longius et ab usu Senecae alienum est, nec credi debebat, quia antecedit *interrogo* verbum, ideo interrogativam aliquam vocem requiri; nimirum quae philosophis est *interrogatio*, non est grammaticis; vid. ep. 48, 5. 10. 82, 9. 10. bis. 19. 23. 83, 9. 11. 85, 1. 24. 87, 11. 35. bis. 38. 41. 102, 4. Deinde ep. 69, 1 sine suspitione legebatur: *Mutare te loca et in alium de alio transsilire nolo*; sed cum in *de* praepositione haererem, succurrit p codicis scriptura a F. non notata: *et alium de alium*, omissa *in* praepositione, quod non spernendum visum est quamquam multos eius libri in vocibus *et in* scribendis errores observavi; *alium* pro *alio* scriptum item vitio in illo cod. haud infrequenti; quare facile credas scripsisse Senecam et aliunde alio; ita enim solet; vid. ep. 64, 2. 88, 34. 123, 8. Dial. X, 16, 4. XII, 6, 7. 8. Nat. Quaestt. III, 11, 1. Similiter correxi locum ep. 22, 15 (12). ubi in edd. erat: *illa de nobis conqueri debet*. sed cum in codd. plurimis et optimis *de* praepositio non reperta sit, *con* autem et

cum saepissime permutentur, manifestum est scribi debere: *illa nobiscum queri debet*. queri cum aliquo dixit Seneca Dial. V, 23, 7. IX, 11, 2. Benef. III, 11, 1. V, 21, 1. encliticus vero usus cum praepositionis quamquam apud Senecam in prouomine relativo nullus est, in personalibus pronomibus est creberrimus.

Sed difficilior res est, ubi post vocem corruptam accedentibus librorum novis emendationibus vitiosa scriptura a vera longius discessit; cuius rei cum plurima et varia documenta sint, ego unum genus exemplis illustrabo. Ep. 50, 4 nefaria paene audacia in edd. scriptum est: *quando tot morbos tantasve aegritudines discutiemus?* in libris mss. legitur *tantasve res disc.*, quod sane ferri non potuit; *aegritudines* autem quo iure invectae sint, haud facile dicas; nimirum cum scriptum esset, ut arbitror, una syllaba ommissa et deinde

te

supra lineam vel in margine addita tã veres, alieno loco syllaba illata est, ut fieret *tanteve res*; denique ut constructio sibi constaret, fictum est illud, quod libri habent; mihi nihil manifestius quam scribendum esse syllaba illa in suum locum restituta: *tam veteres*. Pari errore ep. 76, 6 (4) cum per incuriam *offeretur* scriptum esset pro *offeretur*, e littera apposita et deinde male illata ortum videtur *effertur* in codd. P et r. Ep. 78, 8. cum in cod. P. sit *et nervorumque interciat scit*, satis apparet non *que*, sed *et* retinendum fuisse; illud enim ortum ex *qu* vel *qui*, quod additum erat ad emendandum verbum sequens, ut esset *interquiescit*. Ep. 86, 8 (7) *obruerat* in cod. P pari modo ortum suspiceris, quod librarius pro *obrueret* scribendum esse *obruat* notaverat, quod fortasse praeferre debui. Ep. 109, 16 (14) in Bambergensis codice male legitur *amori subexcaecat*; scilicet cum aliquis adscripta i littera vocem *sub* recte in *sui* corrigi voluisset, alius eam litteram male voci antecedenti adiunxit. Eadem errandi occasio effecit nonnumquam, ut totae voces alieno loco ponerentur; veluti in P codice ep. 87, 11 (9) vox *materia* post voces *in ista* ommissa et deinde inepte addita est post voces *ad ista*. et ep. 92, 29 (27) pessimum additamentum illud *abest de bono* quod et sententia supervacuum nec satis latinum est — praestabat certe cum Erasmo et Mureto scribere *abest a bono* — errorum quadam successione paulatim ortum arbitror; cum enim quae paulo post sequitur vox *abest*, corrupta esset in *aest*, id quod nunc quoque legitur in cod. Bamb., adscripsit aliquis *abest*, quod ab alio deinde post vocem *agitata* adiectum est, *aest* vero relictum; itaque una hac emendatione cum male usus esset librarius, duae deinde necessariae fuerunt; nam et prius illud *abest* ut intelligi posset, adiectae sunt voces *de bono*, quas habet cod. Bamb. in margine, et alterum *aest* item alia manu in eodem codice correctum est in *autem deest*. In tanta autem vitiorum multitudine et varietate, quibus etiam vetustissimi codd. mss. referti sunt, quanti momenti sit diligenter observare, quibus errorum generibus maxime obnoxius fuerit librarius is, cui debemus vetustissi-

mam libri cuiusque formam, documento sunt exempla plurima, quarum rursus unum genus ponam. Notus est librariorum error, quod voces traiectis litteris vel syllabis deformant; sed eius erroris in p codice pauca exempla sunt, ut ep. 66, 52 (48) *amarita* pro *armata*, in Bambergensi vero multo plura; in hoc enim legitur ep. 95, 28. *moventium* pro *vomentium*. ep. 101, 14. *acceptoris* pro *ac pectoris*. ep. 103, 4. *nisu* pro *sinu*. ep. 108, 18. *adducat* pro *adducta*. ib. § 19. *hostis paretur* pro *hospitaretur*. ep. 120, 17. *turpe* pro *putre*. ep. 123, 9 (8). *parva* pro *prava*. in aliis libris ep. 110, 10 est *bonis* pro *nobis*, atque haec omnia dudum correctata sunt, item illud, quod habet cod. Bamb. ep. 123, 2 *colorum* pro *locorum*; ad hanc normam correxi locum vexatissimum ep. 122, 8. cui nuper longa disputatione parum profuit *Naudet, sur les serres chaudes chez les Romains. Revue archéol.* 1851. p. 219 sqq. ego sic scripsi: *hieme concupiscunt rosam fomentoque aquarum calentium locorumque apta mutatione brumalium florem vernum exprimunt*. nec puto quisquam iam ad pristina commenta redibit, ut *calorum* et *imitatione* et *bruma lilium* scribatur, quae omnia sunt contra optimorum codd. fidem; ceterum eodem modo iam olim intellectum erat in Nat. Quaestt. I, 3, 9 (10) *locorum* scribendum esse pro *colorum*, quod ego, quia verissimum est, secutus sum. Ep. 89, 21 (20). in cod. Bamb. est: *arme agetis introrsus*, unde natum, quod in plerisque est *arma* vel *arina*, neque cum aliis pro hoc corrigendum *maria*, sed unice verum est *mare*. Ep. 108, 21 dubitandum non putavi, quin pro *crudelitatis* nomine ponerem *credulitatis*, quae voces alibi saepe confusae sunt, ut ep. 15, 9 (6). Denique ep. 86, 18 (17). quam intolerabilis sit sententia illa: *parum autem arboris, antequam obruat, radix*. neminem puto fugit; nam si vel maxime credas, quod credi non potest, hominem latinum his verbis potuisse id significare velle, quod Fickertus statuit. quis tam ineptum Senecam existimabit, ut dicat: arboris depositae radicem nondum terra obrutam parum valere ad arborem sustentandam et a ventis defendendam? quis talia monere operae pretium ducat, vel si imperitus imperitos doceat? Seneca autem et rerum rusticarum peritissimus fuit et quae de radice terra obruenda acceperat praecepta, ea antecedentibus verbis recte et perspicue exposuit; nunc novum praeceptum de eadem re addit. Quid multa? scripsit *rapum* pro *parum* et id quod iam Pincianus vidit, *radit* pro *radix*. radere autem idem est, quod deinde nudare dixit, ut appareat iam, cur per *enim* particulam oratio continuata sit; de rapo vid. § 17. ad commendandam hanc coniecturam verbum non amplius addam.

Rerum autem nexus et ordo ut facilius perspiciatur, pariter atque in superioribus voluminibus efficere studui; vid. vol. I. praef. p. IV. sed ab hac cura saepe etiam emendatio proficisci debuit; veluti ep. 113, 15 (12) manifestum est, argumentum quod est a parte et toto petitum, terminari verbis illis: *iustitia autem pars est animi, non est ergo animal*; quod sequitur a paritate ductum argumentum

fieri non potest quin incipiat a verbis his: *nullum animal alteri par est*; non enim possunt ea ob interposita verba referri ad argumentum superius; quare male scribitur: *alterius pars est*; accedit quod *alteri pars est* habet cod. Bamb. levi vitio corruptus; *pars* enim et *par* etiam alibi haud raro permutantur, ut in p cod. ep. 66, 15. Item ep. 90, 4 rectissime in cod. Bamb. legi: *eundem habebant*, non *eandem*, nemo negabit, quem non fugit, hoc agere Senecam, ut aureo seculo regnum penes sapientes fuisse auctore Posidonio demonstret. Ordo autem rerum ubi perturbatus est, necesse est aut Senecae negligentiam accusemus aut, id quod ego saepius feci, transpositione utamur; neque hoc tamen mihi licere arbitratus sum quam si praeter rerum ordinem etiam in ipsis verbis aliquod indicium traiectionum sententiarum esset; sed totum hoc genus malo nunc silentio transmittere, quia longum est explicare causas, quibus quoque loco ad transponendum adductus sum.

Postremo earum emendationum exempla quaedam proferam, quae factae sunt ob proprium Senecae dicendi usum, in quo genere fateor non eam mihi, quam quis forsitan desideret audaciam fuisse, ut ea omnia delerem, quae a Seneca usurpata non crederem; malui enim cautiore esse quam imprudentior, cum praesertim in festinato hoc labore non liceret ob singulas voces universos Senecae libros relegere; recte tamen fecisse mihi videor, quod haud particula iam nusquam apud Senecam legitur, nisi in versibus; vid. ad Dialogor. libros V. adnot. crit. in ind. scholar. Vratisl. aest. 1852. pag. 18. Item hicce pronomen delevi, quod duobus locis de coniectura scripserat Fickertus, ep. 22, 13 (10) pro *ecce*, in quo nulla est offensio, et Dial. IX, 9, 6. pro *hoc te*, quod habent optimi libri loco sane corrupto, cui ego praesentem medicinam non repperi. — Perfecti temporis formam incepit apud optimos scriptores rarissimam uno loco intactam reliqui de Benef. I, 15, 3 (1), ubi nulla est in libris mss. discrepantia; praestabat tamen vel *coepit* scribere vel *incipit*; contra ep. 114, 9. ipsa sententiarum coniunctio satis declarat *incipit* recte a me repositum esse, atque id iam in cod. Bamb. secunda manus addiderat, nam quod prima manus *incepit* scripserat, factum est ob frequentissimam in illo libro *i et e* litterarum confusionem recteque etiam ep. 122, 1. idem illud *incepit* repudiatum est quamvis probetur trium librorum praestantissimorum consensu, Bamb., Argent., Paris. p. — Duplicatam pronominis formam sese pariter semel intactam reliqui ep. 120, 11 (12). neque ideo tamen ep. 110, 8. cum recentioribus libris scribendum putavi ad sese pertulerit, quamvis id commendari videatur falsa editionum scriptura, quam etiam in cod. Bamb. esse e Fickerti silentio colligas: *ad se saepe retulerit*; nimirum potuit etiam e vera scriptura, *ad se pertulerit*, falsa illa facile nasci, si quis non intelligebat *saepe* vocem esse ab hoc loco alienam neque animadverterat perferre ad se apud Senecam recte dici; vid. ep. 92, 1. cf. ep. 95, 45. — Utrum mehercules an mehercule

Seneca scribere solitus sit, in medio nunc relinquam; illud vero affirmare ausim non scripsisse eum aut hercules, aut hercule aut hercle; nihil enim tribuo uni loco Nat. Quaestt. I, 16, 4, ubi legitur *at hercule*, ac paene poenitet, quod non e libris duobus scripti: at mehercules, quod est apud Senecam frequentissimum; vid. Dial. V, 28, 6. X, 5, 3. 20, 5. de Clem. I, 5, 1. de Benef. VII, 10, 2. 15, 2. Nat. Quaestt. VII, 1, 6. 32, 4. Ep. 44, 2. 50, 5. 53, 11. 56, 3. 99, 3. 110, 7. 13. 15. 117, 31. 122, 3. ad quam normam corrigi etiam debuit locus ille de Benef. IV, 11, 6, quo uno legitur ac mehercule. contra ep. 95, 60 restitui, quod ante Schweigh. et F. vulgabatur tam mehercules quam —; nam in Bamb. et Argent. codd., quos illi secuti sunt, aut potius in eo libro, qui duorum illorum communis fons fuit. facile potuit *me* syllaba ob antecedentem *m* litteram excidere; ceterum haec quoque formula frequentissima est; vid. ep. 66, 10. 87, 17. 90, 24. 102, 19. 114, 14. 117. 8. Dial. I, 3, 2. VII. 15, 6. X, 16, 3. Nat. Quaestt. II, c. 8. de Clem. II, 6, 4. — *Etsi* hand scio an recte observaverim nusquam apud Senecam legi; certe ep. 38, 2, ubi id olim legebatur, a Fickerto recte deletum est in illis: *et angusta sunt*; male id est pro *si* in cod. p. ep. 59, 16. et e glossemate in libris recentioribus pro *ut* ep. 83, 8 (7). nec recte idem invexit Muretus ep. 92, 16 (15) et ep. 104, 3. quare poenitet, quod ego id posui codicum quorundam auctoritate permotus Nat. Quaestt. VII, 20, 1. — Usque particula saepissime legitur coniuncta aut cum eo adverbio aut cum *ad* et *in* praepositionibus et accusativo casu; semel sine praepositione cum urbis nomine ep. 53, 1. *usque Puteolos*; semel item cum *in* praepositione et ablativo casu Nat. Quaestt. V, 15, 3. *pecuniam in altissimis usque latebris sequi*, ubi suspiceris scriptum esse a Seneca in *altissimas usque latebras*; sed illud apud Senecam quidem sine exemplo est, quod ego, quia melius nihil succurrebat, dubitans et invitus posui Dial. VI, 18, 2. *aequaliter usque*, quod quamvis apud alios nullam offensionem habeat, apud Senecam vereor ne falsum sit; nam Nat. Quaestt. II, 59, 6 dubium mihi non est. quin recte restituerim quod ante Fickertum scribi solebat *usquam* in illis: *totum hunc quem vides populum, totum quem usquam cogitas esse, cito natura — condet*; et habent ibi *usquam* codd. Bamb. Britann. Guelferbyt. similiterque dixit Seneca ep. 93, 9. *omnia quae usquam erant*. denique ep. 92, 10. de coniectura scriptum erat: *intemperans usque et indigesta*; in optimo autem cod. Bamb. cum sit *usque et ingesta*, in recentioribus libris *usque ad ingesta*, verum vidisse arbitror Gruterum, qui *usque ad incesta* scribi voluit, nisi quod ego propter creberrimam et plane mirabilem vocum *et* et *in* in Senecae epp. confusionem probabilius existimavi scribere *usque in incesta*. — De correlativis quoque particulis cum tum vehemente dubito; nimirum cum obsolevisset studium illud, quod Ciceronis aetate vigerat, vincendi orationem amplioresque sententiarum ambitus collocatione, numero, particulis concinne et ar-

tificiose componendi, instrumenta quoque eius artis cum arte ipsa abiecta sunt; itaque illarum quoque particularum quae sola in promptu habeo exempla, Nat. Quaestt. VI, 22, 1. (21, 3). Ep. 66, 6. incerta sunt; meis enim nituntur coniecturis, quas nunc quamvis ad sententiam aptas, tamen damnandas credo; quod autem unum certum est Ep. 84, 1, id ipso genere aliquantum differt; non minus negaverim tum-tum particulas a Senecae consuetudine alienas esse. Sed haec hactenus; satis enim demonstrasse mihi videor non nimis levem hanc et perfunctoriam curam fuisse, quam in Senecae libris recensendis posui, nec tamen si locos haud paucos recte mihi emendasse videor, plures superesse nego, qui adhuc critico auxilio egeant.

In orthographia nonnulla novavi, quae mihi cum discrepantiam e libris p et P notatam ipse totam inspexissem, probabilia videntur, universam vero Fickerti rationem, quam in superioribus voluminibus secutus essem, in epistulis deserere non placuit; illud tamen poenitet, quod cum totam hanc curam abiecissem, nonnulla etiam intacta reliqui, quae falsa esse non ignorabam; inter quae maxime mihi succenseo, quod in Nat. Quaestt. Caecinnam toleravi, qui est Caecina.

Accedo iam ad ea, quae praeter epistulas Senecae huic volumini adieci. Ac primum quidem fragmenta, quantum brevi tempore fieri potuit, sedulo collegi, ordinavi, emendavi; quae postquam primum collecta sunt, neglecta iacuerunt, et tanta fuit recentiorum editorum desidia, ut cum paratas ad ea locupletanda copias haberent a Io. Alb. Fabricio in bibl. lat. propositas, ne manum quidem porrigere voluerint. Non tamen dubito quin longiore studio plura fragmenta indagari possint, quae me adhuc fugerunt; unum vero, quod exstare sciebam, quamquam et ego summa opera quaesivi et ab aliis sciscitatus sum, tamen indagare non potui; memoria enim teneo ante viginti fere annos in Diurnis vel scholasticis, quae tum vocabantur, vel aliis prolatum esse locum quendam, qui inscriberetur in recentiore

quidem codice ms. de ^mia, i. e. de misericordia quique Senecae esse diceretur; quod quid rei sit, dicere nunc non possum ac fortasse operae pretium non est multum quaerere; mentionem tamen eius inventi praetermittere nolui. Qui unus nuper de Senecae fragmentis quaerere coepit Osannus tribus editis libellis academicis meam quidem operam non admodum adiuvit nisi in libro de remediis fortuitorum; sed in eo ipso ut diligentiam ac doctrinam more suo insignem prodidit, ita iudicium de eo, quod Seneca dignum sit, adeo incertum et inconstans deprehendi, ut quamvis res a Seneca memoratas probe teneat, ingenii tamen eius formam ac dicendi consuetudinem parum perspexisse videatur; quare miratus non sum, quod cum fragmenta libri de matrimonio conquireret, praeter ea, quae adhuc ferebantur, unum tantum apud Hieronymum invenit, quippe in quo Varii Gemini mentio in oculos incurrebat; ego vero multo plura

ab Hieronymo petivi, qui quamquam rerum ordinem pro suis rationibus immutavit, multa in brevius contraxit, multa abrupte posuit et ornamenta Senecae consueta plerumque detraxit, tamen in iis, quae ego nunc primus addidi, tot supersunt ac tam manifesta indicia, quae Senecam auctorem prodant, ut magis verear, ne iusto pauciora quam ne iusto plura adsciverim; repudiavi enim ea, quae quamvis argumento a Seneca non abhorrent, in forma tamen orationis nihil haberent, quod de Seneca cogitare cogeret; de ordine vero horum fragmentorum potest varia sententia esse; ego eum elegi, quem non dixerim unice verum esse sed tamen talem, qualis esse potuerit. Quod praeterea adiungitur ex schedis Sadoleti fragmentum 88, postquam doctissimos jurisconsultos et nuper Osannum exercuit, id ego ita genuinum esse nego, si parentes sint pro cognatis dicti; quod ne fiat, vocem *octo* aut delendam dixerim aut paulo post ponendam, ut cum vicinis coniungatur. Ceterum locus hic, siquidem Senecae est, sitne ex libro de matrimonio petitus, cuius notitia uni Hieronymo debetur, incerta coniectura est; sunt praeterea etiam alia fragmenta, quae unde petita sint, non proditum est; in quibus omnibus collocandis secutus sum vel argumenti similitudinem vel alia si qua erant indicia, neque hoc mihi sumo, ut in omnibus verum me et locum et ordinem invenisse existimem.

Sequitur deinceps liber de remediis fortuitorum, quem ego, si quem alium, genuinum Senecae esse arbitror; excipio praefationem ineptam illam ac barbaram, scriptam eo tempore, quo poetarum nomine comprehendebantur ii omnes, qui gentilium litteris studerent, praepositamque ab aliquo, qui et ipse se inter poetas numeraret et descripto hoc Senecae libro regi alicui vel prodesse vel placere vellet; excipio deinde additiones, quas oblivione sepultas ego rursus in lucem proferendas doxi; excipio etiam, ut par est, locos librariorum vitiis depravatos, qui quidem non plures sunt in hoc libro quam in aliis, quorum non exstant codd. mss. aetate et integritate insignes; denique fateor etiam, detractam esse Senecae ipsius aut praefationem, si qua fuit, aut certe initium, et verisimile est in reliquis quoque libri partibus abiecta esse nonnulla, quae praefationis scriptori minus placuissent; argumento est ipsa libri brevitudo, quae in Seneca nimia videtur, et rursus capitis ultimi longitudo, in quo parum credibile est ipsum Senecam diligentiorum fuisse quam in reliqua libri materia; accedit etiam, quod uno certe exemplo, de quo infra dicam, satis comprobari videtur pleniorum librum tum fuisse, cum sententiae ex eo aliquot in librum de moribus translatae sunt. Verum tamen haec si exceperis recte contendere mihi videor, nihil reperiri in hoc libro, quod falsarius aliquis sua sponte adiecisse videri possit, contra omnia adeo ipsum Senecae ingenium referre, ut de imitatore eius vel vaferrimo cogitare non liceat. atque ii quidem, qui Senecam probe norunt, non dubito quin mihi adsensuri sint; confido tamen etiam aliis satisfieri posse, si

quando aut mihi aut alii vacabit iusto commentario singula verba singulasque sententias ad eorum librorum normam exigere, de quorum origine non dubitatur; neque etiam quod quasi in dialogi formam totus liber compositus est, a Seneca alienum videri debet; eodem enim artificio etiam in reliquis libris creber est, nec mirum quod aliquando totum aliquem librum una hac forma composuit. Sed qui medio quod dicitur aevo hunc librum tractarunt, cum artem illam minus nossent quam vulgaria illo tempore carmina de conflictu animae et corporis, Theoduli eclogam et alia id genus multa, ipsos dialogos cum suis collocutoribus restituendos rati varia colloquentium nomina finxerunt; fuit, qui Senecam et Neronem tamquam magistrum et discipulum colloquentes induceret; Hildebertus vero in capite de fortitudine illorum loco Timorem et Securitatem ac deinde Hominem et Securitatem posuit; plerique haud inficete locis fortasse quibusdam Senecae usi, ut ep. 66, 32. 35. Sensum et Rationem colloqui voverunt; sed nomina haec in codd. mss. sine ullo totius libri detrimento adiecta et plerumque singulis litteris significata sunt, deinde autem rursus omissa in vetustis iam editionibus sive bonorum codicum auctoritate sive etiam recto iudicio; recentia enim esse arguit ipsa nominum illorum varietas, adeo ut etiam praefationis auctorem vetustiore esse suspicer. Accessit denique alia quaedam interpolatio, quae tamen et ipsa genuino Senecae libro non noceret; nam ut sunt varia hominum iudicia, cum praefationis auctor nimis prolixum librum Senecae putasset et breviorum fecisset, fuit rursus qui brevem factum vellet longiorem fieri; itaque adiecit quas ipse vocat additiones, quas ego in uno cod. ms. repperi itemque in una editione rarissima impressa Lipsiae per Arnoldum de Colonia, anno, ut videtur, 1495. siquidem verisimile est librum de remediis fortuitorum et „Tulium de senectute“ eodem anno editum esse cum Senecae epistolis abbreviatis et Senecae libro de providentia; utriusque autem horum librorum per eundem Arnoldum de Colonia impresso annus ille subscriptus est, omnes autem pari specie in unum volumen conjunctos repperi. Ceterum qui additiones scripsit, ipso hoc nomine praeposito satis cavet, ne quid supposuisse Senecae videretur; secutus autem Senecae, ut putabat, exemplum colloquentes inter se fecit Sensum et Rationem; adeo autem non infeliciter vel imitatus eum est vel aemulatus, ut mihi videatur Petrarcha aliquis vel unus ex iis esse, qui seculo XIV aut ineunte XV. fuerunt eruditissimi; certe nemo credit eundem esse, qui praefationem scripsit. Plura de huius libri fati fortasse tum cognoscentur, cum vetustioribus codicibus mss. uti licuerit; nunc enim de nullo mihi constat nisi qui sit seculi XIV aut XV. sed cum habeamus testimonia de eo Tertulliani et Hildeberti et Vincentii Bellovacensis, et tacitum illud, de quo infra dicam, libri de moribus, probabile est olim codices haud paucos extitisse atque etiam tales, in quibus nondum assuta esset praefatio subditicia, de quibus ego spem deponendam non existimo propterea quod

nemo adhuc ad emendandum librum contemptum et pro spurio habitum auxilia diligentius conquisivit. quid quod fertur in Uffenbachiano quodam codice distinctus fuisse in libros duos? quod si verum est, crediderim codicem illum ab iis, quos nunc cognitos habemus, valde diversum fuisse. Sed video iam mihi in certamen descendendum esse cum Osanno viro doctissimo, qui primus nuper Gissae a. 1847. dedita opera collato codice Dresdensi, qui est ex recentioribus, ad eius fidem totum libellum edidit et de auctore quaesivit; is igitur contraria duo ponit de hoc opere iudicia; ait enim pag. 16. sic: „*non solum id laborat hic illic barbarae latinitatis usu, sed tam incomposita et elumbis est elocutionis ratio, ut a Seneca vel ab alicuopiam vetere scriptore prorsus abhorreat: denique tota compositio argumenti, quod per colloquium Sensus cum Ratione pertractatur, tum ipsa huius dialogi ratio tam ieiuna et saepe paene absurda est, ut nihil ex litteris Romanorum antiquis relictum norimus, quod vel tantillum ad genus infictum, quo libellus iste conscriptus est, accedat.*“ Deinde vero pag. 17. dicit: „*accuratius inquirentem — non potes latere, in eo ipso quaedam inesse, quae cum Senecae ingenio conveniant. — sententiae morales — prorsus ex mente Senecae dictae — Neque prorsus absunt ab his sententiis ea ingenii lumina et acumina, ni malis aculei, quibus Seneca orationem suam distinguere, exornare, et in proluxa eiusdem argumenti tractatione variare solet. Iam quum et summa placitorum cum Senecae philosophia admodum conspiret. neque stilo eius fractum illud sententiis minutis genus dicendi [haud] indignum videatur, iis, quae de auctore libelli traduntur, non omnem fidem derogabimus.*“ Denique haec quo id uno modo fieri potest, inter se conciliat sic: „*Novitiae quidem fabricae libellus sine dubio est, sed cuius fundus sit antiquus, et quidem ex Senecae illo de remediis fortuitorum opere sumptus: quo quicumque libelli auctor fuit, ita usus est, ut sententias maximam partem transsumptas in iustum ordinem componeret et in formam dialogi de more saeculi. quo is scriptus fuit, cogeret.*“ Quid autem, si iam ipse Seneca iustum ordinem instituit? unde enim constat, id eum non fecisse? item formam dialogi si credere non licet ab ipso Seneca originem habere, quid faciemus locis simillimis, quales sunt ep. 24, 17. 42, 9. 47, 1. de benef. II, 10, 2. 3. et alii multi? nam ipsos quidem interlocutores Sensus et Rationem aliosve quos supra dixi, non puto tanta superstitione esse Osannum ut non credat adiungi potuisse libro vel integerrimo; quomodo autem eiusdem libri, qui ab initio ad finem aequabili dicendi genere conscriptus est, modo *incompositam et elumbem elocutionis rationem* reprehendere, modo *ingenii lumina et aculeos* laudare et *genus dicendi Senecae stilo haud indignum* praedicare potuerit, ego me intelligere non posse fateor. Barbaram denique latinitatem esse incredibile dictu est, quomodo Osannus comprobaverit; profert pag. 6. voces barbaras duas, *inhumationem* et *invasuram*. quae voces si certa fide in ipso libro scriptae essent, victas manus darem: quis autem

unquam audivit de latinitate libri alicuius indicium fieri ex argumenti summariis, quae librarii barbari saepe singulis capitibus appingere solent? petivit autem voces illas ex capitum inscriptionibus, quae sunt in Dresdensi codice; in meis non sunt, quia non omnibus librariis idem studium fuit. Concedo Osanno, ut etiam in praefatione, quamquam de ea tacet, barbaram latinitatem inveniatur, neque tamen ita de libro ipso quicquam probaverit, qui ab illa mirum quantum distat. Quamobrem totam illam Osanni sententiam de libri origine inanem existimo neque ullo argumento munitam, nisi quis forte putabit nihil referre, utrum de auctore libri an de Dresdensis codicis scriba agatur. Sed nondum dimitto Osannum; quaesivit enim deinceps, quis ille fuerit, qui Senecae librum in hanc formam, quam habemus, redegerit, ac iam visus sibi est hominem manibus tenere et partem eius aliquam in lucem protraxisse. Sed in hac re ei ut Neroni olim cum divitias in Libya quaereret, mirifice fortuna illudit; nimirum ut Taciti de Nerone verbis utar, dum non auctoris, non ipsius negotii fidem satis spectat, pari eventu carbones pro thesauro invenit. Auctore rursus usus est Dresdensis codicis scriba, qui ut fuit profecto homo diligens, non solum suam cuique capiti addidit inscriptionem, sed etiam, id quod multi librarii fecerunt, toti libro praefixit capitum omnium indicem cum hac inscriptione:

Incipiunt libri de remediis fortuitorum.

In loco illo vacuo nemo suspicabitur aliud quid latere nisi vocem *capita* vel similem. neque enim quod sequitur *libri* vocabulum poterit nominativus casus pluralis numeri esse sed est genetivus singularis, quia in Dresdendi cod. ut in reliquis quos novimus, unus est liber de remediis fortuitorum, non plures. Sed in loco illo vacuo Dresd. codex habet non vocem aliquam perspicue scriptam. sed signum quoddam, quod intuens Osannus cum obstinato animo auctoris nomen quaereret „*secunda*. inquit. *fortuna accidit, ut id perscriptum in cod. Dresdensi habeamus, sed. quod magnopere dolendum, per compendium, cuius elementa integra mihi quidem non contigit extricare.*“ Secunda vero fortuna illa vehementer Osannum exercuit; cum enim antea in signo illo Petrarchae nomen latere suspicatus esset, deinde et tempora obstare intellexit et primam litteram nominis invenit non *P* sed *R* esse; rursus deinde relapsus ad Petrarcham inspectis libris eius de remediis utriusque fortunae iterum eum deseruit; denique desperata sua fortuna coactus est auctoris nomen alius quaerendum relinquere. Ceterum signi eius imaginem exprimi iussit pag. 18. quam ut vidi, satis mirari non potui, quod vir doctissimus, qui plurimos libros mss. versavit, non statim quid id rei esset intellexit; nimirum scripsit librarius: „*Incipiunt rubricae libri de remediis fortuitorum;*“ nihil aliud enim est illud compendium quam *R_{cc}*. quibus litteris rubricae nomen scribi solet.

Itaque ego librum de rem. fort. exceptis iis, quae medio aevo ei adhaeserunt, Senecae vindicandum ratus feci quod potui, ut quae

depravata erant, corrigerem, quam ad rem praeter Dresdensis libri scripturam ab Osanno editam adhibui tres codd. Vratislavienses e bibl. academica, quorum unus est membran. scriptus a. 1375. signatus IV. fol. 39. eius folia duo, 77 et 78, amissa sunt, quibus continebatur finis libri de moribus et initium libri de rem. fort.; est autem is ipse, quo Fickertus in aliis Senecae libris usus est. Alter codex est chartac. sec. XV. signatus IV. Q. 66. in quo additiones leguntur. Tertius est item chartac. sec. XV. signatus I. Q. 412. in quo colloquentes sunt Seneca et Nero. Habui praeterea edd. veteres Tarvisinam, Venetam a. 1492. Lipsiensem illam, de qua supra dixi, Erasmi primam, alias, quae deinceps secutae sunt; quibus copiis perfecit, ut aliquanto iam emendatior hic liber prodeat, quamquam non potui omnes quas diuturno situ contraxit maculas eluere; neque enim tales fuerunt codices mei, quorum nullus integritate excellit. De Additionibus vero non admodum laboravi. quarum qui mihi soli fontes erant unus codex ms. et ed. Lips., plerumque inter se consentiunt: illud tamen non parvi ad totam rem momenti est, quod versus ille: *coelo tegitur, qui non habet urnam*, qui vulgo ipsis Senecae verbis interpositus c. 5, 2 ante voces *quid interest* legebatur, loco illo deiectus et in Additiones translatus est; non habent eum neque codd. mss. neque edd. veteres quas dixi; scilicet a Seneca ipso vix credas eum poni potuisse, cum sit Lucani Phars. VII. 819. itaque verisimile est ex Additione eum arreptum esse, quamquam potuit librario alicui etiam ultro succurrere vel ex ipsius Lucani lectione vel ex aliis, qui eo usi sunt, velut ex Bartholomaeo Anglico de proprietatibus rerum lib. XIX, c. 129.

Adieci deinde *Excerpta de paupertate* ex superioribus edd. expressa; neque enim eorum ullum cod. ms. habui; addidi in margine numeros epistularum, unde petita sunt, ut commodius possit scripturae discrepantia reperiri, quam Fickertus raro notavit.

Sequitur de *Moribus* liber, *Excerptis* illis, ut videtur, haud paulo vetustior; citatur enim Senecae nomine ex eo sententia 35. iam anno 567. in Concil. Turon. II. can. 14. in ed. Labbei vol. V, pag. 856. vel in ed. Mausii vol. IX, pag. 795. eundem librum novit Vincentius Bellovacensis et alii; ac vellem ad eum emendandum plura auxilia praesto fuissent; nunc nihil habui nisi edd. vett. et quem dixi supra codicem Vratisl. qui deficit in sententia 49. voce *incipiat*; nec profuit ei libro Io. Conr. Orellius, qui edidit eum inter *Opuscula Graecorum* vett. sententiosa et moralia tom. I. pag. 269 sqq. Verum est, quod in cod. Vratisl. adscriptis manus recentior: *Non est hic dicendus liber: recollectae enim sunt quaedam ab aliquo excerptae ex libris Senecae*, nisi quod non ex solis Senecae libris collectae sententiae sunt; atque ex iis quidem, qui supersunt, etsi similia proferri multa possunt, ipsis tamen verbis quae accurate conveniaut, non admodum multa esse credo; veluti dubites, sitne sent. 48 petita ex ep. 3, 2. item ad sent. 65. cf. ep. 97, 13. 105, 8.

ad sent. 73. cf. ep. 114, 1. contra manifestum est sententias 39—43 translatas esse ex libro de rem. fort. 2, 3, 7, 1—3, 8, 2. nam sententia 42. quoque et eo loco posita est et eam formam habet, ut dubium non sit quin eundem atque reliquae fontem habeat; quamobrem eam restitui libro de rem. fort. c. 7, 3. quamvis ibi neque in codd. mss. neque in edd. legatur, ac videtur mihi hic locus argumento esse librum de rem. fort. fuisse illo tempore aliquanto ampliorem, cum liber de moribus collectus est. Praeterea ex amissis Senecae libris petitam esse sententiarum partem, satis credibile est, neque id tamen certo testimonio confirmare nunc possum; nam verba illa apud Lactantium III, 15, 14: *atqui nihil interest — animus non videtur*, quae leguntur item in sent. 3. 4. non dubito quin recte Buenemannus Lactantii esse censuerit, non Senecae, cuius locus antecedit; vid. fragm. 20. quare Christianum hominem quarti quintive seculi, qui Lactantio uteretur, mirum non est sent. 55 eleemosynae mentionem fecisse, quamquam facile fieri potuit, ut esset nihilominus haec quoque sententia Senecae, qui in ea non eleemosynam sed beneficium dixisset; diaboli appellationi, quae deinde sequitur sent. 143. non multum tribuo, quia verisimile est sententiam illam cum sequentibus aliena manu esse in fine adiectas. Sed de fontibus huius libri non est hic dicendi locus; est enim difficilis quaestio ac digna, quae separatim et accurate instituatur. Quae vero in quibusdam edd. vett. neque raro in codd. mss. feruntur Senecae proverbialia ad litterarum ordinem composita, ea ego recipienda non iudicavi propterea quod longe plurima sunt versibus scripta et e Publilio maxime collecta; quae autem in litterae cuiusque fine ex Senecae libris adiunctae reperiuntur sententiae, eae nec multae sunt nec ignotos fontes habere videntur.

Satius visum est Martini Dumiensis librum adicere, qui de quattuor virtutibus cardinalibus aut de formula honestae vitae inscribi solet, medio ille aevo Senecae nomine notissimus; nec credo ullum genuinum Senecae librum adeo frequenter lectum et descriptum ac citatum esse; item editiones eius vetustae exstant haud paucae; quare nolui ab iis, qui medii aevi litteras curant, desiderari librum totiens memoratum, praesertim cum suo quoque pretio non indignus sit, qui in manus hominum redeat. Praefationem ad Mironem regem scriptam, quae a vulgaribus codd. mss. editionibusque abest, descripsi ex d'Acherii Spicilegio tom. III. (Paris. 1723.) pag. 312. prolatam a Io. Mabillonio e codice S. Remigii Remensis; eandem cum toto Martini libro editam esse cura Eliae Vineti Pictavis a. 1544. testatus est ib. Baluzius. Ad librum ipsum emendandum multum mihi profuit cod. Vratisl. membranaceus, quem supra dixi. Quod posui inscriptionem libri de verborum copia, feci testimonio Eberti, qui in catalogo codd. mss. Gnelferbyt. Nr. 794. sic inscriptum codicem memorat; sed ea res cum mira mihi accideret maxime propter locum in ep. IX Senecae ad Paulum, quia epistu-

lae illae quippe Hieronymo cognitae ante Martini Dumiensis aetatem scriptae sint necesse est, volui meis oculis credere et impetravi facile, ut mihi mitteretur codex Bambergensis M. IV, 4, membran. sec. XIV, quo etiam Fickertus in Senecae epistulis usus est; in eo igitur pag. 53 post „Extractiones de libro Macrobbii in expositione sompni Scipionis“ legitur Martini liber cum hac inscriptione: „Incipit liber Lucii Senecae de verborum Copia.“ Ipse deinde liber ommissa etiam ultima illa praefationis parte, quae alibi deesse non solet (*Quatuor virtutum — virum efficiunt.*) sic incipit: *Quisquis prudentiam sequi desideras —* reliqua postquam inspexi, non admodum poenitet, quod nunc demum codex in manus meas pervenit; video enim vix ad ullam rem eum profuturum fuisse, si tempore venisset; nam neque scripturae bonitate meum cod. Vratisl. superat et tot locos omittit, ut non tam librum ipsum hunc esse dicas sed ex eo excerpta, qualia in eodem codice plura sunt. Desinit autem c. 7, 2. in verba illa: *sordidus aut obscurus existas*, et sequuntur deinceps ex Senecae epistulis excerpta, quae nulla inscriptione insignita, nullo intervallo separata incipiunt pag. 55 extr. a verbis: *Primum argumentum compositae mentis existimo —* et finiuntur pag. 62. supr. verbis his: *Dum differtur vita transcurrit. Turpissima iactura est quae per negligentiam fit. — Explicit de verborum copia. Incipiunt proverbialia Senecae per ordinem alphabeti.* Quare apparet non recte me Martini libro inscriptionem illam de verborum copia praefixisse, quippe qua non tam liber ille per se solus significetur sed excerptorum quoddam genus ex illo et ex epistulis conflatum; nec aliud inesse suspicor codici Guelferbyitano 794. eadem vero excerpta num is quoque intellexerit, qui in ep. Senecae ad Paulum libri de verborum copia mentionem facit, quaerant alii.

Epistulae Senecae ad Paulum et Pauli ad Senecam corruptissimae circumferuntur, nusquam tamen, ut ego existimo, corruptiores quam apud Io. Alb. Fabricium in Cod. apocrypho; itaque ego quod erat adiumentorum. diligenter adhibui; Fickertus utendam mihi concessit scripturae discrepantiam, quam e cod. Amploniano excerpsit; ego ipse contuli codices duos Rehdigeranos; de tribus his codicibus dixit Fickertus in praef. ad Senecae epp. pag. XX et XXI. Sed diligentiae eius exiguus fructus fuit; nam etsi non difficile fuit, quae Fabricius corruerat aut iniuria omiserat restituere, tamen tot supersunt loci dubii et depravati, ut verisimile mihi sit ineptam falsarii orationem iam a veteribus librariis magis etiam vitiatam esse; sed tamen quoniam codices vetustissimi, Argentoratensis, quo epistulae Senecae, et Mediolanensis, quo dialogi continentur, ad emendandas subditicias has epistulas nondum adhibiti sunt, sperare de iis optima quaeque licet.

Ultimo loco posui epitaphium Senecae. quod plurimis Senecae codicibus mss. adiectum est.

Indicem denique rerum memorabilium summa diligentia con-

feci copiosissimum et quoad eius fieri potuit numeris verbisque probe emendatum; qui enim adhuc erat plenissimus a Schweighausero confectus, usui mihi esse non potuit nisi forte ut nonnulla quae me fugerant, supplerem; erant enim in eo non librorum capitumque sed paginarum numeris loci indicati ac praeterea errores et multi et graves admixti; ordo quoque rerum sub eadem voce comprehensarum magis casu constitutus quam consilio; ceterum non propria solum nomina hominum locorumque in indice ponenda putavi sed verba omnia, quae pertinerent ad antiquitates vel publicas vel privatas vel ad litterarum historiam variamque in omni genere doctrinam et maxime ad philosophiam; ubi autem fieri potuit, elegi locos eos, qui haberent formam arte et acumine insignem eoque effeci ut floridissimae Senecae sententiae in hoc indice collectae sint.

Indicabo hoc loco errores typographicos, quos in tribus huius editionis voluminibus animadverti, nec multos illos nec admodum graves; addam praeterea quasdam emendationes sero natas et conjecturas reiculas de multis paucas, quas quamquam sprevi ipse, non tamen adeo inanes esse puto, ut non possint aliquam ad tollendas offensiones utilitatem habere.

VOL. I. Ad pag. 1—139 cf. Adnotationes criticas, quas edidi in indd. lectionum in univ. litt. Vratislav. per aest. a. 1852. et a. 1853. habendarum.

Dial. I, 4, 3. fort. scrib. in qua universam vim.

Dial. II, 7, 2. delenda vox [*non*]. — c. 10, 4. scribe quae non sentiat se perpeti. — c. 11, 3. fort. scrib. contemptissimus et ad ludibrium est. — c. 13, 2. scribe: valentes coloratos [*male sanos*] esse. — c. 16, 3. scribe consipiente pro conspiciente. — c. 18, 1. fort. scrib. contumeliosus mira *libidine* ferebatur.

Dial. III, c. 8, 4. post v. advocabatis ponenda videntur lacunae signa. — ib. §. 7. scribe: „quid ergo? non — abstinent?“ [*faciunt.*] Quando? — c. 12, 1. scribe: „Quid ergo? inquit, vir b. — ib. §. 3. ante voces cum hoc dicis ponenda lacunae signa.

Dial. IV, c. 28, 1. fortasse delenda vox tempore.

Dial. V, c. 9, 3. Dele [*ac*]. — c. 13, 4. scribe: dum consipimus. — c. 19, 1. pro alicui fort. scrib. aliquo. — c. 35, 5. scr. occurrentium. et antea fort. scrib. qui *non* mensam. — c. 39, 4. repone cui pro cur. — c. 40 extr. scribe: ubi Caesar est? — c. 41, 1. totus qui post lacunam sequitur locus usque ad finem libri nunc mihi videtur uno duobusve foliis traictis huc translatus esse a fine libri I.

Dial. VI, c. 3, 3. scribe ipsaque. Deinde fort. scrib. invita pro invisa. — ib. §. 4. scribe [*ac mitius*]. — c. 8, 2. reducendum videtur nunc te ipsa custodis. vid. ep. 63, 3. — c.

10, 4. fort. scrib. in fuga. — c. 11, 3. scribe opus est. — ib. § 4. scribe *auditus ex improv.* — c. 12, 1. fort. scrib. *movit* — ib. § 4. dele comma post *electam* et scribe *circuice*. — c. 15, 1. scribi poterat „dis geniti deosque genituri“, ut significaretur haec esse ex Virg. IX, 642. — c. 13, 6. scr. Numquam. — ib. § 8. malim exple et unum, et deinde saeviret. — c. 17, 1. scr. genitus es. — ib. § 7. fort. scr. in ignem positura. — c. 18, 1. scribe Hanc im. agedum ad totius. — ib. § 2. aequali[ter]usque. vid. supra pag. XIV. — ib. § 4. fort. scrib. alia forma rerum *aliter* aliterque. — ib. § 7. fort. scrib. terrena vel terrestria pro terrentia. — c. 19, 1. fort. scrib. illorum cum conspectu. — c. 20, 2. dele comma post haec ubi; item c. 23, 4. post quae et pone ante quae. — c. 24, 4. fort. scr. *avocetur* vel *evocetur*. — c. 25, 1. conicio verba sic transponenda: inter felices currit animas interque contemptores vitae et m. b. liberos, exceptit illum coetus sacer, Scipiones Catonesque. Parenstus —. — ib. § 2. desunt signa, quibus significetur verba iuvat enim ex alto relicta respicere a me transposita esse cum antea legerentur post aciem. — c. 26, 5. scribe [seriem,].

Dial. VII, 15, 6. dele [ac] post aequae. — c. 17, 3. dele comma ante convicia. — c. 18 extr. scribe: vides enim: non —. — c. 20, 2. [temptare] videtur glossema. Paulo ante Michaelis scribendum coniecit: sed tu viros suspice; mihi magis placet: sed si vis verum. cf. Dial. VI, 1, 5. de benef. V, 1, 2. M. Seneca contr. 11. pag. 163 inf. ed. Bipont. — ib. § 3. nunc scribendum videtur aliubi, non alicubi. — c. 23, 5. praestat: expanditis sinum. cf. ep. 74, 6. — c. 25, 7. fort. scrib. incitamusque acerrime: ergo paupertati adhibebimus illas.

Dial. IX, c. 1, 10. Haud scio an versus sit: promptus compositusque sequor Zenona, Cleanthen. — ib. § 16. scribe quaedam. — c. 5, 5. fort. del. in ante periculosa. — c. 8, 3. scribe utrisque enim.

Dial. X, 3, 2. fort. scrib. adice et quod sine usu. — c. 4, 5. scribe Danuvium. — c. 5, 3. fort. scrib. procidet. — c. 10, 3. probo nunc subrepebant pro subripiabantur. — c. 19, 2. fort. scrib. dum calet sanguis, viget animus, ad m.

Dial. XI, 1. pag. 218, lin. ult. in marg. pone 4 pro 3. — c. 8, 2. fort. scrib. exiet omne tempus. vid. vol. II. praef. p. VI. — c. 9, 5. scribe: eos denique ipsos. — c. 11, 1. videtur se delendum ante exire. — ib. § 2. 3. ad verba illa: „Ego cum genui, tum moriturum scivi et huic rei sustuli.“ adde signa, quibus indicetur versum hunc esse nescio cuius poetae tragici.

Dial. XII, 17, 2. Voces patrimonii administratione fort. tamquam glossema secludendae sunt, estque una haec coniectura probabilis inter eas, quas proposuit *Michaelis* in *Philologo* a. 1852. p. 214 sqq.

Epigr. IV, 9. dele comma post sacra. — VIII, 5. dele comma post Marcus.

Lud. c. 7, 1. v. 3. scribe Haec pro Hacc. — c. 9, 3. magis nunc placet sic scribere: iam fana mimum fecistis.

De clem. I, 8, 1. fort. scrib. quid, tu non experiris [*imperium*] istud esse nobis —. — ib. § 4. fort. scrib. multa circa te lux est. cf. Dial. VI, 2, 5. ubi in eadem re dixit fortunam circumlucentem. — ib. § 5. scribendum videtur eod. Naz. tremant, quia neminem adfliges aut adfligere, nisi —. — c. 19, 9. scribe: faciant, intueamur — colentesque. Quid. — c. 23, 2. scribe: parricidae cum lege. — ib. c. 25, 2. scribe: delectatur. — Lib. II, 1, 1. Non opus est sed addere, si nec deleas, aut quod facillimum, scribe sic: non composita nec alienis auribus data subito crepuit vel erupit. — c. 3, 1. fort. scrib. At ne forte.

VOL. II. Praef. pag. IV, lin. 14. scribe: libri II et V praefationes amissas. — pag. V. lin. 16. scribe: lib. VI, c. 32, 6. — pag. VI. lin. 3. scribe: VII, c. 25, 2.

De benef. I, c. 6, 3. fort. scrib. sed in pia. — c. 15, 2. scribe benignitatis.

II. c. 6, 1. scribe excussa lacerto. cf. ep. 108, 10. — ib. § 2. pone comma ante cui, et dele post cum. — c. 10, 2. vid. Madvig. ad Cic. de fin. II, 3. p. 153. — c. 18, 3. Praestat nam scribere pro Num, ut non sit interrogatio.

IV, c. 11, 6. scribe: At mehercule. vid. supra pag. XIII. — c. 18, 3. fort. scrib. in maria.

V, c. 12, 6. scribe quos — cumque. — c. 20, 6. scribo: Dicet aliquis.

VI, c. 34, 3. scribe: cuius disponitur.

VII, c. 10, 2. fort. scrib. errorem animorum oculus. — c. 17, 2. dele comma ante est et pone post est.

Nat. Quaest. I, c. 8, 7. malim occurrere pro occurri. — c. 16, 4. scribo: At mehercules, vid. supra pag. XIII.

II, c. 20, 2. extr. fort. scrib. dum se rapit infra, incendet. cf. ep. 40, 7. — c. 21, 3. fort. scrib. rem igneam esse. — c. 32, 8. fort. scrib. altius ars spiret distr. r. o. tractans. cf. ep. 95, 10. — c. 39, 1. 49, 1. scribe Caecina et c. 56, 1. Caecinam. — c. 49, 3. malo magno consultantium periculo. — c. 53, 2. fort. scrib. qua non icta. — c. 59, 11. proba nunc deiectione. cf. ep. 120, 16.

III, c. 15, 8. fort. exeunt amnes. — c. 16, 2. praestare vide

tur: si nihil obstitit. — ib. § 3. fort. scrib. verisque quando solet. — c. 18, 3. scribe: palpitantemque. — ib. § 4. fort. scrib. saxatile, ut sit versus, qui potest Ennii esse. — c. 20, 4. fort. scrib. evenit: si virgam. — capp. 22 et 23. fortasse ponenda ante c. 20. — c. 24, 1. fort. scrib. sunt ei solo. — ib. § 3. fort. scrib. loco aestuarii.

V, c. 4, 1. fort. scrib. ex humido pro ex imo. — c. 10. extr. scribe: defendit. — c. 18, 6. fort. scrib. testium oco laudandus est.

VI, c. 2, 9. Versus fortasse talis fuit: sive cadendum | est mihi, de coelo me cecidisse velim. — c. 29, 2. fort. scrib. consipere pro non desipere.

VII, c. 20, 1. scribe etiamsi pro etsi. vid. supra p. XIV. — c. 27, 4. scribe vides enim: pro *quid* enim? — c. 30, 1. scribendum videtur voltum demittimus.

VOL. III. Ep. 5, 7. fort. scrib.: Dices: „ergo ista tam div. — Ep. 9, 17. voces illae et adpetitio societatis sive genuinae sunt sive spuriae cum ante vocem quomodo legerentur, collocandae visae sunt post voces naturalis irritatio quod nunc nescio quo errore aliter factum. — Ep. 13, 13. fort. scrib. damus nos timori ferendos. cf. Dial. VI, 2, 2. — Ep. 15, 8. fort. scrib. lenius pro lentius. et deinde: moderatori sui (vel suo) pareat nec. — Ep. 17, 5. fortasse praestat sic interpungere: parandum est. quod tu differs et post cetera paras, ab hoc incipiendum est. — Ep. 27, 4. fort. scrib. cessatur, sed adhuc festinetur. — Ep. 30, 3. fort. scrib. finem suum *æ*spectat. — Ep. 36, 11. fort. scrib. hiems cessit, sed referent. — Ep. 37, 4. fort. scrib. subicere, omnem subice te rationi. — Ep. 40, 9. fort. scrib. mireris pro videris. — Ep. 45, 8. fort. scrib. ut nesciat, cum illi subt. coll. persuaseris. in p enim si deest, in P supra scriptum est. — Ep. 53, 9. fort. scrib. adesse iubet. — ib. § 11. fort. scr. Totum huc converte [te] mente. — Ep. 59, 5. fort. scrib. decore avocentur. — Ep. 63, 8. fort. scrib. plus nobis temporis in vivis periiisse. — Ep. 67, 12. fort. scrib. Quid? tu pro Ita tu. — ib. § 16. in cod. p est: quidni hoc optabile autem non quod. sed hoc est supra scriptum, quod si genuinum non sit, conicias: Quidni? optabile autem non quod. — Ep. 74, 10. fort. scrib. quicquid boni dedit. — ib. § 11. fort. scrib. ex hac deploratione nostri nascitur. — ib. § 27. scribendum videtur: in eandem uterque formam fuit. — Ep. 76, 30 extr. praefero et elidunt. — ib. § 31. fort. scrib. metiris. manet pumilio, licet. — Ep. 77, 17. fort. scrib. tanti enim illa putas. — Ep. 78, § 11 vid. supra pag. V.

— ib. § 19. fort. scrib. ureret pro urgeret. — Ep. 85, 33. videbis vox, quam addidi e codd. quibusdam, non vera mihi videtur; malim opprimes, vel obrues, ut versus sit. — Ep. 89, 4. fort. scrib. itaque, si videtur tibi, dicam. — Ep. 90, 45. 92, 20. 28. ter addidi *in* praepositionem, quae dubito an abesse potnerit. — Ep. 99, 2. scribe: esse, „Solatia. — Ep. 103, 5. fort. locus sic restituendus: ambulantes. Quietem et ipsam philosophiam vel: Quietem autem et ips. ph. — Ep. 107, 3. fort. scrib. ubi tonat, fulminat — Ep. 108, 28. fort. scrib. adulescentiam agitantibus — Ep. 109, 10. fort. scrib. qui virtutes alicuius *ut* partes sui amat. — Ep. 113, 23. fort. scrib. anima pro eo quod in libris est ambulatio. — ib. § 30. fortasse verum quod est in libris pro milite, non per milites. — Ep. 114, 5. fort. scrib. testum tenuisve. — Ep. 124, 23. haud male scribas: dum aliena intueris.

In numeris margini appositis haec sunt corrigenda: vol. I, pag. 107. Dial. V, c. 37. numerum 4 pone duabus lineis ante, ubi verba sunt: Praesume animo. — ib. p. 178. Dial. IX, c. 4. numerum 3 pone ad lineam sequentem; item numerum 4. ib. p. 212. Dial. X, c. 14. — ib. p. 188. numerum 7 pone ad lineam antecedentem. — Vol. II. p. 64. de benef. IV, c. 8. numerum 2, et p. 168. numerum 13 pone ad lineam sequentem; p. 205. Nat. Quaest. II, c. 49. numerum 2, p. 249. numerum 1, p. 315. Nat. Quaest. VII, c. 28. numerum 3 pone ad lineam antecedentem; p. 158 dele numerum 9, et p. 159 pro numeris 10. 11. 12. 13 pone 9. 10. 11. 12, et ad lin. 10 ab inf. pone numerum 13.

Finita demum et typis iam excusa praefatione succurrit non negligenda fuisse quae scripsit Ludovicus Janus in novis annal. philol. et paedag. vol. XXXVII. pag. 3—30. ubi de multis epistularum Senecae locis prudenter et docte disputavit; ac maxime quidem doleo, quod non prius cognovi, quae de cod. Bamb. denuo collato refert; apparet enim ep. 107, 11 versum quartum sic scribendum esse: *malusque patiar, facere quod licuit bono*; item ep. 113, 26 (21) minus recte scribi venire quam *pervenire*. et ep. 112, 4 (3) quod ego e coniectura edidi *vitia sua*, codd. Bamb. et Erl. confirmari. Praeterea etiam in aliis quibusdam rebus Jani sententiam si cognitam habuissem, secuturus fui: nam et ep. 94, 47 recte defendere videtur quod est in optimis libris *ablegant* pro *adligant*, et ep. 103, 2 praestabat fortasse perniciosus scribere quam perniciosior; de reliquis locis aut dubito aut dissentio praeter eos, de quibus mihi communes cum illo coniecturae sunt, quas non tam doleo mihi esse praereptas quam gaudeo consensu confirmatas; sunt autem inter eas aliquot satis memorabiles; ac ne quis quas

ego mihi nunc primus proferre visus eram, nesciat iam ante decem annos propositas esse a Jano, indicem earum hic sub-
iicio: ep. 34, 1. superieceris. ep. 50, 4. tam veteres.
ep. 58, 26 (23). notione. ep. 66, 18. torreri. ep. 85 extr.
pati subigunt. ep. 86, 18 (17). rapum — radit. ep. 96,
3 (2). venerunt.

Scriebam Vratislaviae mense Novembri a. MDCCCLII.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBRI XX.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER I.

EPISTULA I.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

I. Ita fac, mi Lucili, vindica te tibi, et tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut subripiiebatur, aut excidebat, collige et serva. Persuade tibi hoc sic esse, ut scribo: quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. turpissima tamen est iactura, quae per negligentiam fit. et si volueris attendere, maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem aestimet, qui intellegat se cotidie mori? in hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus: magna pars eius iam praeteriit. quicquid aetatis retro est, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere: sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. Dum differtur vita, transcurrit. Omnia, Lucili, aliena sunt, tempus tantum nostrum est. in huius rei unius fugacis ac lubricae possessionem natura nos misit, ex qua expellit quicumque vult. et tanta stultitia mortalium est, ut quae minima et vilissima sunt, certe reparabilia, inputari sibi, cum inpetravere, patiantur, nemo se iudicet quicquam debere, qui tempus accepit, cum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere. Interrogabis fortasse, quid ego faciam, qui tibi ista praecipio. fatebor ingenue: quod apud luxuriosum sed diligentem evenit, ratio mihi constat inpensae. non possum dicere nihil perdere, sed quid perdam et quare

et quemadmodum, dicam. causas paupertatis meae reddam. Sed evenit mihi, quod plerisque non suo vitio ad
 5 inopiam redactis: omnes ignoscunt, nemo succurrit. Quid ergo est? non puto pauperem, cui quantulumcumque superest, sat est: tu tamen malo serves tua, et bono tempore incipies. nam ut visum est maioribus nostris, sera parsimonia in fundo est. non enim tantum minimum in imo, sed pessimum remanet. Vale.

EPISTULA II.

SENECAE LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Ex his quae mihi scribis, et ex his quae audio, bonam spem de te concipio. Non discurreis nec locorum mutationibus inquietaris. aegri animi ista iactatio est. primum argumentum compositae mentis existimo, posse
 2 consistere et secum morari. Illud autem vide, ne ista lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile. certis ingeniis inmorari et innutrirī oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est. Vitam in peregrinatione exigentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. idem accidat necesse est his, qui nullius se ingenio familiariter adplicant, sed omnia cursim et properantes
 3 transmittunt. Non prodest cibus nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. nihil aequae sanitatem inpedit quam remediorum crebra mutatio. non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta temptantur. non convalescit planta, quae saepe transfertur. nihil tam utile est, ut in transitu prosit: dstringit librorum multitudo. itaque cum legere non possis, quantum habueris, satis est
 4 habere, quantum legas. „Sed modo, inquis, hunc librum evolvere volo, modo illum.“ Fastidientis stomachi est multa degustare, quae ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege, et si quando ad alios diverti libuerit, ad priores redi: aliquid cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxilii compara, nec minus adversus ceteras pestes. et

cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die con-
coquas. Hoc ipse quoque facio: ex pluribus, quae legi, 5
aliquid adprehendo. Hodiernum hoc est, quod apud
Epicurum nactus sum: — soleo enim et in aliena castra
transire, non tamquam transfuga, sed tamquam explora-
tor — „Honesta, inquit, res est laeta paupertas.“
Illa vero non est paupertas, si laeta est: cui cum pauper- 6
tate bene convenit, dives est. non qui parum habet, sed
qui plus cupit, pauper est. quid enim refert, quantum
illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum pascat,
quantum feneret, si alieno inminet, si non adquisita, sed
adquirenda computat? Quis sit divitiarum modus, quae-
ris: primus, habere quod necesse est, proximus, quod
sat est. Vale.

EPISTULA III.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Epistulas ad me perferendas tradidisti, ut scribis. 1
amico tuo. deinde admones me, ne omnia cum eo ad te
pertinentia communicem, quia non soleas ne ipse qui-
dem id facere: ita eadem epistula illum et dixisti amicum
et negasti. Itaque sic priore illo verbo quasi publico usus
es et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes can-
didatos bonos viros dicimus, quomodo obvios, si no-
men non succurrit, dominos salutamus. Hac abierit!
Sed si aliquem amicum existimas, cui non tan- 2
tumdem credis quantum tibi, vehementer er-
ras et non satis nosti vim verae amicitiae: tu
vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. post
amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum.
Isti vero praepostero officia permiscent, qui contra prae-
cepta Theophrasti, cum amaverunt, iudicant, et non
amant, cum iudicaverunt. Diu cogita, an tibi in amici-
tiam aliquis recipiendus sit. cum placuerit fieri, toto il-
lum pectore admitte: tam audaciter cum illo loquere
quam tecum. Tu quidem ita vive, ut nihil tibi committas, 3
nisi quod committere etiam inimico tuo possis. sed quia
interveniunt quaedam, quae consuetudo facit arcana, cum

amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. Fidelem si putaveris, facies. nam quidam fallere docuerunt, dum timent falli, et illi ius peccandi suspicando fecerunt. Quid est, quare ego ulla verba coram amico meo retraham? quid est, quare me coram illo non putem solum? Quidam quae tantum amicis committenda sunt, obviis narrant et in quaslibet aures, quicquid illos urit, exonerant. quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant, et si possent, ne sibi quidem credituri interius premunt omne secretum: neutrum faciendum est. utrumque enim vitium est et omnibus credere et nulli. sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. Sic utrosque reprehendas, et eos qui semper inquieti sunt, et eos qui semper quiescunt. nam illa tumultu gaudens non est industria, sed exagitatae mentis concursatio. et haec non est quies, quae motum omnem molestiam iudicat, sed dissolutio et languor. Itaque hoc, quod apud Pomponium legi, animo mandabitur:

Quidam adeo in latebras refugere, ut putent in turbido esse, quicquid est in luce.

Inter se ista miscenda sunt: et quiescenti agendum et agenti quiescendum est. Cum rerum natura delibera: illa dicet tibi se et diem fecisse et noctem. Vale.

EPISTULA IV.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Persevera ut coepisti et quantum potes propera, quo diutius frui emendato animo et conposito possis. Frueris quidem etiam dum emendas, etiam dum conponis. alia tamen illa voluptas est, quae percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe purae et splendidae. Tenes utique memoria, quantum senseris gaudium, cum prae texta posita sumpsisti virilem togam et in forum deductus es: maius exspecta, cum puerilem animum deposueris, et te in viros philosophia transcripserit. adhuc enim non pueritia, sed quod est gravius, puerilitas remanet. et hoc quidem peior est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum sed.

infantum: illi levia, hi falsa formidant, nos utraque. Profice modo: intelleges quaedam ideo minus 3 timenda, quia multum metus adferunt. Nullum magnum, quod extremum est. Mors ad te venit: timenda erat, si tecum esse posset. necesse est aut ne perveniat aut transeat. „Difficile est, inquis, animum perducere ad 4 contemptionem animae.“ Non vides, quam ex frivolis causis contemnatur? alius ante amicae fores laqueo pependit, alius se praecipitavit e tecto, ne dominum stomachantem diutius audiret, alius ne reduceretur e fuga, ferrum adegit in viscera: non putas virtutem hoc effecturam, quod efficit nimia formido? Nulli potest segura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat. Hoc cotidie 5 meditare, ut possis aequo animo vitam relinquere, quam multi sic complectuntur et tenent, quomodo qui aqua torrente rapiuntur, spinas et aspera. Plerique inter mortis metum et vitae tormenta miseri fluctuant: et vivere nolunt et mori nesciunt. Fac itaque tibi 6 iucundam vitam, omnem pro illa sollicitudinem deponendo. nullum bonum adiuvat habentem, nisi ad cuius amissionem praeparatus est animus. nullius autem rei facilius amissio est, quam quae desiderari amissa non potest. ergo adversus haec, quae incidere possunt etiam potentissimis, adhortare te et indura. De Pompeii capite 7 pupillus et spado tulere sententiam, de Crasso crudelis et insolens Parthus. Caius Caesar iussit Lepidum Dextro tribuno praebere cervicem, ipse Chaerae praestitit: neminem eo fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permiserat. Noli huic tranquillitati confidere: momento mare evertitur. eodem die [ubi] luserunt navigia, sorbentur. Cogita posse et latronem et hostem ad 8 movere iugulo tuo gladium. ut potestas maior absit, nemo non servus habet in te vitae necisque arbitrium. Ita dico: quisquis vitam suam contempsit, tuae dominus est. Recognosce exemplum eorum, qui domesticis insidiis perierunt, aut aperta vi aut dolo, et intelleges non pauciores servorum ira cecidisse quam regum. quid ad te itaque,

quam potens sit quem times, cum id, propter quod times, nemo non possit? At si forte in manus hostium incideris, victor te duci iubebit: eo nempe, quo ducēris. quid te ipse decipis et hoc nunc primum, quod olim patiebaris, intellegis? Ita dico: ex quo natus es, ducēris. Haec et eiusmodi versanda in animo sunt, si volunius ultimam illam horam placidi exspectare, cuius metus omnes alias inquietas facit.

10 Sed ut finem epistulae inponam, accipe, quod hodierno die mihi placuit. et hoc quoque ex alienis hortulis sumptum est: „magnae divitiae sunt legenturae composita paupertas.“ Lex autem illa naturae scis quos nobis terminos statuat? non esurire, non sitire, non algere. Ut famem sitimque depellas, non est necesse superbis adsidēre liminibus nec supercilium grave et contumeliosam etiam humanitatem perpeti, non est necesse maria temptare nec sequi castra: parabile 11 est, quod natura desiderat, et adpositum. Ad supervacua sudatur. illa sunt, quae togam conterunt, quae nos senescere sub tentorio cogunt, quae in aliena litora impingunt: ad manum est, quod sat est. Vale.

EPISTULA V.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Quod pertinaciter studes et omnibus omissis hoc unum agis, ut te meliorem cotidie facias, et probo et gaudeo, nec tantum hortor, ut perseveres, sed etiam rogo. illud autem te admoneo, ne eorum more, qui non proficere sed conspici cupiunt, facias aliqua, quae in habitu tuo aut genere vitae notabilia 2 sint. Asperum cultum et intonsum caput et negligentiorē barbam et indictum argento odium et cubile humi positum, et quicquid aliud ambitio[nem] perversā via sequitur, evita. satis ipsum nomen philosophiae, etiamsi modeste tractetur, invidiosum est: quid si nos hominum consuetudini coeperimus excerpere? Intus omnia dissimilia 3 sint, frons populo [nostra] conveniat. Non splendeat toga, ne sordeat quidem. non habeamus argentum,

in quod solidi auri caelatura descenderit, sed non pute-
 mus frugalitatis indicium auro argentoque caruisse: id
 agamus, ut meliorem vitam sequamur quam volgus, non
 ut contrariam: alioquin quos emendari volumus, fuga-
 mus a nobis et avertimus. illud quoque efficimus, ut ni-
 hil imitari velint nostri, dum timent, ne imitanda sint
 omnia. Hoc primum philosophia promittit, sensum com- 4
munem, humanitatem et congregationem. a qua profes-
sione dissimilitudo nos separabit. Videamus, ne ista,
 per quae admirationem parare volumus, ridicula et odiosa
 sint. nempe propositum nostrum est secundum naturam
vivere: hoc contra naturam est, torquere corpus suum
 et faciles odisse munditias et squalorem adpetere et cibis
 non tantum vilibus uti, sed tetrīs et horridis. Quemad- 5
 modum desiderare delicatas res luxuriae est, ita usitatas
 et non magno parabiles fugere dementiae. Frugalitatem
 exigit philosophia, non poenam: potest autem esse non
 incompta frugalitas. hic mihi modus placet: temperetur
 vita inter bonos mores et publicos: suspiciant omnes vi-
 tam nostram, sed agnoscant. „Quid ergo? eadem facie- 6
 nus, quae ceteri? nihil inter nos et illos intererit?“
 plurimum. dissimiles esse nos volgo sciat, qui inspexerit
propius. Qui domum intraverit, nos potius miretur quam
 supellectilem nostram. magnus ille est, qui fictilibus sic
 utitur, quemadmodum argento. nec ille minor est, qui
 sic argento utitur, quemadmodum fictilibus. Infirmi animi
 est pati non posse divitias.

Sed ut huius quoque diei lucellum tecum communi- 7
 cem, apud Hecatonem nostrum inveni cupiditatum finem
 etiam ad timoris remedia proficere. „Desines, inquit,
 timere, si sperare desieris.“ Dices: „quomodo
 ista tam diversa pariter sunt?“ Ita est, mi Lucili: cum
 videantur dissidere, coniuncta sunt. quemadmodum ea-
 dem catena et custodiam et militem copulat, sic ista, quae
 tam dissimilia sunt, pariter incedunt: spem metus sequi-
tur. Nec miror ista sic ire: utrumque pendentis animi 8
 est, utrumque futuri exspectatione sollicitum. maxima
 autem utriusque causa est, quod non ad praesentia apta-

mur, sed cogitationes in longinqua praemittimus. itaque providentia, maximum bonum condicionis humanae, in malum versa est. Ferae pericula, quae vident, fugiunt. cum effugere, securae sunt: nos et futuro torquemur et praeterito. Multa bona nostra nobis nocent: timoris enim tormentum memoria reducit, providentia anticipat. Nemo tantum praesentibus miser est. Vale.

EPISTULA VI.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Intellego, Lucili, non emendari me tantum, sed transfigurari. nec hoc promitto iam aut spero, nihil in me superesse, quod mutandum sit. quidni multa habeam, quae debeant corrigi, quae extenuari, quae attolli? et hoc ipsum argumentum est in melius translati animi, quod vitia sua, quae adhuc ignorabat, videt. Quibusdam aegris
 2 gratulatio fit, cum ipsi aegros se esse senserunt. Cuperem itaque tecum communicare tam subitam. mutationem mei: tunc amicitiae nostrae certiores fiduciam habere coepissem, illius verae, quam non spes, non timor, non utilitatis suae cura divellit, illius, cum qua
 3 homines moriuntur, pro qua moriuntur. Multos tibi dabo, qui non amico, sed amicitia caruerunt. hoc non potest accidere, cum animos in societatem honesta cupiendi par voluntas trahit. quidni non possit? sciunt enim ipsos omnia habere communia, et quidem magis adversa. Concipere animo non potes, quantum momenti adferre mihi
 4 singulos dies videam. „Mitte, inquis, et nobis ista, quae tam efficacia expertus es.“ Ego vero omnia [ista] in te cupio transfundere, et in hoc aliquid gaudeo discere, ut doceam. nec me ulla res delectabit, licet sit eximia et salutaris, quam mihi uni sciturus sum. si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam nec enuntiem, reiciam. Nullius boni sine socio iucunda possessio est. Mittam itaque ipsos tibi libros: et ne multum operae inpendas, dum passim profutura sectaris, inponam notas, ut ad ipsa protinus, quae probo et miror, accedas. Plus tamen tibi et viva vox et convictus quam

oratio proderit. in rem praesentem venias oportet, primum, quia homines amplius oculis quam auribus credunt. deinde, quia longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla. Zenonem Cleanthes non expressisset, si tantummodo audisset: vitae eius interfuit, secreta perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret. Platon et Aristoteles et omnis in diversum itura sapientium turba plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit. Metrodorum et Hermarchum et Polyaeum magnos viros non schola Epicuri, sed contubernium fecit. Nec in hoc te accerso tantum, ut proficias, sed ut prosis: plurimum enim alter alteri conferemus.

Interim quoniam diurnam tibi mercedulam debeo, 7 quid me hodie apud Hecatonem delectaverit dicam. „Quaeris, inquit, quid profecerim? amicus esse mihi.“ Multum profecit: numquam erit solus. scito hunc amicum omnibus esse. Vale.

EPISTULA VII.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

„Quid tibi vitandum praecipue existimem,“ quaeris: 1 turbam: nondum illi tuto committēris. Ego certe confitebor inbecillitatem meam: numquam mores, quos extuli, refero. aliquid ex eo, quod composui, turbatur. aliquid ex his, quae fugavi, redit. Quod aegris evenit, quos longa inbecillitas usque eo adfecit, ut nusquam sine offensa proferantur, hoc accidit nobis, quorum animi ex longo morbo reficiuntur. Inimica est multorum conver- 2 satio: nemo non aliquod nobis vitium aut commendat aut inprimit aut nescientibus adlīnit. utique quo maior est populus, cui miscemur, hoc periculi plus est. Nihil vero tam damnosum bonis moribus quam in aliquo spectaculo desidēre: tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Quid me existimas di- 3 cere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui. Casu in meridianum spectaculum incidi lusus exspectans et sales et aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruo-

re adquiescant: contra est. quicquid ante pugnatum est, misericordia fuit. nunc omissis nugis mera homicidia sunt. nihil habent quo tegantur. ad ictum totis corporibus expositi numquam frustra manum mittunt. Hoc plerique ordinariis paribus et postulaticis praeferunt. quidni praeferant? non galea, non scuto repellitur ferrum. quo munimenta? quo artes? omnia ista mortis morae sunt. Mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis obiciuntur. interfectores interfectoris iubent obici et victorem in aliam detinent caedem: exitus pugnantium mors est. ferro et igne res geritur. Haec fiunt, dum vacat arena. Sed latrocinium fecit aliquis: quid ergo meruit, ut suspendatur? „Occidit hominem.“ Quia occidit ille, meruit ut hoc pateretur: tu quid meruisti miser, ut hoc spectes? „occide, verbera, ure! quare tam timide incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur?“ Plagis agitur in volnera: „mutuos ictus nudis et obviis pectoribus excipiant.“ Intermissum est spectaculum: „interim iugulentur homines, ne nihil agatur.“ Age, ne hoc quidem intellegitis, mala exempla in eos redundare, qui faciunt? Agite dis immortalibus gratias, quod eum docetis esse crudelem, qui non potest discere. Subducendus populo est tener animus et parum tenax recti: facile transitur ad plures. Socrati et Catoni et Laelio excutere morem suum dissimilis multitudo potuisset: adeo nemo nostrum, qui cum maxime concinnamus ingenium, ferre inpetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest. Unum exemplum luxuriae aut avaritiae multum mali facit: convictor delicatus paulatim enervat et emollit. vicinus dives cupiditatem inritat. malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam adfricit: quid tu accidere his moribus credis, in quos publice factus est inpetus? Necesse est aut imiteris, aut oderis. utrumque autem devitandum est: neve similis malis fias, quia multi sunt, neve inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in te ipsum, quantum potes. cum his versare, qui te meliorem facturi sunt. illos admitte, quos tu potes facere meliores. mutuo ista fiunt, et

homines, dum docent, discunt. Non est quod te gloria 9
publicandi ingenii producat in medium, ut recitare istis
velis aut disputare, quod facere te vellem, si haberes
isti populo idoneam mercem: nemo est, qui intellegere
te possit. aliquis fortasse, unus aut alter incidet, et hic
ipse formandus tibi erit instituendusque ad intellectum
tui. „Cui ergo ista didici?“ non est quod timeas, ne
operam perdidideris, si tibi didicisti.

Sed ne soli mihi hodie didicerim, communicabo te-10
cum, quae occurrerunt mihi egregie dicta circa eundem
fere sensum tria: ex quibus unum haec epistula in de-
bitum solvet, duo in antecessum accipe. Democritus ait:
„Unus mihi pro populo est, et populus pro
uno.“ Bene et ille, quisquis fuit, ambigitur enim de-11
auctore, cum quaereretur ab illo, quo tanta diligentia
artis spectaret ad paucissimos perventurae: „Satis
sunt, inquit, mihi pauci, satis est unus, satis
est nullus.“ Egregie hoc tertium Epicurus, cum uni
ex consortibus studiorum suorum scriberet: „Haec, in-
quit, ego non multis, sed tibi: satis enim ma-
gnum alter alteri theatrum sumus.“ Ista, mi-12
Lucili, condenda in animum sunt, ut contemnas volupta-
tem ex plurium adsensione venientem. Multi te laudant.
et quid habes, cur placeas tibi, si is es, quem intellegant
multi? introrsus bona tua spectent. Vale.

EPISTULA VIII.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

„Tu me, inquis, vitare turbam iubes, secedere, et 1
conscientia esse contentum? ubi illa praecepta vestra,
quae imperant in actu mori?“ Quod ego tibi videor in-
terim suadere, in hoc me recondidi et fores clu-
si, ut prodesse pluribus possem. Nullus mihi
per otium dies exit. partem noctium studiis vindico. non
vaco somno, sed succumbo et oculos vigilia fatigatos
cadentesque in opere detineo. Secessi non tantum ab-2
hominibus, sed a rebus, et inprimis a rebus meis: postero-
rum negotium ago. illis aliqua, quae possint prodesse

conscribo. salutare admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, literis mando, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus, quae, etiamsi persanata non sunt, serpere desierunt. Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando, aliis monstro. clamo: „vitate, quaecumque volgo placent, quae casus adtribuit. ad omne fortuitum bonum suspiciosi pavidique subsistite: et fera et piscis spe aliqua oblectante decipitur. munera ista fortunae putatis? insidiae sunt. quisquis nostrum tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia devitet, in quibus hoc quoque miserrimi fallimur: habere nos putamus, haeremus. In praecipitia cursus iste deducit. huius eminentis vitae exitus cadere est. deinde ne resistere quidem licet, cum coepit transversos agere felicitas aut saltem rectis, aut seniel ruere: non vertit fortuna, sed cernulat et adlidit. Hanc ergo sanam ac salubrem formam vitae tenete, ut corpori tantum indulgeatis, quantum bonae valitudini satis est. durius tractandum est, ne animo male pareat: cibus famem sedet, potio sitim exstinguat, vestis arceat frigus, domus munimentum sit adversus infesta corporis. hanc utrum caespes erexerit, an varius lapis gentis alienae, nihil interest: scitote tam bene hominem culmo quam auro tegi. Contemnite omnia, quae supervacuis labor velut ornamentum ac decus ponit. cogitate nihil praeter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est.“ Si haec mecum, si haec cum posteris loquor, non videor tibi plus prodesse, quam cum ad vadimonium advocatus descenderem, aut tabulis testamenti anulum inprimerem, aut in senatu candidato vocem et manum commodarem? Mihi crede, qui nihil agere videntur, maiora agunt: humana divinaque simul tractant.

7 Sed iam finis faciendus est et aliquid, ut institui, pro hac epistula dependendum. id non de meo fiet: adhuc Epicurum complicamus, cuius hanc vocem hodierno die legi: „Philosophiae servias oportet, ut tibi contingat vera libertas.“ Non differtur in diem, qui se illi subiecit et tradidit: statim circumagitur. hoc

enim ipsum philosophiae servire libertas est. Potest fieri, 8
 ut me interrogas, quare ab Epicuro tam multa bene dicta
 referam potius quam nostrorum: quid est tamen, quare
 tu istas Epicuri voces putes esse, non publicas? Quam
multi poëtae dicunt, quae philosophis aut dicta sunt aut
dicenda! non adlingam tragicos nec togatas nostras. ha-
 bent enim hae quoque aliquid severitatis et sunt inter co-
 moedias ac tragoedias mediae. quantum disertissimorum
 versuum inter mimos iacet! quam multa Publilii non excal-
 ceatis, sed cothurnatis dicenda sunt! Unum versum eius, 9
 qui ad philosophiam pertinet et ad hanc partem, quae
 modo fuit in manibus, referam, quo negat fortuita in
 nostro habenda:

alienum est omne, quicquid optando evenit.

Hunc versum a te dici non paulo melius, sed adstrictius 10
 memini:

Non est tuum, fortuna quod fecit tuum.

Illud etiam nunc melius dictum a te non praeteribo:

dari bonum quod potuit, auferri potest.

Hoc non inputo in solutum de tuo tibi. Vale.

EPISTULA IX.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

An merito reprehendat in quadam epistula Epi- 1
 curus eos, qui dicunt sapientem se ipso esse
 contentum et propter hoc amicum non indigere,
 desideras scire. Hoc obicitur Stilboni ab Epicuro et iis,
 quibus summum bonum visum est animus inpatiens. = *apsa th*
 In ambiguitatem incidendum est, si exprimere apathiam 2
 uno verbo cito voluerimus et inpatientiam dicere.
 poterit enim contrarium ei, quod significare volumus,
 intellegi: nos eum volumus dicere, qui respuat omnis
mali sensum. accipietur is, qui nullum ferre possit ma-
 lum. vide ergo, num satius sit aut invulnerabilem
animum dicere, aut animum extra omnem pa-
tientiam positum. Hoc inter nos et illos interest: 3
 noster sapiens vincit quidem incommodum omne, sed
 sentit. illorum ne sentit quidem. Illud nobis et illis com-

mune est: sapientem se ipso esse contentum. sed tamen
 et amicum habere vult et vicinum et contubernalem,
 4 quamvis sibi ipse sufficiat. Vide quam sit se contentus:
 aliquando sui parte contentus est. si illi manum aut mor-
 bus aut hostis exciderit, si quis oculum vel oculos casus
 excusserit, reliquiae illi suae satisficient, et erit inmi-
 nuto corpore et amputato tam laetus, quam integro fuit.
 sed quae sibi desunt, non desiderat [*deesse*]: non deesse
 5 mavult. Ita sapiens se contentus est, non ut velit esse
 sine amico, sed ut possit. et hoc, quod dico possit,
 tale est: amissum aequo animo fert. Sine amico quidem
 numquam erit. in sua potestate habet, quam cito reparat.
 quomodo si perdidit Phidias statuam, protinus alteram
 faciet: sic hic faciendarum amicitiarum artifex substituet
 6 alium in locum amissi. Quaeris, quomodo amicum cito
 facturum sit: dicam, si illud mihi tecum convenerit, ut
 statim tibi solvam, quod debeo, et quantum ad hanc
 epistulam, paria faciamus. Hecaton ait: „*ego tibi mon-*
strabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ul-
lius veneficae carmine: si vis amari, ama.“ habes autem
 non tantum usu amicitiae veteris et certae magnam vo-
 luptatem, sed etiam *inter* initium et comparationem no-
 7 vae. Quod interest inter melentem agricolam et serentem,
 hoc inter eum, qui amicum paravit et qui parat. Attalus
 philosophus dicere solebat: „*iucundius esse amicum fa-*
cere quam habere. quomodo artifici iucundius pingere est
quam pinxisse.“ Illa in opere suo occupata sollicitudo
 ingens oblectamentum habet in ipsa occupatione. non
 aequae delectatur, qui ab opere perfecto removet manum.
 iam fructu artis suae fruitur: ipsa fruebatur arte, cum
pingeret. Fructuosior est adolescentia liberorum, sed
 8 infantia dulcior. Nunc ad propositum revertamur. Sa-
 piens etiamsi contentus est se, tamen habere amicum
 vult, si nihil aliud, ut exerceat amicitiam, ne tam magna
 virtus iaceat, non ad hoc, quod dicebat Epicurus in hac
 ipsa epistula, „*ut habeat. qui sibi aegro adsideat, suc-*
currat in vincula coniecto vel inopi,“ sed ut habeat ali-
 quem, cui ipse aegro adsideat, quem ipse circumventum

hostili custodia liberet. Qui se spectat et propter hoc ad
amicitiam venit, male cogitat. quemadmodum coepit, sic
desinet: paravit amicum adversum vincla laturum opem:
cum primum crepuerit catena, discedet. Hae sunt ami- 9
citiae, quas temporarias populus adpellat: qui utili-
tatis causa adsumptus est, tamdiu placebit, quamdiu uti-
lis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumsedet:
circa eversos ingens solitudo est, et inde amici fugiunt,
ubi probantur. hac re ista tot nefaria exempla sunt alio-
rum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. ¶ ne-
cesse est initia inter se et exitus congruant: ¶ qui amicus
esse coepit, [*quia expedit, et desinet*] quia expedit: pla-
cebit ei aliquod pretium contra amicitiam, si ullum in illa
placet praeter ipsam. In quid amicum paro? ut habeam, 10
pro quo mori possim, ut habeam, quem in exilium se-
quar, cuius me morti [et] obponam et impendam: ista,
quam tu describis, negotiatio est, non amicitia, quae ad
commodum accedit, quae quid consecutura sit spectat.
Non dubie habet aliquid simile amicitiae adfectus aman- 11
tium. possis dicere illam esse insanam amicitiam: num-
quid ergo [quisquam] amat lucri causa? numquid ambi-
tionis aut gloriae? ipse per se amor omnium aliarum re-
rum negligens animos in cupiditatem formae non sine
spe mutuae caritatis accendit. Quid ergo? ex honestiore
causa coit turpis affectus? „Non agitur, inquis, nunc de 12
hoc, an amicitia propter se ipsam appetenda sit.“ Immo
vero nihil magis probandum est. nam si propter se ipsam
expetenda est, potest ad illam accedere, qui se ipso
contentus est. „Quomodo ergo ad illam accedit?“ quo-
modo ad rem pulcherrimam, non lucro captus nec varie-
tate fortunae perterritus: detrahit amicitiae maiestatem
suam, qui illam parat ad bonos casus. Se contentus 13
est sapiens. hoc, mi Lucili, plerique perperam inter-
pretantur: sapientem undique submovent et intra cutem
suam cogunt. distinguendum autem est, quid et quate-
nus vox ista promittat; se contentus est sapiens ad beate
vivendum, non ad vivendum. ad hoc enim multis illi re-
bus opus est, ad illud tantum animo sano et erecto et

- 14 despiciente fortunam. Volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. ait *sapientem nulla re egere, et tamen multis illi rebus opus esse. contra stulto nulla re opus est, nulla enim re uli scil, sed omnibus eget*. Sapienti et manibus et oculis et multis ad cotidianum usum necessariis opus est, eget nulla re. egere enim necessitatis est, nihil necesse sapienti est. Ergo quamvis se ipso contentus sit, amicis illi opus est. hos cupit habere quam plurimos, non ut beate vivat. vivet enim etiam sine amicis beate, summum bonum extrinsecus instrumenta non quaerit. domi colitur, ex se totum est. incipit fortunae esse subiectum, si quam partem sui foris quaerit. „Qualis tamen futura est vita sapientis, si sine amicis relinquatur in custodiam coniectus, vel in aliqua gente aliena destitutus, vel in navigatione longa retentus, aut in desertum litus eiectus?“ qualis et Iovis, cum resoluta mundo et dis in unum confusis paulisper cessante natura adquiescit sibi cogitationibus suis traditus. tale quiddam sapiens facit:
- 17 in se reconditur, secum est. Quamdiu quidem illi licet suo arbitrio res suas ordinare, se contentus est. et ducit uxorem se contentus, et liberos tollit se contentus. et tamen non viveret, si foret sine homine victurus. Ad amicitiam fert illum nulla utilitas sua, sed naturalis inritatio. nam ut aliarum nobis rerum innata dulcedo est, sic amicitiae [† et adpetitio societatis †]. quomodo solitudo in odium est, †† quomodo hominem homini natura conciliat, sic inest huic quoque rei stimulus, qui nos
- 18 amicitiarum adpetentes faciat. Nihilominus cum sit amicorum amantissimus, cum illos sibi conparet, saepe praeferat: omne intra se bonum terminabit et dicet, quod Stilbon ille dixit, Stilbon, quem Epicuri epistula insequitur: hic enim capta patria, amissis liberis, amissa uxore cum ex incendio publico solus et tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui cognomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit, numquid perdidisset, omnia, inquit,
- 19 bona mea mecum sunt. Ecce vir fortis ac strenuus! ipsam hostis sui victoriam vicit. *Nihil*, inquit, *perdidi*: dubitare illum coegit, an vicisset. *Omnia mea mecum sunt*: [id est

iustitia,] virtus, [temperantia,] prudentia, hoc ipsum nihil bonum putare, quod eripi possit. Miramur animalia quaedam, quae per medios ignes sine noxa corporum transeunt: quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum et ruinas et ignes illaesus et indemnis evasit! vides, quanto facilius sit totam gentem quam unum virum vincere? Haec vox illi communis est cum Stoico. aequae et hic intacta bona per concrematas urbes fert. se enim ipso contentus est. hoc felicitatem suam fine designat. Ne existimes nos 20 solos generosa verba iactare: et ipse Stilbonis obiurgator Epicurus similem illi vocem emisit, quam [tu] boni consule, etiamsi hunc diem iam expunxi. „Si cui, inquit, sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, tamen miser est.“ vel si hoc modo tibi melius enuntiare videatur — id enim agendum, ut non verbis serviamus, sed sensibus —: „Miser est, qui se non beatissimum iudicat, licet imperet mundo.“ Ut scias autem hos sen- 21 sus communes esse, natura scilicet dictante, apud poetam comicum invenies:

Non est beatus, esse se qui non putat.

quid enim refert, qualis status tuus sit, si tibi videtur malus? „Quid ergo? inquis, si beatum se dixerit ille 22 turpiter dives et ille multorum dominus sed plurium servus, beatus suâ sententiâ fiet?“ Non quid dicat, sed quid sentiat, refert. nec quid uno die sentiat, sed quid adsidue. non est autem, quod verearis, ne ad indignum res tanta perveniat: nisi sapienti sua non placent. omnis stultitia laborat fastidio sui. Vale.

EPISTULA X.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Sic est. non muto sententiam: fuge multitudinem, 1 fuge paucitatem, fuge etiam unum. non habeo, cum quo te communicatum velim. Et vide, quod iudicium meum habeas: audeo te tibi credere. Crates, ut aiunt, huius ipsius Stilbonis auditor, cuius mentionem priori epistula feci, cum vidisset adulescentulum secreto ambulans, interrogavit, *quid illic solus faceret? Me-*

opinionem

cum, inquit, loquor. cui Crates: cave, inquit, rogo, et dili-
 2 *genter adtende, ne cum homine malo loquaris.* Lugentem
 timentemque custodire solemus, ne solitudine male uta-
 tur. nemo est ex imprudentibus, qui relinqui sibi debeat:
 tunc mala consilia agitant. tunc aut aliis aut ipsis futura
 pericula struunt. tunc cupiditates improbas ordinant. tunc
 quicquid aut metu aut pudore celabat, animus exponit.
 tunc audaciam acuit, libidinem irritat, iracundiam insti-
 gat. denique quod unum solitudo habet commodum, ni-
 hil ulli committere, non timere indicem, perit stulto. ipse
 se prodit: vide itaque, quid de te sperem, immo quid
 3 spondeam mihi: spes enim incerti boni nomen est: non
 inveno, cum quo te malim esse quam tecum. Repeto
 memoria, quam magno animo quaedam verba proieceris,
 quanti roboris plena. gratulatus sum protinus mihi et
 dixi: „non a summis labris ista venerunt, habent hae
 voces fundamentum. iste homo non est unus e populo,
 4 ad salutem spectat.“ Sic loquere, sic vive: vide ne te
ulla res deprimat. Votorum tuorum veterum licet deis
 gratiam facias, alia de integro suscipe: roga bonam men-
 tem, bonam valitudinem animi, deinde tunc corporis.
 quidni tu ista vota saepe facias? audacter deum roga:
 nihil illum de alieno rogaturus es.
 5 Sed ut more meo cum aliquo munusculo epistulam
 mittam, verum est, quod apud Athenodorum inveni:
 „Tunc scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eo
perveneris, ut nihil deum roges, nisi quod rogare possis
palam.“ nunc enim quanta dementia est hominum! tur-
 pissima vota dis insusurrant: si quis admoverit aurem,
 conticescent. et quod scire hominem nolunt, deo narrant.
 Vide ergo, ne hoc praecipii salubriter possit: „Sic vive
cum hominibus, tamquam deus videat: sic loquere cum
deo, tamquam homines audiant.“ Vale.

EPISTULA XI.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Locutus est mecum amicus tuus bonae indolis, in
 quo quantum esset animi, quantum ingenii, quantum iam

etiam profectus, sermo primus ostendit. dedit nobis gustum, ad quem respondebit. non enim ex praeparato locutus est, sed subito deprehensus. ubi se colligebat, verecundiam, bonum in adolescente signum, vix potuit excutere: adeo illi ex alto subfusus est rubor. hic illum, quantum suspicor, etiam cum se confirmaverit et omnibus vitiis exuerit, sapientem quoque sequetur. nullâ enim sapientiâ naturalia corporis aut animi vitia ponuntur: quicquid infixum et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur. Quibusdam etiam constantissimis in conspectu populi sudor erumpit, non aliter quam iatigatis et aestuantibus solet. quibusdam tremunt genua dicturis. quorundam dentes conliduntur, lingua titubat, abra concurrunt: haec nec disciplina nec usus umquam excutit, sed natura vim suam exercet et illo vitio sui etiam robustissimos admonet. Inter haec esse et ruborem scio, qui gravissimis quoque viris subitus adfunditur. magis quidem in iuvenibus adparet, quibus et plus caloris est et tenera frons. nihilominus et veteranos et senes tangit. Quidam numquam magis, quam cum erubuerint, timendi sunt, quasi omnem verecundiam effuderint. Sulla tunc erat violentissimus, cum faciem eius sanguis invaserat. nihil erat mollius ore Pompeii. numquam non coram pluribus rubuit, utique in concionibus. Fabianum, cum in senatum testis esset inductus, erubuisse memini, et hic illum mire pudor decuit. Non accidit hoc ab infirmitate mentis, sed a novitate rei, quae in exercitatos, etiamsi non conculit, movet naturali in hoc facilitate corporis pronos. nam ut quidam * boni sanguinis sunt, ita quidam incitati et mobilis et cito in os prodeuntis. Haec, ut dixi, nulla sapientia abigit: alioquin haberet rerum naturam sub imperio, si omnia eraderet vitia. Quaecumque adtribuit condicio nascendi et corporis temperatura, cum multum se diuque animus composuerit, haerebunt. Nihil horum vetari potest, non magis quam accersi. Artifices scenici, qui imitantur adfectus, qui metum et trepidationem exprimunt, qui tristitiam representant, hoc indicio imitantur verecundiam: deiciunt

[enim] voltum, verba submitunt, figunt in terram oculos et deprimunt. ruborem sibi exprimere non possunt: nec prohibetur hic nec adducitur. Nihil adversus haec sapientia promittit, nihil proficit: sui iuris sunt, iniussa veniunt, iniussa discedunt.

- 8 Iam clausulam epistula poscit. accipe, *et* quidem utilem ac salutarem, quam te adfigere animo volo: „Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus, et omnia tamquam illo vidente
9 faciamus.“ Hoc, mi Lucili, Epicurus praecepit. custodem nobis et paedagogum dedit, nec inmerito: magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis adsistit. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui non praesens tantum, sed etiam cogitatus emendat. O felicem, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque eius se componat atque ordinet! qui sic
10 aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige itaque Catonem: si hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum Laelium. elige eum, cuius tibi placuit et vita et oratio et ipse animum ante [se] ferens voltus: illum tibi semper ostende vel custodem vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant: nisi ad regulam prava non corriges. Vale.

EPISTULA XII.

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Quocumque me verti, argumenta senectutis meae video. Veneram in suburbanum meum et querebar de inpen-
sis aedificii dilabentis. ait vilicus mihi: non esse negligentiae suae vitium. omnia se facere, sed villam veterem esse. Haec villa inter manus meas crevit: quid mihi fu-
2 turum est, si iam putria sunt aetatis meae saxa? Iratus illi proximam stomachandi occasionem adripio. „adparet, inquam, has platanos neglegi: nullas habent frondes. quam nodosi sunt et retorridi rami, quam tristes et squalidi trunci! hoc non accideret, si quis has circumfoderet,

si inrigaret.“ Iurat per genium meum se omnia facere, in nulla re cessare curam suam, sed illas vetulas esse. Quod intra nos sit, ego illas posueram, ego illarum primum videram folium. Conversus ad ianuam: „quis est, 3 inquam, iste decrepitus et merito ad ostium admotus? foras enim spectat. unde istunc nactus es? quid te delectavit alienum mortuum tollere?“ At ille: „non cognoscis me? inquit: ego sum Felicio, cui solebas sigillaria adferre. ego sum Philositi vilici filius, deliciozum tuum.“ „Perfecte, inquam, iste delirat. pupulus etiam 4 delicium meum factus est? prorsus potest fieri: dentes illi cum maxime cadunt.“

Debeo hoc suburbano meo, quod mihi sene- 4 ctus mea, quocumque adverteram, adparuit: conplectamur illam et amemus: plena est voluptatis, si illa scias uti. Gratissima sunt poma, cum fugiunt. pueritiae maximus in exitu decor est. deditos vino potio extrema delectat, illa, quae mergit, quae ebrietati summam manum inponit. Quod in se iucundissimum 5 omnis voluptas habet, in finem sui differt. iucundissima est aetas devexa iam, non tamen praeceps. et illam quoque in extrema regula stantem iudico habere suas voluptates. aut hoc ipsum succedit in locum voluptatum, nullis egere. quam dulce est cupiditates fatigasse ac re- liquisse! „Molestum est, inquis, mortem ante oculos 6 habere.“ Primum ista tam seni ante oculos debet esse quam iuveni. non enim citamur ex censu. Deinde nemo iam senex est, ut inprobe unum diem speret. unus autem dies gradus vitae est. tota aetas partibus constat et orbis habet circumductos maiores minoribus: est aliquis, qui omnis conplectatur et cingat. hic pertinet a natali ad diem extremum. est alter, qui annos adolescentiae excludit. est qui totam pueritiam ambitu suo adstringit. est deinde per se annus in se omnia continens tempora, quorum multiplicatione vita componitur. mensis artiore praecingitur circulo. angustissimum habet dies gyrum, sed et hic ab initio ad exitum venit, ab ortu ad occasum. Ideo 7 Heraclitus, cui cognomen fecit orationis obscuritas, „unus

dies, inquit, *par omni est.*“ Hoc alius aliter exceptit: dixit enim parem esse hōris, nec mentitur. nam si dies est tempus viginti et quatuor horarum, necesse est omnes inter se dies pares esse, quia nox habet, quod dies perdidit. Alius ait parem esse unum diem omnibus similitudine: nihil enim habet longissimi temporis spatium, quod non et in uno die invenias, lucem et noctem et [in] alternas mundi vices: plura facit ista, non *alia*, alias contractior, alias productior. Itaque sic ordinandus est dies omnis, tamquam cogat agmen et consummet atque expleat vitam. Pacuvius, qui Syriam usu suam fecit, cum vino et illis funebribus epulis sibi parentaverat, sic in cubiculum ferebatur a coena, ut inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur: *βεβίωται! βεβίωται!*

9 nullo non se die extulit. Hoc, quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus et in somnum ituri laeti hilaresque dicamus:

vixi et, quem dederat cursum fortuna, peregi.

crastinum si adiecerit deus, laeti recipiamus. Ille beatissimus est et securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Quisquis dixit: vixi, cotidie ad lucrum surgit.

10 Sed iam debeo epistulam includere. „Sic, inquis, sine ullo ad me peculio veniet?“ Noli timere: aliquid secum fert. quare, aliquid dixi? multum. quid enim hac voce praeclarius, quam illi trado ad te perferendam? „Malum est in necessitate vivere: sed in necessitate vivere necessitas nulla est.“ Quidni nulla sit? patent undique ad libertatem viae multae breves, faciles. agamus deo gratias, quod nemo in vita teneri potest: calcare ipsas necessitates licet. „Epicurus, inquis, dixit. quid tibi cum alieno?“ Quod verum est, meum est. perseverabo Epicurum tibi ingerere, ut isti, qui in verba iurant, nec quid dicatur aestimant, sed a quo, sciant, quae optima sunt, esse communia. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER II.

EPISTULA I. (13.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Multum tibi esse animi scio. nam etiam antequam in- 1
strueres te praeceptis salutaribus et dura vincentibus,
satis adversus fortunam placebas tibi, et multo magis,
postquam cum illa manum conseruisti viresque expertus
es tuas, quae numquam certam dare fiduciam sui pos-
sunt, nisi cum multae difficultates hinc et illinc adparue-
runt, aliquando vero et propius accesserunt: sic verus
ille animus et in alienum non venturus arbitrium proba-
tur. haec eius obrussa^x est. Non potest athleta magnos 2
spiritus ad certamen adferre, qui numquam suggillatus¹
est: ille, qui sanguinem suum vidit, cuius dentes cre-
puere sub pugno, ille, qui supplantatus² adversarium toto
tulit corpore nec proiecit animum proiectus, qui quoti-
ens cecidit, contumacior resurrexit, cum magna spe de-
scendit ad pugnam. Ergo, ut similitudinem istam prose- 3
quar, saepe iam fortuna supra te fuit, nec tamen tradi-
disti te, sed subsiluisti et acrior constitisti. multum enim
adicit sibi virtus laecessita: tamen si tibi videtur, accipe
a me auxilia, quibus munire te possis. Plura 4
sunt, Lucili, quae nos terrent, quam quae premunt, et
saepius opinione quam re laboramus. Non loquor tecum
Stoica lingua, sed hac submissiore. nos enim dicimus
omnia ista, quae gemitus mugitusque exprimunt, levia
esse et contemnenda: omittamus haec magna verba, sed,
di boni, vera. (Illud tibi praecipio, ne sis miser ante
tempus, cum illa, quae velut imminetia expavisti, for-

- 5 tasse numquam ventura sint, certe non venerint.) Quaedam ergo nos magis torquent quam debent. quaedam ante torquent quam debent. quaedam torquent, cum omnino non debeant. aut augemus dolorem aut fingimus aut praecipimus. Primum illud, quia res in controversia est et litem contestatam habemus, in praesentia differatur. Quod ego leve dixerō, tu gravissimum esse contendes: scio alios inter flagella ridere, alios gemere sub colapho. Postea videbimus, utrum ista suis viribus valeant an inbecillitate nostra.
- 6 Illud praesta mihi, ut, quotiens circumsteterint, qui tibi te miserum esse persuadeant, non quid audias, sed quid sentias, cogites et cum patientia tua deliberes ac te ipse interroges, qui tua optime nosti: quid est, quare isti me conplorent? quid est, quod trepident, quod contagium quoque mei timeant, quasi transsilire calamitas possit? est aliquid istic mali, an res ista magis infamis est quam mala? Ipse te interroga: numquid sine causa crucior et moereo et
- 7 quod non est malum, facio? „Quomodo, inquis, intellegam, vana sint an vera, quibus angor?“ Accipe huius rei regulam: aut praesentibus torquemur aut futuris aut utrisque. de praesentibus facile iudicium est: si corpus tuum liberum est, sanum est, nec ullus ex iniuria dolor est: videbimus quid futurum sit. hodie nihil negotii habet.
- 8 „At enim futurum est.“ Primum dispice, an certa argumenta sint venturi mali. plerumque enim suspicionibus laboramus, et inludit nobis illa, quae conficere bellum solet, fama, multo autem magis singulos conficit. Ita est, mi Lucili: cito accedimus opinioni. non coarguimus illa, quae nos in metum adducunt, nec excutimus, sed trepidamus et sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos pulvis motus fuga pecorum exuit castris, aut quos
- 9 aliqua fabula sine auctore sparsa conterrit. Nescio quomodo magis vana perturbant. vera enim modum suum habent. quicquid ex incerto venit, coniecturae et paventis animi licentiae traditur. nulli itaque tam perniciosi, tam inrevocabiles quam lymphatici' metus sunt. ceteri

enim sine ratione, hi sine mente sunt. Inquiramus itaque 10
in rem diligenter. verisimile est aliquid futurum mali:
non statim verum est. quam multa non exspectata vene-
runt! quam multa exspectata numquam conparuerunt!
 Etiam si futurum est, quid iuvat dolori suo occurrere? sa-
 tis cito dolebis, cum venerit: interim tibi meliora pro-
 mitte. Quid facies lucri? tempus: multa intervenient, 11
 quibus vicinum [periculum] *et* prope admotum aut sub-
 sistat aut desinat aut in alienum caput transeat: incen-
 dium ad fugam patuit. quosdam molliter ruina deposuit.
 aliquando gladius ab ipsa cervice revocatus est. aliquis
 carnifici suo superstes fuit. Habet etiam mala fortuna
 levitatem. fortasse erit, fortasse non erit: interim non
 est. meliora propone. Nonnumquam nullis adparentibus 12
signis, quae mali aliquid pronuntient, animus sibi falsas
imagines fingit: aut verbum aliquod dubiae significatio-
nis detorquet in peius aut maiorem sibi offensam propo-
nit alicuius quam est, et cogitat non quam iratus ille sit,
 sed quantum liceat irato. nulla autem causa vitae est,
 nullus miseriarum modus, si timeatur quantum potest:
 hic prudentia prosit, hic robore animi evidentem quoque
 metum respue: si minus, vitio vitium repelle: spe me-
tum tempera. nihil tam certum est ex his, quae timen-
 tur, ut non certius sit et formidata subsidere et sperata
 decipere. Ergo spem ac metum examina, et quotiens in- 13
certa erunt omnia, tibi fave: crede quod mavis. si plures
 habes sententias metus, nihilominus in hanc partem po-
 tius inclina et perturbare te desine, ac subinde hoc in
 animo volve, maiorem partem mortalium, cum illi nec
 sit quicquam mali nec pro certo futurum sit, aestuare ac
 discurrere. nemo enim resistit sibi, cum coepit inPELLI,
 nec timorem suum redigit ad verum. nemo dicit: „vanus
 auctor est. haec aut fluxit aut credidit.“ damus nos rei
 ferendos. expavescimus dubia pro certis. non servamus
 modum rerum. statim in timorem venit scrupulus. Pudet 14
 me ibi sic tecum loqui et tam lenibus te remediis foci-
 lare. alius dicat: fortasse non veniet. tu dic: quid porro,
 si veniet? videbimus uter vincat. fortasse pro me venit.

(foras) m. m. c. f. l. h. m. m. a. g. f. m.

- et mors ipsa vitam honestabit: cicuta magnum Socratem [con]fecit. Catoni gladium adsertorem libertatis extorque,
 15 magnam partem detraxeris gloriae. Nimum diu te cohortor, cum tibi admonitione magis quam exhortatione opus sit. non in diversum te a natura tua ducimus: natus es ad ista, quae dicimus. eo magis bonum tuum auge et exorna.
- 16 Sed iam finem epistolae faciam, si illi signum suum inpressero, id est aliquam magnificam vocem perferendam ad te mandavero. „Inter cetera mala hoc quoque habet stultitia: semper incipit vivere.“ Considera quid vox ista significet, Lucili virorum optime, et intelleges, quam foeda sit hominum levitas cotidie
 nova vitae fundamenta ponentium, novas spes etiam in
 17 exitu inchoantium. Circumspice tecum singulos: occurrent tibi senes, qui se cum maxime ad ambitionem, ad peregrinationes, ad negotiandum parent. quid est turpius quam senex vivere incipiens? Non adicerem auctorem [huic] voci, nisi esset secretior nec inter volgata Epicuri dicta, quae mihi et laudare et adoptare permisi. Vale.

EPISTULA II. (14.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Fateor insitam esse nobis corporis nostri caritatem. fateor nos huius gerere tutelam. non nego indulgendum illi: serviendum nego. multis enim serviet, qui corpori servit, qui pro illo nimum timet, qui ad illud omnia re-
 2 fert. Sic gerere nos debemus, non tamquam propter corpus vivere debeamus, sed tamquam non possimus sine corpore. huius nos nimum amor timoribus inquietat, sollicitudinibus onerat, contumeliis obicit. honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. agatur eius diligentissime cura, ita tamen, ut cum exiget ratio, cum dignitas,
 3 cum fides, mittendum in ignes sit. Nihilominus, quantum possumus, evitemus incommoda quoque, non tantum pericula, et in tutum nos reducamus excogitantes subinde, quibus possint timenda de-

pelli. quorum tria, ni fallor, genera sunt: ti-
 metur inopia, timentur morbi, timentur quae
 per vim potentioris eveniunt. Ex his omnibus 4
 nihil magis nos concutit, quam quod ex aliena
potentia inpendet. magno enim strepitu et tumultu
 venit. naturalia mala quae retuli, inopia atque morbus,
 silentio subeunt nec oculis nec auribus quicquam terroris
 incutiunt: ingens alterius mali pompa est. ferrum circa
 se et ignes habet et catenas et turbam ferarum, quam in
 viscera inmittat humana. Cogita hoc loco carcerem et 5
 cruces et eculeos et uncum¹ et adactum per medium ho-
 minem, qui per os emergeret, stipitem² et distracta in
 diversum actis curribus membra, illam tunicam alimentis
 ignium et inlitam et textam, [et] quicquid aliud praeter
 haec commenta saevitia est. Non est itaque mirum, si 6
 maximus huius rei timor est, cuius et varietas magna et
 adparatus terribilis est. nam quemadmodum plus agit
 tortor, quo plura instrumenta doloris exposuit, specie
 enim vincuntur qui patientia restitissent: ita ex his, quae
 animos nostros subigunt et domant, plus proficiunt, quae
 habent quod ostendant. Illae pestes non minus graves
 sunt, famem dico et praecordiorum suppurationes¹ et febrem viscera ipsa torrentem. sed latent, nihil habent
 quod intentent, quod praeferant: haec ut magna bella
 adspectu paratuque vicerunt. Demus itaque operam, abs- 7
tineamus offensis. Interdum populus est, quem timere
 debeamus. interdum si ea civitatis disciplina est, ut plu-
 rima per senatum transigantur, gratiosi in eo viri. inter-
 dum singuli, quibus potestas populi et in populum data
 est. hos omnes amicos habere operosum est: satis est
inimicos non habere. Itaque sapiens numquam poten-
tium iras provocabit. immo declinabit, non aliter quam
in navigando procellam. Cum peteres Siciliam, traie- 8
 cisti fretum. temerarius gubernator contempsit austri mi-
 nas (ille est enim, qui Siculum pelagus exasperet et in
 vertices cogat). non sinistrum petit litus, sed id, quo
 propior Charybdis maria convolvit. at ille cautior peritos
 locorum rogat, quis aestus sit, quae signa dent nubes.

1 yabur
 2 phage

1 gulyon

longe ab illa regione verticibus infami cursum tenet. Idem facit sapiens: nocituram potentiam vitat, hoc primum cavens, ne vitare videatur. pars enim securitatis et in hoc est non ex professo eam [non] petere, quia, quae quis fugit, damnat. Circumspiciendum ergo nobis est, quomodo a volgo tuti esse possimus. Primum nihil idem concupiscamus: rixa est inter competitores. Deinde nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. quam minimum sit in corpore tuo spoliorum. Nemo ad humanum sanguinem propter ipsum venit, aut admodum pauci. plures computant quam oderunt. nudum latro transmittit. etiam in obsessa via pauperi pax est.

10 Tria deinde ex praecepto veteri praestanda sunt ut vitentur: odium, invidia, contemptus. Quomodo hoc fiat, sapientia sola monstrabit. difficile enim temperamentum est, verendumque, ne in contemptum nos invidiae timor transferat, ne dum calcere nolumus, videamur posse calcari. multis timendi adtulit causas timeri posse. Undique nos

11 reducamus: non minus contemni quam suspici nocet. Ad philosophiam ergo confugiendum est: hae literae, non dico apud bonos, sed apud mediocriter malos infularum loco sunt. nam forensis eloquentia et quaecumque alia populum movet, adversarios habet: haec quieta et sui negotii contemni non potest, cui ab omnibus artibus etiam apud pessimos honor est. Numquam in tantum convalescet nequitia, numquam sic contra virtutes coniurabitur, ut non philosophiae nomen venerabile et sacrum maneat. Ceterum philosophia ipsa tranquille modesteque

12 tractanda est. „Quid ergo? inquis, videtur tibi Marcus Cato modeste philosophari, qui bellum civile sententia reprimit? qui furentium principum armis medius intervenit? qui aliis Pompeium offendentibus aliis Caesarem

13 simul lacessit duos?“ Potest aliquis disputare an illo tempore capessenda fuerit sapienti respublica. Quid tibi vis Marce Cato? iam non agitur de libertate: olim pessumdata est. quaeritur, utrum Caesar an Pompeius possideat rempublicam: quid tibi cum ista contentione? nullae partes tuae sunt. dominus eligitur: quid tua, uter

vincat? potest melior vincere, non potest non peior esse, qui vicerit. Ultimas partes adtigi Catonis. sed nec priores anni fuerunt, qui sapientem in illam rapinam reipublicae admitterent: quid aliud quam vociferatus est Cato et misit inritas voces, cum modo per populi levatus manus et obrutus sputis¹ [et portandus] extra forum tra-heretur, modo e senatu in carcerem duceretur? Sed 14 postea videbimus, an sapienti opera perdenda sit: interim ad hos te [Stoicos] voco, qui a republica exclusi seceserunt ad colendam vitam et humano generi iura condenda sine ulla potentioris offensa. Non conturbabit sapiens publicos mores nec populum in se vitae novitate convertet. „Quid ergo? utique erit tutus, qui hoc propo-15 situm sequetur?“ Promittere tibi hoc non magis possum quam in homine temperanti bonam valitudinem: et tamen facit temperantia bonam valitudinem. Perit aliqua navis in portu: sed quid tu accidere in medio mari credis? quanto huic periculum paratius foret multa agenti molientique, cui ne otium quidem tutum est? Pereunt aliquando innocentes: quis negat? nocentes tamen saepius. Ars ei constat, qui per ornamenta percussus est. Denique 16 consilium rerum omnium sapiens, non exitum spectat. Initia in potestate nostra sunt: de eventu fortuna iudicat, cui de me sententiam non do. „At aliquid vexationis adfert, aliquid adversi.“ *** Non damnatur latro, cum occidit? ***

Nunc ad cotidianam stipem manum porrigis. Aurea 17 te stipe inplebo, et quia facta est auri mentio, accipe quemadmodum usus fructusque eius tibi esse gratior posit. „Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget.“ „Ede, inquis, auctorem.“ Ut scias quam benigni simus, propositum est aliena laudare: Epicuri est aut Metrodori aut alicuius ex illa officina. et quid interest quis dixerit? omnibus dixit. Qui 18 eget divitiis, timet pro illis. nemo autem sollicito bono fruitur: adicere illis aliquid studet. dum de incremento cogitat, oblitus est usus. rationes accipit, forum conterit, kalendarium versat, fit ex domino procurator. Vale.

EPISTULA III. (15.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Mos antiquis fuit usque ad meam servatus aetatem, primis epistolae verbis adicere: „*Si vales bene est, ego valeo*:“ recte nos dicimus: „*Si philosopharis, bene est.*“ valere autem hoc demum est. sine hoc aeger [est] animus. corpus quoque, etiamsi magnas habet vires, non
- 2 aliter quam furiosi aut phrenetici validum est. Ergo hanc praecipue validitudinem cura: deinde et illam secundam, quae non magno tibi constabit, si volueris bene valere. Stulta est enim, mi Lucili, et minime conveniens literato viro occupatio exercendi lacertos et dilatandi cervicem ac latera firmandi: cum tibi feliciter sagina cesserit et tori creverint, nec vires unquam optimi bovis nec pondus aequabis. adice nunc, quod maiore corporis sarcina animus eliditur et minus agilis est. itaque quantum potes, circumscribe corpus tuum et
- 3 animo locum laxa. Multa sequuntur incommoda huic deditos curae: primum exercitationes, quarum labor spiritum exhaurit et inhabilem intentioni ac studiis acrioribus reddit. deinde copia ciborum subtilitas inpeditur. accedunt pessimae notae mancipia in magisterium recepta, homines inter oleum et vinum occupati, quibus ad votum dies est actus, si bene desudaverunt, si in locum eius, quod effluxit, multum potionis altius ieiunio iturae regesserunt. Bibere et sudare vita cardiaci est.
- 4 Sunt exercitationes et faciles et breves, quae corpus et sine mora lassent et tempori parcant, cuius praecipua ratio habenda est: cursus et cum aliquo pondere manus motae et saltus vel ille, qui corpus in altum levat, vel ille, qui in longum mittit, vel ille, ut ita dicam, saliaris aut, ut contumeliosius dicam, fulionius: quod libet ex his elige. usu redde facile. Quicquid facies, cito redi a corpore ad animum: illum noctibus ac diebus exerce. labore modico alitur ille. hanc exercitationem non frigus, non aestus inpediet, ne senectus quidem. Id bonum cura, quod vetustate fit melius.

Neque ego te iubeo semper inminere libro aut pugillari- 6
 bus: dandum et aliquod intervallum animo, ita tamen ut
 non resolvatur, sed remittatur. Gestatio et corpus con-
 cutit, et studio non obficit: possis legere, possis dictare,
 possis loqui, possis audire, quorum nihil ne ambulatio
 quidem vetat fieri. Nec tu intentionem vocis contempse- 7
 ris, quam veto te per gradus et certos modos extollere,
 deinde deprimere. †† quid ergo? a clamore protinus et
 a summa contentione vox tua incipiet? usque eo naturale
 est paulatim incitari, ut litigantes quoque a sermone in-
cipiant, ad vociferationem transeant: nemo statim Quiri-
tium fidem inplorat. Ergo utcumque inpetus tibi animi 8
 suaserit, modo vehementius fac vicinis convicium, modo
 lentius, prout vox quoque te hortabitur et latus. mo-
 desta, cum recipies illam revocarisque, descendat, non
 decidat. moderatoris sui temperamentum habeat nec in-
 docto et rustico more desaevia. non enim id agimus, ut
 exerceatur vox, sed ut exerceat. † Quid si velis deinde 9
 quemadmodum ambules discere? admitte istos, quos
 nova artificia docuit fames: erit qui gradus tuos tem-
 peret et buccas edentis observet et in tantum procedat, *Lashon*
 in quantum audaciam eius patientia et credulitate pro-
 duxeris. †

Detraxi tibi non pusillum negotii: una mercedula et 10
 munus graecum ad haec beneficia accedet. ecce insigne
 praeceptum: „Stulta vita ingrata est et trepida.
tota in futurum fertur. „Quis, inquis, dicit?“
 idem qui supra. Quam tu nunc vitam dici existimas stul-
 tam? Babae et Isionis? non ita est: nostra dicitur, quos
 caeca cupiditas in nocitura, certe numquam satiatura
 praecipitat, quibus si quid satis esse posset, fuisset, qui
 non cogitamus, quam iucundum sit nihil poscere,
quam magnificum sit plenum esse nec ex fortuna pendere.
 Subinde itaque, Lucili, quam multa sis consecutus re- 11
 cordare. cum adspexeris, quot te antecedant, cogita,
 quot sequantur. si vis gratus esse adversus deos et ad-
 versus vitam tuam, cogita, quam multos antecesseris.
 quid tibi cum ceteris? te ipse antecessisti. Finem con- 12

stítue, quem transire ne possis quidem, si velis: discedant aliquando ista insidiosa bona et sperantibus meliora quam adsecutis. si quid in illis esset solidi, aliquando et implerent: nunc haurientium sitim concitant. mutantur speciosi adparatus. et quid futuri temporis incerta sors volvit? quare potius a fortuna inpetrem, ut det, quam a me, ne petam? quare autem petam? oblitus fragilitatis humanae congeram? in quid laborem? ecce hic dies ultimus est. ut non sit: prope ab ultimo est. Vale.

EPISTULA IV. (16.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Liquere hoc tibi, Lucili, scio, neminem posse beate vivere, ne tolerabiliter quidem, sine sapientiae studio et beatam vitam perfecta sapientia effici, ceterum tolerabilem etiam inchoata. sed hoc, quod liquet, firmandum et altius cotidiana meditatione figendum est: plus operis est in eo, ut proposita custodias, quam ut honesta proponas. perseverandum est et adsiduo studio robur addendum, donec bona mens sit, quod
- 2 bona voluntas est. Itaque [*non opus est*] tibi apud me pluribus verbis *ut* adfirmantis nec tam longis: intellego te multum profecisse. quae scribis, unde veniant, scio: non sunt ficta nec colorata. dicam tamen sententiam: [quod] iam de te spem habeo, nondum fiduciam. tu quoque idem facias volo: non est, quod tibi cito et facile credas. excute te et varie scrutare et observa: illud ante omnia vide, utrum in philosophia an in ipsa vita profeceris.
- 3 Non est philosophia populare artificium nec ostentationi paratum. non in verbis, sed in rebus est. nec in hoc adhibetur, ut [cum] aliqua oblectatione consumatur dies, ut dematur otio nausia: animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat, sedet ad gubernaculum et per ancipitia fluctuantium dirigit cursum. sine hac nemo intrepide potest vivere, nemo secure: innumerabilia accidunt singulis horis, quae consilium exigant, quod

ab hac petendum est. Dicit aliquis: „Quid mihi prodest 4
 philosophia, si fatum est? quid prodest, si deus rector
 est? quid prodest, si casus imperat? nam et mutari certa
 non possunt et nihil praeparari potest adversus incerta,
 sed aut consilium meum occupavit deus decrevitque quid
 facerem, aut consilio meo nil fortuna permittit[ur].“ Quic- 5
 quid est ex his, Lucili, vel si omnia haec sunt, philoso-
 phandum est: sive nos inexorabili lege fata constringunt,
 sive arbiter deus universi cuncta disponit, sive casus res
 humanas sine ordine inpellit et iactat, philosophia nos
 tueri debet. haec adhortabitur, ut deo libenter pareamus,
 fortunae contumaciter. haec docebit, ut deum se-
 quaris, feras casum. Sed non est nunc in hanc disputa- 6
 tionem transeundum, quid sit iuris nostri, si providentia
 in imperio est, aut si fatorum series inligatos trahit, aut
 si repentina ac subita dominantur: illo nunc revertor, ut
 te moneam et exhorter, ne patiaris inpetum animi tui de-
 labi et refrigescere. contine illum et constitue, ut habitus
animi fiat, quod est inpetus.

Iam ab initio, si te bene novi, circumspicies, quid 7
 haec epistula munusculi adtulerit: excute illam et invenies.
 Non est, quod mireris animum meum: adhuc de alieno liberalis sum.
 quare autem alienum dixi? quicquid bene dictum est ab ullo, meum est.
 sicut quod ab Epicuro dictum est: „Si ad naturam vives, numquam eris
 pauper: si ad opiniones, numquam eris dives.“
Exiguam natura desiderat, opinio immensum. congeratur 8
 in te quicquid multi locupletes possederant. ultra privatum
 pecuniae modum fortuna te provehat, auro tegat, purpuram
 vestiat, eo deliciarum opumque perducatur, ut terram marmoribus
 abscondas. non tantum habere tibi liceat, sed calcare divitias.
 accedant statuae et picturae et quicquid ars ulla luxuriae
 elaboravit: maiora cupere ab his discas. Naturalia desideria finita sunt: ex falsa 9
opinione nascentia ubi desinant, non habent. nullus enim
 terminus falso est. viam eunti aliquid extremum est: error
immensus est. Retrahe [ergo] te a vanis, et cum voles
 scire, quod petes, utrum naturalem habeat an caecam

cupiditatem, considera, num possit alicubi consistere: si longe progresso semper aliquid longius restat, scito id naturale non esse. Vale.

EPISTULA V. (17.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Proice omnia ista, si sapis, immo ut sapias, et ad bonam mentem magno cursu ac totis viribus tende. si quid est, quo tenēris, aut expēdi aut incide. „Moratur, inquis, me res familiaris: sic illam disponere volo, ut sufficere nihil agenti possit, ne aut
- 2 paupertas mihi oneri sit aut ego alicui.“ Cui hoc dicis, non videris vim ac potentiam eius, de quo cogitas, boni nosse. et summam quidem rei pervides, quantum philosophia prosit, partes autem nondum satis subtiliter dispicis, nec dum scis, quantum ubique nos adiuvet, quemadmodum et in maximis, ut Ciceronis utar verbo, opituletur, *et* in minima descendat. Mihi crede, advoca illam in consilium: suadebit tibi, ne ad calculos sedeas.
- 3 Nempe hoc quaeris et hoc ista dilatione vis consequi, ne tibi paupertas timenda sit: quid si adpetenda est? Multis ad philosophandum obstiterē divitiae: paupertas expedita est, segura est. Cum classicum cecinit, scit non se peti. cum aliqua conclamatio est, quomodo exeat, non quid efferat, quaerit. aut si navigandum est, non strepunt portus nec unius comitatu inquieta sunt litora. non circumstat illam turba servorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est
- 4 optanda fertilitas. facile est pascere paucos ventres et bene institutos et nihil aliud desiderantes quam impleri. parvo fames constat, magno fastidium. paupertas contenta est desideriiis instantibus satisfacere. quid est ergo, quare hanc recuses contubernalem, cuius mores sanus
- 5 dives imitatur? Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet aut pauperi similis. non potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas voluntaria est. tolle itaque istas excusationes: „nondum habeo, quantum sat est. si ad illam summam pervenero.

tunc me totum philosophiae dabo.“ atqui nihil prius quam hoc parandum est, quod tu differs et post cetera paras: ab hoc incipiendum est. „Parare, inquis, unde vivam volo.“ Simul et te parare disce: si quid te vetat bene vivere, bene mori non vetat. Non est, quod paupertas nos a 6 philosophia revocet, ne egestas quidem. toleranda est enim ad hoc properantibus vel fames, quam tolerare quidam in obsidionibus. et quod aliud erat illius patientiae praemium quam in arbitrium non cadere victoris? quanto hoc maius est, quo promittitur perpetua libertas, nullius nec hominis nec dei timor: et quidem vel esurienti ad ista veniendum est. Perpersi sunt exercitus 7 inopiam omnium rerum, vixerunt herbarum radicibus et dictu foedius tulerunt famem. haec omnia passi sunt pro regno, quoque magis mireris, alieno: dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut animum furoribus liberet? Non est ergo prius adquirendum: licet ad philosophiam etiam sine viatico pervenire. Ita est? cum omnia habueris, 8 tunc habere et sapientiam voles? haec erit ultimum vitae instrumentum et, ut ita dicam, additamentum? Tu vero sive aliquid habes: iam philosophare. unde enim scis, an iam nimis habeas? sive nihil: hoc prius quaere quam quicquam. „At necessaria deerunt.“ Primum deesse 9 non poterunt, quia natura minimum petit. naturae autem se sapiens adcommodat. Sed si necessitates ultimae inciderunt, iamdudum exiet e vita et molestus sibi esse desinet. Si vero exiguum erit et angustum, quo possit vita produci, id boni consulet nec ultra necessaria sollicitus aut anxius ventri et scapulis suum reddet et occupationes divitum concursationesque ad divitias euntium securus laetusque ridebit ac dicet: „quid in longum ipse te 10 differs? exspectabisne fenoris quaestum aut ex merce compendium aut tabulas beati senis, cum fieri possis statim dives? repraesentat opes sapientia, quas cuicumque fecit supervacuas, dedit.“ Haec ad alios pertinent: tu locupletibus propior es. seculum muta, nimis habes. idem autem omni seculo, quod sat est.

Poteram hoc loco epistolam claudere, nisi te male in- 11

stituissem. reges Parthos non potest quisquam salutare sine munere: tibi valedicere non licet gratis. Quid istic? ab Epicuro mutuam sumam: „Multis parasse divitias non finis miseriarum fuit, sed mutatio.“

- 12 Non hoc miror. non est enim in rebus vitium, sed in ipso animo. illud, quod paupertatem nobis gravem fecerat, et divitias graves fecit. Quemadmodum nihil differt, utrum aegrum in ligneo lecto an in aureo conloces: quocumque illum transtuleris, morbum secum suum transferet: sic nihil refert, utrum aeger animus in divitiis an in paupertate ponatur. malum suum illum sequitur. Vale.

EPISTOLA VI. (18.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 December est mensis: cum maxime civitas sudat. ius luxuriae publicae datum est. ingenti adparatu sonant omnia, tamquam quicquam inter Saturnalia intersit et dies rerum agendarum: adeo nihil interest, ut non videatur mihi errasse, qui dixit: olim mensem Decembrem
- 2 fuisse, nunc annum. Si te hic haberem, libenter tecum conferrem, quid existimares esse faciendum: utrum nihii ex cotidiana consuetudine movendum, an, ne dissidere videremur cum publicis moribus, et hilarius coenandum et exuendam togam. nam quod fieri nisi in tumultu et tristi tempore civitatis non solebat, voluptatis causa ac festorum
- 3 dierum vestem mutavimus. Si te bene novi, arbitri partibus functus nec per omnia nos similes esse pileatae turbae voluisses nec per omnia dissimiles: nisi forte his maxime diebus animo imperandum est, ut tunc voluptatibus solus abstineat, cum in illas omnis turba procubuit: certissimum [enim] argumentum firmitatis suae capit, si ad blanda et in luxuriam trahentia nec it nec abducitur.
- 4 Hoc multo fortius est, ebrio ac vomitante populo siccum ac sobrium esse. illud temperatius, non excerpere se nec insigniri nec misceri omnibus et eadem, sed non eodem modo facere: licet enim sine luxuria agere festum diem.
- 5 Ceterum adeo mihi placet temptare animi tui firmitatem, ut ex praecepto magnorum virorum tibi quoque praeci-

piam: interponas aliquot dies, quibus conten-
 tus minimo ac vilissimo cibo, dura atque hor-
 rida veste dicas tibi: „hoc est quod timeba-
 tur?“ In ipsa securitate animus ad difficilia se praeparet 6
 et contra iniurias fortunae inter beneficia firmetur. Miles
 in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum iacit et su-
 pervacuo labore lassatur, ut sufficere necessario possit.
 quem in ipsa re trepidare nolueris, ante rem exerce. Hoc
 secuti sunt, qui omnibus mensibus paupertatem imitati
 prope ad inopiam accesserunt, ne unquam expavesce-
 rent, quod saepe didicissent. Non est nunc quod existi- 7
 mes me dicere *Timoneas* coenas et pauperum cellas, et
 quicquid aliud est, per quod luxuria divitiarum taedio lud-
 dit: grabatus ille verus sit et sagum² et panis durus ac
 sordidus. hoc triduo et quadriduo fer, interdum pluribus
 diebus, ut non lusus sit, sed experimentum: tunc, mihi
 crede, Lucili, exsultabis dipondio³ satur et intelleges ad
 securitatem non opus esse fortuna: hoc enim, quod nec-
 cessitati sat est, dat et irata. Non est tamen, quare tu 8
 multum tibi facere videaris. facies enim, quod multa mi-
 lia servorum, multa milia pauperum faciunt: illo nomine
 et suspice, quod facies non coactus, quod tam facile erit
 tibi illud pati semper quam aliquando experiri. Exerceamur
 ad palum⁴ et ne inparatos fortuna deprehendat, fiat
 nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, si
scierimus, quam non sit grave pauperes esse. Certos ha- 9
 cebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus ma-
 ligne famem exstingeret, visurus, an aliquid deesset ex
 plena et consummata voluptate, vel quantum deesset, et
 an dignum, quod quis magno labore pensaret. hoc certe
 in his epistulis ait, quas scripsit Charino magistratu ad
 Polyaeum: et quidem gloriatur non toto asse pasci: Me-
 trodorum, qui nondum tantum profecerit, toto. In hoc tu 10
 victu saturitatem putas esse? et voluptas est. voluptas
 autem non illa levis et fugax et subinde reficienda, sed
 stabilis et certa. non enim iucunda res est aqua et po-
 lenta aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas
 est posse capere etiam ex his voluptatem et ad id se de-

1. Prigab.
 2. r. n. f. p.
 Manu.

3. 3. 2. 2. 2.

4. p. 2. 2.
 f. l. g. 2. 2. 2.
 p. 2. 2. 2. 2. 2.

5. 2. 2. 2. 2.

- 11 duxisse, quod eripere nulla fortunae iniquitas possit. Liber[at]iora alimenta sunt carceris: sepositos ad capitale supplicium non tam anguste, qui occisurus est, pascit: quanta est animi magnitudo ad id sua sponte descendere, quod ne ad extrema quidem decretis timendum sit! hoc
- 12 est praeoccupare tela fortunae. Incipe ergo, mi Lucili, sequi horum consuetudinem et aliquos dies destina, quibus secedas a tuis rebus minimoque te facias familiarem. incipe cum paupertate habere commercium:

Aude, hospes, contemnere opes et te quoque dignum finge deo.

- 13 Nemo alius est deo dignus quam qui opes contempsit. quarum possessionem tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepide possideas: quod uno consequeris modo, si te etiam sine illis beate victurum persuaseris tibi, si illas tanquam exituras semper adspexeris.

- 14 Sed iam incipiamus epistulam complicare. „Prius, inquis, redde quod debes.“ Delegabo te ad Epicurum. ab illo fiet numeratio: „Inmodica ira gignit insaniam.“ Hoc quam verum sit, necesse est scias, cum habueris et
- 15 servum et inimicum. In omnes personas hic exardescit adfectus. tam ex amore nascitur quam ex odio, non minus inter seria quam inter lusus et iocos. nec interest, ex quam magna causa nascatur, sed in qualem perveniat animum. Sic ignis non refert quam magnus, sed quo incidat. nam etiam maximum solida non receperunt. rursus arida et corripit facilia scintillam quoque foveat usque in incendium. Ita est, mi Lucili, ingentis irae exitus furor est, et ideo ira vitanda est non moderationis causa, sed sanitatis. Vale.

EPISTULA VII. (19.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Exsulto, quotiens epistulas tuas accipio. implent enim me bona spe et iam non promittunt de te, sed spondent. Ita fac, oro atque obsecro. (quid enim habeo melius, quod amicum rogem, quam quod pro ipso rogaturus

sum?) si potes, subduc te istis occupationibus. si minus, eripe. satis multum temporis sparsimus: incipiamus vasa in senectute colligere. Numquid invidio-² sum est? in freto viximus, moriamur in portu. neque ego suaserim tibi nomen ex otio petere, quod nec iactare debes nec abscondere. numquam enim usque eo te abigam generis humani furore damnato, ut latebram tibi aliquam parari oblivione velim: id age, ut otium tuum non emineat, sed adpareat. Deinde videbunt de isto, qui-³ bus integra sunt et prima consilia, an velint vitam per obscurum transmittere: tibi liberum non est: in medium te protulit ingenii vigor, scriptorum elegantia, clarae et nobiles amicitiae. iam notitia te invasit. ut in extrema mergaris ac penitus recondaris, tamen priora monstrabunt. Tenebras habere non potes. sequetur, quocumque⁴ fugeris, multum pristinae lucis: quietem potes vindicare sine desiderio aut morsu animi tui. Quid enim relinques, quod invitus relictum a te possis cogitare? clientes? quorum nemo te ipsum sequitur, sed aliquid ex te. [amicos?] amicitia olim petebatur, nunc praeda: mutabunt testamenta destituti senes. migrabit ad aliud limen saluator. Non potest parvo res magna constare: aestima, utrum te relinquere an aliquid ex tuis malis. Utinam qui-⁵ dem tibi senescere contigisset intra natalium tuorum modum, nec te in altum fortuna misisset: tulit te longe a conspectu vitae salubris. rapida felicitas, provincia et procuratio, et quicquid ab istis promittitur: maiora deinde ^{2. m.} *divitiarum* officia te excipient et ex aliis alia. Quis exitus erit? quid⁶ [ex]spectas, donec desinas? habere, quod cupias, numquam erit tempus. Qualem dicimus seriem esse causarum, ex quibus nectitur fatum, talem esse cupiditatum: altera ex finē alterius nascitur: in eam demissus es vitam, quae numquam tibi terminum miseriarum ac servitutis ipsa factura sit. Subduc cervicem iugo tritam: semel illam incēdi quam semper premi satius est. Si te ad privata⁷ retuleris, minora erunt omnia, sed affatim inplebunt: at nunc plurima et undique ingesta non satiant. utrum autem mavis ex inopia saturitatem an in copia famem? et

- avida felicitas est et alienae aviditati exposita. quamdiu
 8 tibi satis nihil fuerit, ipse aliis non eris. „Quomodo, in-
 quis, exhibeo?“ Utrumque cogita, quam multa temere
 pro pecunia, quam multa laboriose pro honore tempta-
 veris: aliquid et pro otio audendum est, aut in ista sol-
 licitudine procurationum et deinde urbanorum officiorum
 senescendum in tumultu ac semper novis fluctibus, quos
 effugere nulla modestia, nulla vitae quiete contigit. quid
 enim ad rem pertinet, an tu quiescere velis? fortuna tua
 non vult. quid si illi etiam nunc permiseris crescere?
 quantum ad successus accesserit, accedet ad metus.
- 9 Volo tibi hoc loco referre dictum Maecenatis: vera in
 ipso eculeo docuit: „ipsa enim altitudo attonat summa.“
 si quaeris, in quo libro dixerit: in eo, qui Promē-
 theus inscribitur. hoc voluit dicere, attonita habet
summa. Est ergo tanti ulla potentia, ut sit tibi tam ebrius
 sermo? Ingeniosus vir ille fuit, magnum exemplum Ro-
 manae eloquentiae daturus, nisi illum enervasset felicitas,
 immo castrasset: hic te exitus manet, nisi iam contrahas
 vela, nisi, quod ille sero voluit, terram leges.
- 10 Poteram tecum hac Maecenatis sententia parem facere
 rationem. sed movebis mihi controversiam, si novi te,
 nec voles quod debeo, in aspero et improbo accipere. ut
 se res habet, ab Epicuro versura facienda est. „Ante,
inquit, circumspiciendum est, cum quibus edas
et bibas, quam quid edas et bibas. nam sine
- 11 amico visceratio leonis ac lupi vita est.“ Hoc
 non continget tibi, nisi secesseris: alioquin habebis con-
 vivas, quos ex turba salutantium nomenclator digesserit.
 errat autem, qui amicum in atrio quaerit, in convivio probat.
 Nullum habet maius malum occupatus homo et bonis suis
 obsessus, quam quod amicos sibi putat, quibus ipse non
 est, quod beneficia sua efficacia iudicat ad conciliandos
 amicos, cum quidam, quo plus debent, magis oderint:
- 12 leve aes alienum debitorem facit, grave inimicum. „Quid
 ergo? beneficia non parant amicitias?“ parant, si ac-
 cepturos licuit eligere, si conlocata, non sparsa sunt.
 Itaque dum incipis esse mentis tuae, interim hoc consilio

sapientum utere, ut magis ad rem existimes pertinere, quis, quam quid acceperit. Vale.

EPISTULA VIII. (20.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Si vales et te dignum putas, qui aliquando fias tuus, 1 gaudeo. mea enim gloria erit, si te istinc, ubi sine spe exeundi fluctuaris, extraxero. illud autem te, mi Lucili, rogo atque hortor, ut philosophiam in praecordia ima demittas et experimentum profectus tui capias non oratione nec scripto, sed animi firmitate, [et] cupiditatum diminutione: verba rebus proba. Aliud propositum 2 est declamantibus et adsensionem coronae captantibus, aliud his, qui iuvenum et otiosorum aures disputatione varia aut volubili detinent: facere docet philosophia, non dicere, et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, non orationi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita [concinat, non varii et alius, quam quem illa] iussit, omnium actionum dissensione coloris sit. maximum hoc est et officium sapientiae et indicium, ut verbis opera concordent, ut ipse ubique par sibi idemque sit. „Quis hoc praestabit?“ Pauci, aliqui tamen. est enim difficile [hoc]: nec hoc dico, sapientem uno semper iturum gradu, sed una via. Observa itaque, numquid vestis tua domusque 3 dissentiant, numquid in te liberalis sis, in tuos sordidus, numquid coenes frugaliter, aedifices luxuriose. Unam semel ad quam vivas regulam prende et ad hanc omnem vitam tuam exaequa. Quidam se domi contrahunt, dilatant foris et extendunt: vitium est haec diversitas et signum vacillantis animi ac nondum habentis tenorem suum. Etiamnunc dicam, unde sit ista inconstantia et dissimi- 4 litudo rerum consiliorumque: nemo proponit sibi, quid velit, nec, si proposuit, perseverat in eo, sed transsilit. nec tantum mutat, sed redit et in ea, quae deseruit ac damnavit, revolvitur. Itaque ut relinquam definitio- 5 nes sapientiae veteres et totum conplectar humanae vitae modum, hoc possum contentus esse: quid est sa-

pientia? semper idem velle atque idem nolle.
 licet illam exceptiunculam non adicias, ut rectum sit,
 quod velis: non potest enim cuiquam idem semper pla-
 6 cere nisi rectum. Nesciunt ergo homines, quid velint,
 nisi illo momento, quo volunt: in totum nulli velle aut
 nolle decretum est. variatur cotidie iudicium et in con-
 trarium vertitur ac plerisque agitur vita per lusum. Preme
 ergo quod coepisti: et fortasse perduceris aut ad sum-
 mum aut eo, quod summum nondum esse solus intelle-
 7 gas. „Quid fiet, inquis, huic turbae familiari?“ Turba
 ista cum a te pasci desierit, ipsa se pascet, aut quod tu
 beneficio tuo non potes scire, paupertatis scies: illa ve-
 ros certosque amicos retinebit: discedet quisquis non te,
 sed aliud sequebatur. non est autem vel ob hoc unum
 amanda paupertas, quod, a quibus ameris, ostendet?
 O quando ille veniet dies, quo nemo in honorem tuum
 8 mentiatur! Huc ergo cogitationes tuae tendant, hoc cura,
 hoc opta, omnia alia vota deo remissurus, ut contentus
sis temet ipso et ex te nascentibus bonis. quae potest
 esse felicitas propior? Redige te ad parva, ex quibus
 cadere non possis, idque ut libentius facias, ad hoc per-
 tinebit tributum huius epistulae, quod statim conferam.
 9 Invidias licet: etiamnunc libenter pro me dependet
 Epicurus. „Magnificentior, mihi crede, sermo
 tuus in grabato videbitur et in panno. non
 enim dicentur tantum illa, sed probabuntur.“
 Ego certe aliter audio, quae dicit Demetrius noster, cum
 illum vidi nudum, quanto minus quam in stramentis, in-
 10 cubantem: non praeceptor veri, sed testis est. „Quid
 ergo? non licet divitias in sinu positas contemnere?“
 quidni liceat? et ille ingentis animi est, qui illas circum-
 fusas sibi, multum diuque miratus, quod ad se venerint,
 ridet suasque audit magis esse quam sentit. Multum est
non corrumpi divitiarum contubernio. magnus ille, qui
 11 in divitiis pauper est. „Nescio, inquis, quomodo pau-
 pertatem iste laturus sit, si in illam inciderit.“ nec ego,
 Epicuri *an* aemulus iste pauper contempturus sit divitias,
 si in illas inciderit: itaque in utroque mens aestimanda

est inspiciendumque, an ille paupertati indulgeat, an hic divitiis non indulgeat: alioquin leve argumentum est bonae voluntatis grabatus aut pannus, nisi adparuit aliquem illa non necessitate pati, sed malle. Ceterum magnae¹² indolis est ad ista non properare tamquam meliora, sed praeparari tamquam ad facilia. et sunt, Lucili, facilia: cum vero multo ante meditatus accesseris, iucunda quoque. inest enim illis, sine qua nihil est iucundum, securitas. Necessarium ergo iudico, id quod tibi scripsi¹³ magnos viros saepe fecisse, aliquos dies interponere, quibus nos imaginaria paupertate exerceamus ad veram. quod eo magis faciendum est, quod deliciis permadimus et omnia dura ac difficilia iudicamus: potius excitandus e somno et vellicandus est animus admonendusque naturam nobis minimum constituisse. Nemo nascitur dives. quisquis exit in lucem, iussus est lacte et panno esse contentus: ab his initiis nos regna non capiunt. Vale.

EPISTULA IX. (21.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Cum istis tibi esse negotium iudicas, de quibus scrip-¹ seras? maximum negotium tecum habes. tu tibi molestus es: quid velis nescis. melius probas honesta quam sequeris. vides, ubi sit posita felicitas, sed ad illam pervenire non audes. quid sit autem, quod te inpediat, quia parum ipse dispicis, dicam: magna esse haec existimas, quae relicturus es, et cum proposuisti tibi illam securitatem, ad quam transiturus es, retinet te huius vitae, a qua recessurus es, fulgor tamquam in sordida et obscura casurum. Er-² ras, Lucili: ex hac vita ad illam adscenditur. quod interest inter splendorem et lucem, cum haec certam originem habeat ac suam, ille niteat alieno, hoc inter hanc vitam et illam: haec fulgore extrinsecus veniente percussa est, crassam illi statim umbram faciet, quisquis obstiterit: illa suo lumine inlustris est. studia te tua clarum et nobilem efficient. Exemplum Epicuri³

referam: cum Idomeneo scriberet et illum a vita speciosa ad fidelem stabilemque gloriam revocaret rigidae tunc potentiae ministrum et magna tractantem: „Si gloriâ, inquit, tangeris, notio^rem epistulae meae te facient quam
 4 omnia ista, quae colis et propter quae coleris.“ Numquid ergo mentitus est? quis Idomeneae nosset, nisi Epicurus illum suis literis incidisset? omnes illos megistas et satrapas et regem ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatur, oblivio alta subpressit. Nomen Attici perire Ciceronis epistulae non sinunt: nihil illi profuisset gener Agrippa et Tiberius progener et Drusus Caesar pronepos: inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum ad
 5 plicuisset. Profunda supra nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exserent et in idem quandoque silentium abitura oblivioni resistent ac se diu vindicabunt. Quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili. habeo apud posteros gratiam, possum mecum duratura nomina educere. Vergilius noster duobus memoriam aeternam promisit et praestat:

*Fortunati ambo: si quid mea carmina possunt,
 nulla dies umquam memori vos eximet aeo,
 dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
 adcolet imperiumque pater Romanus habebit.*

6 Quoscumque in medium fortuna protulit, quicumque membra ac partes alienae potentiae fuerant, horum gratia viguit, domus frequentata est, dum ipsi steterunt. post ipsos cito memoria defecit: ingeniorum crescit dignatio nec ipsis tantum honor habetur, sed quicquid illorum memoriae adhaesit, excipitur.

7 Ne gratis Idomeneus in epistulam meam venerit, ipse eam de suo redimet. ad hunc Epicurus illam nobilem sententiam scripsit, qua hortatur, ut Pythoclea locupletem non publicâ nec ancipiti viâ faciat. „Si vis, inquit, Pythoclea divitem facere, non pecuniae adiciendum, sed cupiditati detrahendum est.“

8 Et apertior ista sententia est quam ut interpretanda sit, et disertior quam ut adiuvanda: hoc unum te admoneo, ne istud tantum existimes de divitiis dictum. quocumque

transtuleris, idem poterit: si vis Pythoclea honestum facere, non honoribus adiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. si vis Pythoclea esse in perpetua voluptate, non voluptatibus adiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. si vis Pythoclea senem facere et implere vitam, non annis adiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Has voces non est quod Epicuri esse iudices: 9 publicae sunt. Quod fieri in senatu solet, faciendum ego in philosophia quoque existimo: cum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, iubeo illum dividere sententiam et sequor. Pro[inde] eo libentius Epicuri egregia dicta commemoro, ut isti, qui ad illa confugiunt spe mala inducti, qui velamentum ipsos vitiorum suorum habituros existimant, probent, quocumque ierint, honeste esse vivendum. Cum adieris hortulos et inscriptum hortulis: 10

HOSPES, HIC BENE MANEBIS, HIC SUMMUM BONUM VOLUPTAS EST: paratus erit istius domicilii custos, hospitalis, humanus, et te polenta excipiet et aquam quoque large ministrabit et dicet: „ecquid bene acceptus es? non inritant, inquit, hi hortuli famem, sed exstinguunt. nec maiorem ipsis potionibus sitim faciunt, sed naturali et gratuito remedio sedant. in hac voluptate consenui.“

De his tecum desideriis loquor, quae consolationem non 11 recipiunt, quibus dandum est aliquid, ut desinant: nam de illis extraordinariis, quae licet differre, licet castigare et obprimere, hoc unum commonefaciam: ista voluptas naturalis est, necessaria. huic nihil debes: si quid inpendis, voluntarium est. venter praecepta non audit. poscit, adpellat. non est tamen molestus creditor: parvo dimittitur, si modo das illi, quod debes, non quod potes. Vale.

L. ANNAEI SENECAE
AD LUCILIUM
EPISTULARUM MORALIUM
LIBER III.

EPISTULA I. (22.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Iam intellegis educendum esse te ex istis occupationibus speciosis et malis. sed quomodo id consequi possis quaeris. Quaedam non nisi [*praesenti a*] praesente monstrantur. non potest medicus per epistulam cibi aut balnei tempus eligere: vena tangenda est. vetus proverbium est gladiatorem in arena capere consilium: aliquid adversarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipsa inclinatio corporis
- 2 intuentem monet. Quid fieri soleat, quid oporteat, in universum et mandari potest et scribi: tale consilium non tantum absentibus, sed etiam posteris datur. [at] illud alterum, quando fieri debeat aut quemadmodum, ex longinquo nemo suadebit: cum rebus ipsis deliberandum
- 3 est. Non tantum praesentis, sed vigilantis est occasionem observare properantem. itaque hanc circumspecte, hanc si videris, prende et toto inpetu, totis viribus id age, ut te istis officiis exuas. et quidem quam sententiam feram, adtende: censeo aut ex ista vita tibi aut e vita exeundum. sed illud idem existimo, leni eundum via, ut, quod male implicuisti, solvas potius quam abrumpas, dummodo, si alia solvendi ratio non erit, vel abrumpas. Nemo tam timidus est, ut malit semper pendere quam
- 4 semel cadere. Interim, quod primum est, inpedire te noli. contentus esto negotiis, in quae descendisti, vel quod videri mavis, incidisti. non est, quod ad ulteriora nitaris: aut perdes excusationem et adparebit te non

incidisse. ista enim, quae dici solent, falsa sunt: „non potui aliter.“ quid, si nollem? „necesse erat.“ nulli necesse est felicitatem cursu sequi: est aliquid, etiamsi non repugnare, subsistere nec instare fortunae ferenti. Num- 5 quid offenderis, si in consilium non venio tantum, sed advoco, et quidem prudentiores quam ipse sum, ad quos soleo deferre, si quid delibero? Epicuri epistulam ad hanc rem pertinentem legi, Idomeneo quae [in]scribitur, quem rogat, ut quantum potest, fugiat et properet, antequam aliqua vis maior interveniat et auferat libertatem recedendi. Idem tamen subicit: nihil esse temptandum, 6 nisi cum apte poterit tempestiveque temptari. sed cum illud tempus captatum diu venerit, exsiliendum ait. Dormitare de fuga cogitantem vetat et sperat salutarem etiam ex difficillimis exitum, si nec properemus ante tempus nec cessemus in tempore. Puto nunc et Stoicam senten- 7 tiam quaeris. non est, quod quisquam temeritatis illos apud te infamet: cautiores quam fortiores sunt. expectas forsitan, ut tibi haec dicant: „turpe est cedere oneri. luctare cum officio, quod semel recepisti. non est vir fortis ac strenuus qui laborem fugit, nisi crescit illi animus ipsa rerum difficultate.“ Dicentur tibi ista, si ope- 8 rae pretium habebit perseverantia, si nihil indignum bono viro faciendum patiendumve erit: alioquin sordido se et contumelioso labore non conteret nec in negotiis negotii causa erit. Ne illud quidem, quod existimas facturum eum, faciet, ut ambitiosis rebus implicatus semper aestus earum ferat. sed cum viderit gravia, in quibus volutabatur, incerta, ancipitia, referet pedem, non vertet terga, sed sensim recedet in tutum. Facile est autem, mi Lucili, 9 occupationes evadere, si occupationum pretia contempseris. illa sunt, quae nos morantur et detinent: „quid ergo? tam magnas spes relinquam? ab ipsa messe discedam? nudum erit latus? incommitata lectica? atrium vacuum?“ Ab his ergo inviti homines recedunt et mercedem miseriarum amant, ipsas exsecrantur. Sic de am- 10 bitione quomodo de amica queruntur: id est, si verum adfectum eorum inspicias, non oderunt, sed litigant.

excute istos, qui, quae cupiere, deplorant et de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non possunt: videbis voluntariam esse illis in eo moram, quod aegre
 11 ferre ipsos et misere loquuntur. Ita est, Lucili: paucos servitus, plures servitatem tenent. Sed si deponere illam in animo est et libertas bona fide placuit, in hoc autem unum advectionem petis, ut sine perpetua sollicitudine id tibi facere contingat: quidni tota te cohors Stoicorum probatura sit? omnes Zenones et Chrysippi moderata,
 12 honesta, tua suadebunt. Sed si propter hoc tergiversaris, ut circumspicias, quantum feras tecum et quam magnâ pecuniâ instruas otium: numquam exitum invenies. nemo cum sarcinis enatat. emerge ad meliorem vitam propitiis dis, sed non sic, quomodo istis propitii sunt, quibus bono ac benigno voltu mala magna tribuerunt, ad hoc unum excusati, quod ista, quae urunt, quae exeruciant, optantibus data sunt.

13 Iam inprimebam epistulae signum: resolvenda est, ut cum solenni ad te munusculo veniat et aliquam magnificam vocem ferat secum: et occurrit mihi ecce nescio utrum verior an eloquentior. „cuius?“ inquis: Epicuri.
 14 adhuc enim alienas sarcinas adfero: „Nemo non ita exit e vita, tamquam modo intraverit.“ Quemcumque vis occupa, adulescentem, senem, medium: invenies aequè timidum mortis, aequè inscium vitae. nemo quicquam habet facti: in futurum enim nostra distulimus. Nihil me magis in ista voce delectat, quam quod
 15 exprobratur senibus infantia. „Nemo, inquit, aliter quam quomodo natus est, exit e vita.“ Falsum est: peiores morimur quam nascimur. nostrum istud, non naturae vitium est. illa nobiscum queri debet et dicere: „quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia ceterisque pestibus: quales
 16 intrastis exite.“ Percepit sapientiam, si quis tam securus morietur quam nascitur: nunc vero trepidamus, cum periculum accessit. non animus nobis, non color constat. lacrimae nihil profuturae cadunt. quid est turpius quam
 17 in ipso limine securitatis esse sollicitum? Causa autem

haec est: quod inanes omnium bonorum sumus, vitae laboramus. non enim apud nos pars eius ulla subsedit: transmissa est et effluxit. Nemo quam bene vivat, sed quam diu curat, cum omnibus possit contingere, ut bene vivant, ut diu, nūlli. Vale.

EPISTULA II. (23.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Putas me tibi scripturum, quam humane nobiscum 1
 hiems egerit, quae et remissa fuit et brevis, quam malignum ver sit, quam praeposterum frigus, et alias ineptias verba quaerentium? ego vero aliquid, quod et mihi et tibi prodesse possit, scribam. Quid autem id erit, nisi ut te exhorter ad bonam mentem? Huius fundamentum quod sit quaeris? ne gaudeas vanis. Fundamentum hoc esse dixi: culmen est. ad summa 2
pervenit, qui scit, quo gaudeat, qui felicitatem suam in aliena potestate non posuit: sollicitus est et incertus sui, quem spes aliqua prorsitat, licet ad manum sit, licet non ex difficili petatur, licet numquam illum sperata deceperint. Hoc ante omnia fac, mi Lucili: discere gaudere. 3
 Existimas nunc me detrahere tibi multas voluptates, qui fortuna submoveo, qui spes, dulcissima oblectamenta devitanda existimo? immo contra nolo tibi umquam deesse laetitiam. volo illam tibi domi nasci: nascitur, si domus intra te ipsum sit. Ceterae hilaritates non inplent pectus. frontem remittunt, leves sunt, nisi forte tu iudicas eum gaudere, qui ridet: animus esse debet alacer et fidens et super omnia erectus. Mihi crede, verum 4
gaudium res severa est: an tu existimas quemquam soluto voltu et, ut isti delicati loquuntur, hilariculo mortem contemnere? paupertati domum aperire? voluptates tenere sub freno? meditari dolorum patientiam? haec qui apud se versat, in magno gaudio est, sed parum blando. in huius gaudii possessione esse te volo: numquam deficiet, cum semel unde petatur inveneris. Levium metal- 5
 lorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena adsidue plenius responsura fodienti.

- Haec, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac per-
fusoriam voluptatem, et quodcumque investitium gau-
dium est, fundamento caret: hoc, de quo loquor, ad
quod te conor perducere, solidum est, [et] quod plus
6 pateat introrsus. Fac, oro te, Lucili carissime, quod
unum potest [te] praestare felicem: disice et conculca
ista, quae extrinsecus splendent, quae tibi promittuntur
ab alio vel ex alio: ad verum bonum specta et de tuo
gaude. quid est autem hoc de tuo? te ipso et tui optima
parte. Corpusculum quoque, etiamsi nihil fieri sine illo
potest, magis necessariam rem crede quam magnam:
vanas subgerit voluptates, brevi poenitendas, ac nisi
magna moderatione temperentur, in contrarium abituras.
Ita dico: in praecipiti voluptas: ad dolorem vergit, nisi
modum teneat. modum autem tenere in eo difficile est,
quod bonum esse credideris. veri boni aviditas tuta est.
7 Quid sit istud, interrogas, aut unde subeat? dicam: ex
bona conscientia, ex honestis consiliis, ex rectis actio-
nibus, ex contemptu fortuitorum, ex placido vitae et
continuo tenore unam prementis viam: nam illi, qui ex
aliis propositis in alia transsiliunt aut ne transsiliunt qui-
dem, sed casu quodam transmittuntur, quomodo habere
quicquam certum mansurumve possunt suspensi et vagi?
8 Pauci sunt, qui consilio se suaque disponant: ceteri eo-
rum more, quae fluminibus innatant, non eunt, sed fe-
runtur. ex quibus alia lenior unda detinuit ac mollius ve-
xit, alia vehementior rapuit, alia proxima ripae cursu
languescente deposuit, alia torrens inpetus in mare eie-
cit. Ideo constituendum est, quid velimus, et in eo per-
severandum.
9 Hic est locus solvendi aeris alieni. possum enim vo-
cem tibi Epicuri tui reddere et hanc epistolam liberare:
Molestum est semper vitam inchoare. aut si
hoc modo magis sensus potest exprimi: Male vivunt,
10 qui semper vivere incipiunt. „Quare?“ inquis.
desiderat enim explanationem ista vox: quia semper illis
imperfecta vita est. non potest autem stare paratus ad
mortem, qui modo incipit vivere. id agendum est, ut

satis vixerimus: nemo hoc putat, qui orditur cum maxime vitam. Non est quod existimes paucos esse hos: 11 propemodum omnes sunt. quidam vero tunc incipiunt, cum desinendum est. si hoc iudicas mirum, adiciam quod magis admireris: quidam ante vivere desierunt quam inciperent. Vale.

EPISTULA III. (24.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Sollicitum te esse scribis de iudicii eventu, quod tibi 1 furor inimici denuntiat, et existimas me suasurum, ut meliora tibi ipse proponas et adquiescas spei blandae. quid enim necesse est mala accersere et satis cito patienda cum venerint, praesumere ac praesens tempus futuri metu-perdere? est sine dubio stultum, et quia quandoque sis futurus miser, esse iam miserum. sed ego alia te ad securitatem via ducam. Si vis omnem sollicitu- 2 dinem exuere, quicquid vereris ne eveniat, eventurum utique propone et quodcumque est illud malum, tecum ipse metire ac timorem tuum taxa et intelleges profecto aut non magnum aut non longum esse, quod metuis. Nec diu exempla, 3 quibus confirmaris, colligenda sunt: omnis illa aetas tulit. in quamcumque partem rerum vel civilium vel externarum memoriam miseris, occurrent tibi ingenia aut profectus aut inpetus magni. Numquid accidere tibi, si damnaris, potest durius quam ut mittaris in exilium? ut ducaris in carcerem? numquid ultra quicquam ulli timendum est quam ut uratur? quam ut pereat? singula ista constitue et contemptores eorum cita, qui non quaerendi, sed eligendi sunt. Damnationem suam Rutilius sic tulit, 4 tamquam nihil illi molestum aliud esset quam quod male iudicaretur. exilium Metellus fortiter tulit, Rutilius etiam libenter: alter, ut rediret, reipublicae praestitit, alter reditum suum Sullae negavit, cui nihil tunc negabatur. In carcere Socrates disputavit et exire, cum essent, qui promitterent fugam, noluit remansitque, ut duarum rerum gravissimarum hominibus metum demeret, mortis et

5 carceris. Mucius ignibus manum inposuit. acerbum est
 uri: quanto acerbius, si id te faciente patiaris! Vides
 hominem non eruditum nec ullis praeceptis contra mor-
 tem aut dolorem subornatum, militari tantum robore in-
 structum, poenas a se inriti conatūs exigentem: specta-
 tor distillantis in hostili foculo dexteræ stelit nec ante re-
 movit nudis ossibus fluentem manum, quam ignis illi ab
 hoste subductus est. facere aliquid in illis castris felicius
 potuit, nihil fortius. Vide quanto acrior sit ad occupanda
 pericula virtus quam crudelitas ad inroganda: facilius
 Porsenna Mucio ignovit, quod voluerat occidere, quam
 6 sibi Mucius, quod non occiderat. „Decantatae, inquis,
 in omnibus scholis fabulae istae sunt: iam mihi, cum ad
 contemnendam mortem ventum fuerit, Catonem narra-
 bis.“ Quidni ego narrem ultima illa nocte Platonis librum
 legentem posito ad caput gladio? duo haec in rebus ex-
 tremis instrumenta prospexerat, alterum ut vellet mori,
 alterum ut posset. compositis ergo rebus, utcumque con-
 poni fractae atque ultimae poterant, id agendum existi-
 mavit, ne cui Catonem aut occidere liceret aut servare
 7 contingeret. et stricto gladio, quem usque in illum diem
 ab omni caede purum servaverat: „nihil, inquit, egisti,
 fortuna, omnibus conatibus meis obstando. non pro mea
 adhuc, sed pro patriae libertate pugnavi, nec agebam
 tanta pertinacia, ut liber, sed ut inter liberos viverem:
 nunc quoniam deploratae sunt res humani generis, Cato
 8 deducatur in tutum.“ Inpressit deinde mortiferum cor-
 pori volnus. quo obligato a medicis cum minus sanguinis
 haberet, minus virium, animi idem, iam non tantum Cae-
 sari, sed sibi iratus nudas in volnus manus egit et gene-
 rosus illum contemptoremque omnis potentiae spiritum
 9 non emisit, sed eiecit. Non in hoc exempla nunc con-
 gero, ut ingenium exerceam, sed ut te adversus id, quod
 maxime terribile videtur, exhorter. facilius autem exhor-
 tabor, si ostendero non fortes tantum viros hoc momen-
 tum efflandae animae contempsisse, sed quosdam ad alia
 ignavos in hac re aequasse animum fortissimorum, sicut
 illum Cn. Pompeii socerum Scipionem, qui contrario in

Africam vento relatus cum tenēri navem suam vidisset ab hostibus, ferro se transverberavit et quaerentibus, ubi imperator esset: „imperator, inquit, se bene habet.“ Vox haec illum parem maioribus fecit et fatalem Scipio-10 nibus in Africa gloriam non est interrumpi passa. multum fuit Carthaginem vincere, sed amplius mortem. „Imperator, inquit, se bene habet.“ an aliter debebat imperator, et quidem Catonis, mori? Non revoco te ad hi-11 storias nec ex omnibus seculis contemptores mortis, qui sunt plurimi, colligo: respice ad haec nostra tempora, de quorum languore ac deliciis querimur: omnis ordinis homines suggerent, omnis fortunae, omnis aetatis, qui mala sua morte praeciderunt. Mihi crede, Lucili, adeo mors timenda non est, ut beneficio eius nihil timendum sit. Securus itaque inimici minas audi. et quamvis con-12 scientia tibi tua fiduciam faciat, tamen quia multa extra causam valent, et quod aequissimum est, spera et ad id te, quod est iniquissimum, compara. illud autem ante omnia memento, demere rebus tumultum ac videre, quid in quaque re sit: scies nihil esse in istis terribile nisi ipsum timorem. Quod vides accidere pueris, hoc nobis 13 quoque maiusculis pueris evenit: illi quos amant, quibus adsueverunt, cum quibus ludunt, si personatos vident, expavescunt: non hominibus tantum, sed rebus persona demenda est et reddenda facies sua. Quid mihi gladios 14 et ignes ostendis et turbam carnificum circa te frementem? tolle istam pompam, sub qua lates et stultos terribitas: mors est, quam nuper servus meus, quam ancilla contempsit. Quid tu rursus mihi flagella et eucleos magno adparatu explicas? quid singulis articulis singula machinamenta, quibus extorqueantur, aptata et mille alia instrumenta excarnificandi particulatim hominis? pone ista, quae nos obstupefaciunt. iube conticescere gemitus et exclamationes et vocum inter lacerationem elisarum acerbiter: nempe dolor est, quem podagricus ille contemnit, quem stomachicus ille in ipsis deliciis perfert, quem in puerperio puella perpetitur. levis est, si ferre possum, brevis est, si ferre non possum. Haec in animo 15

voluta, quae saepe audisti, saepe dixisti. sed an vere
audieris, an vere dixeris, effectu proba. hoc enim tur-
pissimum est, quod nobis obici solet, verba nos philo-
sophiae, non opera tractare. quid, tu nunc primum tibi
 mortem imminere scisti, nunc exilium, nunc dolorem?
 in haec natus es. quicquid fieri potest, quasi futurum
 16 cogitemus. Quod facere te moneo, scio certe fecisse:
 nunc admoneo, ut animum tuum non mergas in istam sol-
slicitudinem. hebelabitur enim et minus habebit vigoris,
cum exsurgendum erit. abduc illum a privata causa ad
 publicam. dic mortale tibi et fragile corpusculum esse,
 cui non ex iniuria tantum aut ex potentioris viribus de-
 nuntiabitur dolor: ipsae voluptates in tormenta vertun-
 tur: epulae cruditatem adferunt, ebrietates nervorum tor-
 17 porem tremoremque, libidines pedum, manuum, articu-
 lorum omnium depravationes. Pauper fiam: inter plures
ero. exul fiam: ibi me natum putabo, quo mittar. adliga-
bor: quid enim? nunc solutus sum? ad hoc me natura
grave corporis mei pondus adstrinxit. moriar: hoc dicis,
desinam aegrotare posse, desinam adligari posse, desi-
 18 nam mori posse. Non sum tam ineptus, ut Epicuream
 cantilenam hoc loco persequar et dicam vanos esse infe-
 rorum metus, nec Ixionem rotâ volvi nec saxum humeris
 Sisyphi trudi in adversum nec ullius viscera et renasci
 posse cotidie et carpi. nemo tam puer est, ut Cerberum
timeat et tenebras et larvalem habitum nudis ossibus co-
haerentium: mors nos aut consumit aut exuit. emissis
meliora restant onere detracto, consumptis nihil restat:
 19 bona pariter malaque submota sunt. Permite mihi hoc
 loco referre versum tuum, si prius admonuero, ut te iu-
dicēs non aliis scripsisse ista, sed etiam tibi. turpe est
aliud loqui, aliud sentire: quanto turpius aliud scribere,
aliud sentire. memini te illum locum aliquando tractasse,
 non repente nos in mortem incidere, sed minutatim pro-
 20 cedere: cotidie morimur, cotidie enim demitur aliqua
pars vitae et tunc quoque, cum crescimus, vita decre-
scit. infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adu-
lescentiam. usque ad hesternum, quicquid transiit tem-

poris, perii: hunc ipsum, quem agimus, diem cum morte dividimus. quemadmodum clepsydram non extremum stillicidium exhaurit, sed quicquid ante defluxit, sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat: tunc ad illam pervenimus, sed diu venimus. Haec cum descripsisses quo soles ore, 21 semper quidem magnus, numquam tamen acrior quam ubi veritati commodas verba, dixisti:

Mors non una venit, sed quae rapit, ultima mors est.

Malo te legas quam epistulam meam. adparebit enim tibi hanc, quam timemus, mortem extrémam esse, non sólam.

Video quo spectes: quaeris, quid huic epistulae in- 22 *impulse*
fulserim, quod dictum alicuius animosum, quod prae- *impulse*
ceptum utile: ex hac ipsa materia, quae in manibus fuit, *!!*
mittetur aliquid: obiurgat Epicurus non minus eos, qui mortem concupiscunt, quam eos, qui timent, et ait:
„Ridiculum est currere ad mortem taedio vitae, cum genere vitae, ut currendum ad mortem esset, effeceris.“ Item alio loco dicit: „Quid 23 *!!*
tam ridiculum quam adpetere mortem, cum vitam inquietam tibi feceris metu mortis?
His adicias et illud eiusdem notae licet: „Tantum hominum imprudentiam esse, immo dementiam, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem.“
Quicquid horum tractaveris, confirmabis animum vel ad 24
mortis vel ad vitae patientiam. at in utrumque monendi ac firmandi sumus, et ne nimis amemus vitam et ne nimis oderimus, etiam cum ratio suadet finire: sed non temere nec cum procursu capiendus est inpetus. Vir fortis 25
ac sapiens non fugere debet e vita, sed exire, et ante omnia ille quoque vitetur adfectus, qui multos occupavit, libido moriendi. est enim, mi Lucili, ut ad alia, sic etiam ad moriendum inconsulta animi inclinatio, quae saepe generosos atque acerrimae indolis viros conripit, saepe ignavos iacentesque: illi contemnunt vitam, hi gravantur. Quosdam subit eadem faciendi videndique satietas 26
et vitae non odium, sed fastidium, in quod prolabimur ipsa inpellente philosophia, dum dicimus: „quousque *sples*

eadem? nempe expergiscar, dormiam, esuriam, [*satiabor*], algebo, aestuabo. nullius rei finis est, sed in orbem nexa sunt omnia: fugiunt ac sequuntur. diem nox premit, dies noctem, aestas in autumnum desinit, autumnus hiems instat, quae vere conspescitur: omnia [sic] trans-eunt ut revertantur. nihil novi facio, nihil novi video: fit aliquando et huius rei nausia.“ Multi sunt, qui non acerbum iudicent vivere, sed supervacuum. Vale.

EPISTULA IV. (25.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Quod ad duos amicos nostros pertinet, diversa viâ eundum est: alterius enim vitia emendanda, alterius frangenda sunt. utar libertate tota. non amo illum, nisi offendo. „Quid ergo? inquis, quadragenarium pupillum cogitas sub tutela tua continere? respice aetatem eius iam duram et intractabilem.
- 2 non potest reformari: tenera finguntur.“ An profecturus sim nescio. malo successum mihi quam fidem deesse. nec desperaveris etiam diutinos aegros posse sanari, si contra intemperantiam steteris, si multa invites et facere coegeris et pati. ne de altero quidem satis fiduciae habeo, excepto eo, quod adhuc peccare erubescit. nutriendus est hic pudor, qui quamdiu in animo eius duraverit, aliquis erit bonae spei locus: cum hoc veterano parcius
- 3 agendum puto, ne in desperationem sui veniat. nec ullum tempus adgrediendi fuit melius quam hoc, dum interquiescit, dum emendato similis est. aliis haec intermissio eius inposuit: mihi verba non dat. exspecto cum magno fenore vitia reditura, quae nunc scio cessare, non deesse. Inpendam huic rei dies et utrum possit aliquid
- 4 agi an non possit, experiar. Tu nobis te, ut facis, fortem praesta et sarcinas contrahe. Nihil ex his, quae habemus, necessarium est. ad legem naturae revertamur: divitiae paratae sunt. aut gratuitum est, quo egemus, aut vile: panem et aquam natura desiderat. nemo ad haec pauper est, intra quae quisquis desiderium

suam cludit, cum ipso Iove de felicitate contendat, ut ait Epicurus, cuius aliquam vocem huic epistulae involvam.

„Sic fac, inquit, omnia, tamquam spectet Epicurus.“ Prodest sine dubio custodem sibi inposuisse et habere, quem respicias, quem interesse cogitationibus tuis iudices. hoc quidem longe magnificentius est, sic vivere tamquam sub alicuius boni viri ac semper praesentis oculis: sed ego etiam hoc contentus sum, ut sic facias, quaecumque facies, tamquam spectet aliquis: omnia nobis mala solitudo persuadet. Cum iam profeceris 6 tantum, ut sit tibi etiam tui reverentia, licebit dimittas paedagogum: interim aliquorum te auctoritate custodi. aut Cato ille sit aut Scipio aut Laelius aut cuius interventu perditii quoque homines vitia subprimerent, dum te efficis eum, cum quo peccare non audeas: cum hoc effeceris, et aliqua coeperit apud te tui esse dignatio, incipiam tibi permittere, quod idem suadet Epicurus: „tunc praecipue in te ipse secede, cum esse cogaris in turba.“ Dissimilem te fieri multis oportet. 7 dum tutum tibi non est ad te recedere, circumspice singulos: nemo est, cui non satius sit cum quolibet esse quam secum. „Tunc praecipue in te ipse secede, cum esse cogaris in turba“: si bonus vir, si quietus, si temperans: alioquin in turbam tibi a te recedendum est: istic malo viro propius es. Vale.

EPISTULA V. (26.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Modo dicebam tibi, in conspectu esse me senectutis: 1 iam vereor, ne senectutem post me reliquerim. aliud iam his annis, certe huic corpori, vocabulum convenit, quoniam quidem senectus lassae aetatis, non fractae, nomen est: inter decrepitos me numera et extrema tangentes. Gratias tamen mihi apud te ago: non sentio in animo aetatis iniuriam, cum sentiam in corpore. tantum vitia et vitiorum ministeria senuerunt: vigeat animus et gaudet non multum sibi esse cum corpore. magnam partem oneris sui posuit. exultat et mihi facit contro-

- versiam de senectute. hunc ait esse florem suum. 3 credamus illi: bono suo utatur. Ire in cogitationem iubet et dispicere, quid ex hac tranquillitate ac modestia morum sapientiae debeam, quid aetati, et diligenter excutere, quae non possim facere, quae nolim: [*quidni fatear multum mihi senectutem eo, quod non possum facere, quae nolim,*] prodesse, habiturus aeque, si nolim quicquam non posse me gaudere? quae enim querela est, quod 4 incommodum, si quicquid debeat desinere, defecit? „Incommodum summum est, inquis, minui, [et] deperire, et ut proprie dicam, liquescere. non enim subito impulsus ac prostratus sumus: carpimur. singuli dies aliquid subtrahunt viribus.“ Et quis exitus est melior quam in finem suum natura solvente dilabi? non quia aliquid mali [*sic*] ictus et e vita repentinus excessus, sed quia lenis haec est via, subduci. Ego certe, velut adpropinquet experimentum et ille laturus sententiam de omnibus annis meis 5 dies venerit, ita me observo et adloquor: „Nihil est, inquam, adhuc, quod aut rebus aut verbis exhibuimus. levia sunt ista et fallacia pignora animi multisque involuta lenociniis: quod profecerim, morte crediturus sum. Non timide itaque componar ad illum diem, quo remotis strophis ac fucis² de me iudicaturus sum, utrum loquar fortia an sentiam, numquid simulatio fuerit et mimus, quicquid contra fortunam iactavi verborum 6 contumacium. Remove existimationem hominum: dubia semper est et in partem utramque dividitur. remove studia tota vita tractata: mors de te pronuntiatura est. Ita dico: disputationes et literata colloquia et ex praeceptis sapientium verba collecta et eruditus sermo non ostendunt verum robur animi. est enim oratio etiam timidissimis audax: quid egeris, tunc adparebit, cum animam ages. Accipio conditionem, non reformido iudicium.“ 7 Haec mecum loquor, sed tecum quoque me locutum puta. Iuvenior es: quid refert? non dinumerantur anni. incertum est, quo loco te mors exspectet: itaque tu illam omni loco exspecta.
- 8 Desinere iam volebam et manus spectabat ad clausu-

iam: sed conficienda sunt sacra et huic epistolae viaticum dandum est. puta me non dicere: „unde sumpturus sum mutuum?“ scis cuius arcâ ular. exspecta me pusillum, et de domo fiet numeratio: interim commodabit Epicurus, qui ait: „Meditare mortem, vel, si commodius sit, transire ad *divos*.“ Hic patet sensus: 9 egregia res est mortem discere. Supervacuum forsitan putas id discere, quo semel utendum est: hoc est ipsum, quare meditari debeamus: semper discendum est, quod an sciamus, experiri non possumus. „Meditare 10 mortem.“ qui hoc dicit, meditari libertatem iubet. qui mori didicit, servire dedidicit. súpra omnem potentiam est, certe éxtra omnem. quid ad illum carcer et custodia et claustra? liberum ostium habet. Una est catena, quae nos adligatos tenet, amor vitae, qui ut non est abiciendus, ita minuendus est, ut, si quando res exiget, nihil nos detineat nec inpediat, quo minus parati simus, quod quândoque faciendum est, statim facere. Vale.

EPISTULA VI. (27.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

„Tu me, inquis, mones? iam enim te ipse monuisti, 1 iam correxisti? ideo aliorum emendationi vacas?“ Non sum tam improbus, ut curationes aeger obeam, sed tamquam in eodem valitudinario iaceam, de communi tecum malo conloquor, [et] remedia communico. sic itaque me audi, tamquam mecum loquar. in secretum te meum admitto et te adhibito mecum exigo. Clamo mihi ipse: 2 „Numera annos tuos, et pudebit eadem velle, quae volueras puer, eadem parare. hoc denique tibi circa mortis diem praesta: moriantur ante te vitia. dimitte istas voluptates turbidas, magno luendas: non venturae tantum, sed praeteritae nocent. quemadmodum scelera etiamsi non sint deprehensa cum fierent, sollicitudo non cum ipsis abiit: ita improbarum voluptatum etiam post ipsas poenitentia est. non sunt solidae, non sunt fideles: etiamsi non nocent, fugiunt. Aliquod potius bonum mansurum circumspice. nullum autem est,

nisi quod animus ex se sibi invenit. sola virtus praestat gaudium perpetuum, securum: etiam si quid obstat, nubium modo intervenit, quae infra feruntur nec
 4 umquam diem vincunt.“ Quando ad hoc gaudium pervenire continget? non quidem cessatur adhuc, sed festinetur. multum restat operis, in quod ipse necesse est vigiliam, ipse laborem tuum inpendas, si effici cupis. delegationem res ista non recipit.

5 Aliud literarum genus adiutorium admittit: Calvisius Sabinus memoria nostra fuit dives. et patrimonium habebat libertini et ingenium: numquam vidi hominem beatum indecentius. Huic memoria tam mala erat, ut illi modo nomen Ulixis excideret, modo Achillis, modo Priami, quos tam bene noverat quam paedagogos nostros novimus. nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, sed inponit, tam perperam tribus quam ille Troianos et Achivos persalutabat. nihilo minus eruditus volebat vi-
 6 deri. hanc itaque compendiarium excogitavit: magna summa emit servos, unum, qui Homerum teneret, alterum, qui Hesiodum. novem praeterea lyricis singulos adsignavit. magno emisse illum non est quod mireris: non invenerat, faciendos locavit. Postquam haec familia illi comparata est, coepit convivas suos inquietare. habebat ad pedes hos, a quibus subinde cum peteret versus,
 7 quos referret, saepe in medio verbo excidebat. Suasit illi Satellius Quadratus, stultorum divitum adrosor, et quod sequitur, adrisor, et quod duobus his adiunctum est, derisor, ut grammaticos haberet analectas. cum dixisset Sabinus centenis millibus sibi constare singulos servos: „minoris, inquit, totidem scrinia emisses.“ Ille tamen in ea opinione erat, ut putaret se scire, quod quisquam in domo sua sciret. Idem Satellius illum hortari coepit, ut luctaretur, hominem aegrum, pallidum, gracilem. cum Sabinus respondisset: „et quomodo possum? vix vivo.“ „Noli, obsecro te, inquit, istuc dicere: non vides, quam multos servos valentissimos habeas?“ Bona mens nec commodatur nec emitur. et puto, si venalis esset, non haberet emptorem. at mala cotidie emitur.

Sed accipe iam quod debeo et vale: „*Divitiae sunt ad 9 legem naturae composita paupertas.*“ Hoc saepe dicit Epicurus aliter atque aliter: sed numquam nimis dicitur, quod numquam satis dicitur. quibusdam remedia monstranda, quibusdam inculcanda sunt. Vale.

EPISTULA VII. (28.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Hoc tibi soli putas accidisse et admiraris quasi rem 1 novam, quod peregrinatione tam longa et tot locorum varietatibus non discussisti tristitiam gravitatemque mentis? animum debes mutare, non coelum. licet vastum traieceris mare, licet, ut ait Vergilius noster,

terraeque urbesque recedant:

sequentur te, quocumque perveneris, vitia. Hoc idem 2 querenti cuidam Socrates ait: „quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas? premit te eadem causa, quae expulit.“ Quid terrarum iuvare novitas potest? quid cognitio urbium aut locorum? in inritum cedit ista iactatio. Quaeris quare te fuga ista non adiuvet? tecum fugis. onus animi deponendum est: non ante tibi ullus placebit locus. Talem nunc esse habitum 3 tuum cogita, qualem Vergilius noster vatis inducit iam concitatae et instigatae multumque habentis in se spiritus non sui:

bacchatur vates, magnum si pectore possit excussisse deum.

Vadis huc illuc, ut excutias insidens pondus, quod ipsa iactatione incommodius fit, sicut in navi onera inmotae minus urgent, inaequaliter convoluta citius eam partem, in quam incubuere, demergunt. Quicquid facis, contra te facis et motu ipso noces tibi: aegrum enim concutis. At 4 cum istud exemeris malum, omnis mutatio loci iucunda fiet: in ultimas expellaris terras licebit, in quolibet barbariae angulo conloceris, hospitalis tibi illa qualiscumque sedes erit. magis quis veneris quam quó, interest, et ideo nulli loco addicere debemus animum. cum hac persuasione vivendum est: „non sum uni angulo natus, patria

5 mea totus hic mundus est. Quod si liqueret tibi, non admirareris nil adiuvari te regionum varietatibus, in quas subinde priorum taedio migras. prima enim quaeque placuisset, si omnem tuam crederes. Non peregrinaris, sed erras et ageris ac locum ex loco mutas, cum illud, quod

6 quaeris, 'bene vivere', omni loco positum sit. Num quid tam turbidum fieri potest quam forum? ibi quoque licet quiete vivere, si necesse sit. sed si liceat disponere se, conspectum quoque et viciniam fori procul fugiam. nam ut loca gravia etiam firmissimam valitudinem temptant, ita bonae quoque menti necdum adhuc perfectae et con-

7 valescenti sunt aliqua parum salubria. Dissentio ab his, qui in fluctus medios eunt et tumultuosam probantes vitam cotidie cum difficultatibus rerum magno animo conluctantur. sapiens feret ista, non eliget, et malet in pace esse quam in pugna. non multum prodest vitia sua proie-

8 cisse, si cum alienis rixandum est. „Triginta, inquit, tyranni Socratem circumsteterunt nec potuerunt animum eius infringere.“ Quid interest, quot domini sint? servitus una est. hanc qui contempsit, in quantalibet turba dominantium liber est.

9 Tempus est desinere, sed si prius portorium solvero. „Initium est salutis notitia peccati.“ Egregie mihi hoc dixisse videtur Epicurus. nam qui peccare se nescit, corrigi non vult: deprehendas te oportet, ante-

10 quam emendes. Quidam vitiis gloriuntur. tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes, te ipse [co]argue, inquire in te: accusatoris primum partibus fungere, deinde iudicis, novissime deprecatoris. aliquando te offende. Vale.

EPISTULA VIII. (29.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 De Marcellino nostro quaeris et vis scire, quid agat. Raro ad nos venit, nulla alia ex causa quam quod audire verum timet, a quo periculo iam abest. nulli enim nisi audituro dicendum est. ideo de Diogene

nec minus de aliis Cynicis, qui libertate promiscua usi sunt et obvios monuerunt, dubitari solet, an hoc facere debuerint. quid enim, si quis surdos obiuret aut natura morbove mutos? „Quare, inquis, verbis parcam? gratuita sunt. non possum scire, an ei profuturus sim, quem admoneo: illud scio, alicui me profuturum, si multos admonuero. spargenda manus est. non potest fieri, ut non aliquando succedat multa temptanti.“ Hoc, mi Lucili, 3 non existimo magno viro faciendum: diluitur eius auctoritas nec habet apud eos satis ponderis, quos posset minus obsolecta corrigere: sagittarius non aliquando ferire debet, sed aliquando deerrare. Non est ars, si quae ad effectum casu veniunt. sapientia ars est: certum petat, eligat profecturos, ab his, quos desperavit, recedat, non tamen cito relinquat et in ipsa desperatione extrema remedia temptet. Marcellinum nostrum ego non-4 dum despero. etiamnunc servari potest, sed si cito illi manus porrigitur. est quidem periculum, ne porrigentem trahat: magna in illo ingenii vis est, sed iam tendentis in pravum. nihilominus adibo hoc periculum et audebo illi mala sua ostendere. Faciet quod solet: advocabit illas facetias, quae risum evocare lugentibus possunt, et in se primum, deinde in nos iocabitur. omnia, quae dicturus sum, occupabit. scrutabitur scholas nostras et obiciet philosophis congiaria, amicas, gulam. ostendet mihi alium in adulterio, alium in popina, alium in aula. ostendet mihi lepidum philosophum Aristonem, qui in 6 gestatione disserebat. hoc enim ad edendas operas tempus [ac]ceperat. de cuius secta cum quaereretur, Scaurus ait: „utique Peripateticus non est.“ de eodem cum consuleretur Iulius Graecinus, vir egregius, quid sentiret: „non possum, inquit, tibi dicere. nescio enim, quid de gradu faciat,“ tamquam de essedario interrogaretur. Hos mihi circulatores, qui philosophiam honestius ne-7 glexissent quam vendunt, in faciem ingeret. constitui tamen contumelias perpeti: moveat ille mihi risum, ego fortasse illi lacrimas movebo, aut si ridere perseverabit, gaudebo tamquam in malis, quod illi genus insaniae hi-

lāre contigerit. Sed non est ista hilaritas longa. observa:
 8 et acerrime rabēre. Propositum est adgredi illum et
 ostendere, quanto pluris fuerit, cum multis minoris vide-
 retur. vitia eius etiamsi non excīdero, inhibebo. non des-
 sinent, si intermittent. fortasse autem et desinent, si in-
 termittendi consuetudinem fecerint. non est hoc ipsum
 fastidiendum, quoniam quidem graviter adfectis sanitatis
 9 loco est bona remissio. Dum me illi paro, tu interim, qui
 potes, (qui intellegis, unde quo evaseris et ex eo suspi-
 caris, quousque sis evasurus,) conpone mores tuos, ad-
tolle animum, adversus formidata consiste. numerare eos
 noli, qui tibi metum faciunt: nonne videatur stultus, si
 quis multitudinem eo loco timeat, per quem transitus sin-
 gulis est? aequae ad tuam mortem multis aditus non est,
 licet illam multi minentur. sic istuc natura disposuit: spi-
 ritum tibi tam unus eripiet quam unus dedit.

10 Si pudorem haberes, ultimam mihi pensionem remi-
 sisses. sed ne ego quidem me sordide geram in finem
 aeris alieni et tibi, quod debeo, inpingam. „Numquam
 volui populo placere. nam quae ego scio, non
 probat populus, quae probat populus, ego
 11 nescio.“ „Quis hoc?“ inquis, tamquam nescias, cui
 imperem: Epicurus. Sed idem hoc omnes tibi ex omni
 domo conclamabunt, Peripatetici, Academici, Stoici,
 Cynici. quis enim placere potest populo, cui placet
 virtus? malis artibus popularis favor quaeritur. simi-
 lem te illis facias oportet. non probabunt, nisi agno-
verint. multo autem ad rem magis pertinet, qualis tibi
videaris quam qualis aliis. conciliari nisi turpi ratione
 12 amor turpium non potest. Quid ergo illa laudata et
 omnibus praeferenda artibus rebusque philosophia prae-
 stabit? scilicet ut malis tibi placere quam populo, ut
 aestimes iudicia, non numeres, ut sine metu deorum ho-
 minumque vivas, ut aut vincas mala aut finias: ceterum,
 si te videro celebrem secundis vocibus volgi, si in-
 trante te clamor et plausus et pantomimica ornamenta
 obstrepuerint, si tota civitate te feminae nuerique lauda-

verint, quidni ego tui miserear, cum sciam, quae via ad istum favorem ferat? Vale.

L. ANNAEI SENECAE
AD LUCILIUM
EPISTULARUM MORALIUM
LIBER IV.

EPISTULA I. (30.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Bassum Aufidium, virum optimum, vidi ¹ quassum, aetati ²obluctantem. sed iam plus illum ³degravat quam quod possit adtolli: magno senectus et universo pondere incubuit. Scis illum semper infirmi corporis et exsucti ⁴fuisse. diu illud continuit et, ut verius dicam, concinnavit: subito defecit. Quemadmodum in nave, quae sentinam trahit, uni rimae aut alteri obsistitur, ubi plurimis locis laxari coepit et cedere, succurri non potest navigio dehiscenti: ita in senili corpore aliquatenus inbecillitas sustineri et fulciri potest. ubi tamquam in putri aedificio omnis iunctura diducitur, et dum alia excipitur, alia discinditur, circumspiciendum est, quomodo exeas. Bassus tamen noster alacer animo est. ⁵ hoc philosophia praestat, in conspectu mortis hilarem et in quocumque corporis habitu fortem laetumque nec deficientem, quamvis deficiatur. Magnus gubernator et scisso navigat velo, et si exarmavit, tamen reliquias navigii aptat ad cursum. hoc facit Bassus noster et eo animo voltuque finem suum spectat, quo alienum spectare nimis securi putares. Magna res est, Lucili, haec et diu discenda, cum adventat hora illa inevitabilis, aequo animo abire. alia genera ⁶

mortis spei mixta sunt: desinit morbus. incendium ex-
 stinguitur. ruina quos videbatur obpressura, deposuit.
 mare quos hauserat, vi eadem, qua sorbebat, eiecit inco-
 lumes. gladium miles ab ipsa perituri cervice revocavit:
 nil habet quod speret, quem senectus ducit ad mortem.
 huic [uni] intercedi non potest. Nullo genere homines
 5 mollius moriuntur, sed nec diutius. Bassus noster vide-
 batur mihi prosequi se et componere et vivere tamquam
 superstes sibi et sapienter ferre desiderium sui. nam de
 morte multa loquitur et id agit sedulo, ut nobis persua-
 deat, si quid incommodi aut metus in hoc negotio est,
 morientis vitium esse, non mortis. non magis in ipsa
 6 quicquam esse molestiae quam post ipsam. Tam demens
 autem est, qui timet, quod non est passurus, quam qui
 timet, quod non est sensurus. An quisquam hoc futurum
 credit, ut per quam nihil sentiat[ur], ea sentiatur? Ergo,
 inquit, mors adeo extra omne malum est, ut sit extra
 7 omnem malorum metum. Haec ego scio et saepe dicta et
 saepe dicenda: sed neque cum legerem, aequae mihi pro-
 fuerunt, neque cum audirem his dicentibus, qui negabant
 timenda, a quorum metu aberant: hic vero plurimum
 apud me auctoritatis habuit, cum loqueretur de morte
 8 vicinâ. Dicam etiam quid sentiam: puto fortiozem eum
 esse, qui in ipsa morte est quam qui circa mortem. mors
 enim admota etiam inperitis animum dedit non vitandi
 inevitabilia: sic gladiator tota pugna timidissimus iugu-
 lum adversario praestat et errantem gladium sibi adtem-
 perat. at illa, quae in propinquo est utique ventura, de-
 siderat lentam animi firmitatem, quae est rarior nec pot-
 9 est nisi a sapiente praestari. Libentissime itaque illum
 audiebam quasi ferentem de morte sententiam et qualis
 esset eius natura velut propius inspectae indicantem.
 Plus, ut puto, fidei haberet apud te, plus ponderis, si
 quis revixisset et in morte nihil mali esse narraret ex-
 pertus: accessus mortis quam perturbationem adferat,
 optime tibi hi dicent, qui secundum illam steterunt, qui
 10 venientem et viderunt et receperunt. Inter hos Bassum
 licet numeres, qui nos decipi noluit. is ait tam stultum

esse qui mortem timeat quam qui senectutem. nam quem-
 admodum senectus adulescentiam sequitur, ita mors se-
 nectutem. vivere noluit qui mori non vult. vita enim cum
exceptione mortis data est: ad hanc itur. quam ideo ti-
 mere dementis est, quia certa exspectantur, dubia me-
 tuuntur. Mors necessitatem habet aequam et invictam: 11
 quis queri potest in ea condicione se esse, in qua nemo
 non est? prima autem pars est aequitatis aequalitas. Sed
 nunc supervacuum est naturae causam agere, quae non
 aliam voluit legem nostram esse quam suam: quicquid
composuit, resolvit, quicquid resolvit, componit iterum. 12
 Iam vero si cui contigit, ut illum senectus leviter emitteret
 non repente avulsum vitae, sed minutatim subductum: o-
 nae illum agere gratias dis omnibus decet, quod satiatus
 ad requiem homini necessariam, lasso gratam, perductus
 est. Vides quosdam optantes mortem, et quidem magis
 quam rogari solet vita. nescio utros existimem maiorem
 nobis animum dare, qui deposcunt mortem an qui hilares
 eam quietique opperiantur, quoniam illud ex rabie inter-
 dum ac repentina indignatione fit, haec ex iudicio certo
 tranquillitas est. venit aliquis ad mortem iratus: mortem
 venientem nemo hilāris excipit, nisi qui se ad illam diu
 composuerunt. Fateor ergo ad hominem mihi carum ex 13
 pluribus me causis frequentius venisse, ut scirem, an
 illum totiens eūdem invenirem, numquid cum cōrporis
 viribus minueretur animi vigor. qui sic crescebat illi, quo-
 modo manifestior notari solet agitatorum laetitia, cum se-
 ptimo spatio palmae adpropinquant. Dicebat quidem ille 14
 Epicuri praeceptis obsequens: „primum sperare se nul-
 lum dolorem esse in illo extremo anhelitu: si tamen esset,
 habere aliquantum in ipsa brevitate solatii. nullum enim
 dolorem longum esse, qui magnus est. Ceterum succur-
 surum sibi etiam in ipsa distractione animae corporis-
 que, si cum cruciatu id fieret, post illum dolorem se do-
lere non posse. non dubitare autem se, quin senilis ani-
 ma^s in primis labris^s esset nec magna vi distraheretur a
 corpore. Ignis, qui valentem materiam occupavit, aquā
 et interdum ruinā exstinguendus est: ille, qui alimentis

15 deficitur, sua sponte subsīdit.“ Libenter haec, mi Lucili, audio non tamquam nova, sed tamquam in rem praesentem perductus. Quid ergo? non multos spectavi abrumpentes vitam? ego vero vidi, sed plus momenti apud me habent, qui ad mortem veniunt sine odio vi-
 16 tae et admittunt illam, non adtrahunt. „Illud quidem aiebat tormentum nostra nos sentire operâ, quod tunc trepidamus, cum prope a nobis esse credimus mortem. a quo enim non prope est parata omnibus locis omnibusque momentis? Sed consideremus, inquit, tunc, cum aliqua causa moriendi videtur accedere, quanto aliae propiores sint, quae non timentur: hostis alicui mortem mi-
 17 ^{est} nabatur: hanc cruditas occupavit.“ Si distinguere voluerimus causas metus nostri, inveniemus alias esse, alias videri. non mortem timemus, sed cogitationem mortis. ab ipsa enim semper tantumdem absumus. Ita si timenda mors est, semper timenda est. quod enim tempus morti
 18 exemptum est? Sed vereri debeo, ne tam longas epistulas peius quam mortem oderis. itaque finem faciam: tu tamen mortem ut numquam timeas, semper cogita. Vale.

EPISTULA II. (31.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Agnosco Lucilium meum: incipit quem promiserat, exhibere. sequere illum in petum animi, quo ad optima quaeque calcatis popularibus bonis
 2 ibas: non desidero maiorem melioremque te fieri quam moliebaris. Fundamenta tua multum loci occupaverunt: tantum effice, quantum conatus es et illa, quae tecum in
 2 animo tulisti, tracta. Ad summam sapiens eris, si cluseris aures, quibus ceram parum est obdere: firmiore spissamento opus est quam in sociis usum Ulixem ferunt. illa vox, quae timebatur, erat blanda, non tamen publica: at haec, quae timenda est, non ex uno scopulo, sed ex
 2 omni terrarum parte circumsonat. Praeterehère itaque non unum locum insidiosâ voluptate suspectum, sed omnes urbes. surdum te amantissimis tuis praesta: bono animo mala precantur. et si esse vis felix, deos ora, ne

quid tibi ex his, quae optantur, eveniat. Non sunt ista 3
bona, quae in te isti volunt congeri: unum bonum est,
quod beatae vitae causa et firmamentum est, sibi fidere.
hoc autem contingere non potest, nisi contemptus est
labor et in eorum numero habitus, quae neque bona sunt
neque mala. fieri enim non potest, ut una ulla res modo
mala sit, modo bona, modo levis et perferenda, modo
expavescenda. Labor bonum non est: quid ergo est bo- 4
num? laboris contemptio. itaque in vanum operosos cul-
paverim. rursus ad honesta nitentes, quanto magis in-
cubuerint minusque sibi vinci ac strigare permiserint, ad-
probabo et clamabo: „tanto melior surge et inspira- et
clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera.“ Genero-
sos animos labor nutrit. Non est ergo, quod ex illo ve- 5
tere [voto] parentum tuorum eligas, quid contingere tibi
velis, quid optes: et in totum iam per maxima acto viro
turpe est etiamnunc deos fatigare. Quid votis opus est?
fac te ipse felicem. facies autem, si intellexeris bona esse,
quibus admixta est virtus, turpia, quibus malitia con-
iuncta est. ¶ Quemadmodum sine mixtura lucis nihil splen-
didum est, nihil atrum, nisi quod tenebras habet aut ali-
quid in se traxit obscuri, quemadmodum sine adiutorio
ignis nihil calidum est, nihil sine aëre frigidum: ita ho-
nesta et turpia virtutis ac malitiae societas efficit. ¶ Quid 6
ergo est bonum? rerum scientia. ¶ quid malum est? rerum
inperitia. ¶ Ille prudens atque artifex pro tempore quae-
que repellit aut eligit. sed nec quae repellit timet, nec
miratur quae eiegit, si modo magnus illi et invictus ani-
mus est. Submitti te ac deprimi veto. laborem si non
recuses, parum est: posce. „Quis ergo, inquis, labor 7
frivolus et supervacuus est?“ quem humiles causae evo-
caverunt. non est malus, non magis quam ille, qui pul-
chris rebus impenditur, quoniam animi est ipsa toleran-
tia, quae se ad dura et aspera hortatur ac dicit: „quid
cessas? non est viri timere sudorem.“ Huc et illud ac- 8
cedat, ut perfecta virtus sit, aequalitas ac tenor vitae
per omnia consonans sibi, quod non potest esse, nisi
rerum scientia contingit et ars, per quam humana ac di-

vina noscantur. Hoc est summum bonum. quod si oc-
9 cupas, incipis deorum socius esse, non supplex. „Quo-
 modo, inquis, isto pervenitur?“ non per Peninum Gra-
 iumve montem nec per deserta Candaviae, nec Syrtes
 tibi nec Scylla aut Charybdis adeundae sunt, quae tamen
 omnia transisti procuratiunculae pretio: tutum iter est,
 iucundum est, ad quod natura te instruxit. dedit tibi illa,
10 quae si non deserueris, par deo surges. Parem autem
 deo pecunia non faciet: deus nihil habet. praetexta non
 faciet: deus nudus est. fama non faciet nec ostentatio
 tui et in populos nominis dimissa notitia: nemo novit
 deum, multi de illo male existimant, et inpune. non tur-
 ba servorum lecticam tuam per itinera urbana ac pere-
 grina portantium: deus ille maximus potentissimusque
 ipse vehit omnia. ne forma quidem et vires beatum te fa-
11 cere possunt: nihil horum patitur vetustatem. Quaeren-
 dum est, quod non fiat in dies peius, cui non possit ob-
stari. quid hoc est? animus, sed hic rectus, bonus,
magnus. quid aliud voces hunc quam deum in corpore
humano hospitantem? Hic animus tam in equitem Roma-
 num quam in libertinum, quam in servum potest cadere.
 quid est enim eques Romanus aut libertinus aut servus?
 nomina ex ambitione aut ex iniuria nata. subsilire in coe-
lum ex angulo licet. exsurge modo

et te quoque dignum

finge deo.

inges autem non auro vel argento: non potest ex hac
 materia imago dei exprimi similis: cogita illos, cum propi-
 tii essent, fictiles fuisse. Vale.

EPISTULA III. (32)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Inquiro in te et ab omnibus sciscitor, qui ex ista re-
 gione veniunt, quid agas, ubi et cum quibus moreris.
 verba dare non potes: tecum sum. Sic vive, tamquam
quid facias auditurus sim, immo tamquam visurus. Quaer-
 ris quid me maxime ex iis, quae de te audio, delectet?
 quod nihil audio, quod plerique ex his, quos interrogo,

nesciunt quid agas. Hoc est salutare, non con-
versari dissimilibus et diversa cupientibus.
 habeo quidem fiduciam non posse te detorqueri mansu-
 rumque in proposito, etiamsi sollicitantium turba circum-
 eat. quid ergo est? non timeo, ne mutent te, timeo, ne
 impedian. multum autem nocet etiam qui moratur, utique
 in tanta brevitate vitae, quam breviorē inconstantia
facimus aliud eius subinde atque aliud facientes initium.
 diducimus illam in particulas ac lancinamus. Propera ³
 ergo, Lucili carissime, et cogita quantum additurus ce-
 leritati fueris, si a tergo hostis instaret, si equitem ad-
 ventare suspicareris ac fugientium premere vestigia. Fit
 hoc, premeris: accelera et evade, perduc te in tutum et
 subinde considera, quam pulchra res sit con-
 summare vitam ante mortem, deinde exspectare
 securum reliquam temporis sui partem, nihil sibi, [ut] in
 possessione beatae vitae positum, quae beatior non fit,
 si longior. O quando illud videbis tempus, quo scies ⁴
 tempus ad te non pertinere! quo tranquillus placidusque
 eris et crastini neglegens et in summa tui satietate. Vis
 scire, quid sit, quod faciat homines avidos futuri? ne-
 mo sibi contigit. Optaverunt itaque tibi alia parentes tui:
 sed haec contra omnium tibi eorum contemptum opto,
 quorum illi cōpiam. Vota illorum multos concipiunt, ut te
 locuplētent. quicquid ad te transferunt, alicui detrahen-
 dum est. Opto tibi tui facultatem, ut vagis cogitationibus ⁵
 agitata mens tandem resistat et certa sit, ut placeat sibi
 et intellectis veris bonis, quae, simul intellecta sunt, pos-
sidentur, aetatis adiectione non egeat. Ille demum ne-
cessitates supergressus est et exauctoratus ac liber, qui
vivit vitā peractā. Vale. *non agrammatis aut dicitur*

EPISTULA IV. (33.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Desideras his quoque epistulis sicut prio-
 ribus adscribi aliquas voces nostrorum pro-
 cerum. Non fuerunt circa flosculos occupati: totus con-

textus illorum virilis est. inaequalitatem scias esse, ubi quae eminent, sunt notabilia. non est admirationi una arbor, ubi in eandem altitudinem tota silva surrexit.

- 2 Eiusmodi vocibus referta sunt carmina, refertae historiae. itaque nolo illas Epicuri existimes esse: publicae sunt et maxime nostrae. sed illo magis adnotantur, quia raras interim interveniunt, quia insperatae, quia mirum est fortiter aliquid dici ab homine mollitiam professo. ita enim plerique iudicant: apud me Epicurus est et fortis, licet manuleatus sit. fortitudo et industria et ad bellum prompta mens tam in Persas quam in alte cinctos cadit. Non est ergo, quod exigas excerpta et repetita: continuum est apud nostros quicquid apud alios excerpitur. non habemus itaque ista oculiferia nec emptorem decipimus nihil inventurum, cum intraverit, praeter illa, quae in fronte suspensa sunt. ipsis permittimus, unde
- 4 velint sumere exemplar. Puta nos velle singulares sententias ex turba separare: cui illas adsignabimus? Zenoni an Cleanthi an Chrysippo an Panaetio an Posidonio? non sumus sub rege: sibi quisque se vindicat. apud istos quicquid dicit Hermarchus, quicquid Metrodorus, ad unum refertur. omnia quae quisquam in illo contubernio locutus est, unius ductu et auspiciis dicta sunt. Non possumus, inquam, licet temptemus, educere aliquid ex tanta rerum aequalium multitudine.

pauperis est numerare pecus.

- Quocumque miseris oculum, id tibi occurret, quod eminere posset, nisi inter paria legeretur. Quare depone istam spem, posse te summam degustare ingenia maximorum virorum: tota tibi inspicienda sunt, tota tractanda. res geritur et per lineamenta sua ingenii opus nectitur, ex quo nihil subduci sine ruinâ potest. nec recuso, quo minus singula membra, dummodo in ipso homine, consideres: non est formosa, cuius crus laudatur aut brachium, sed illa, cuius universa facies admirationem
- 6 partibus singulis abstulit. Si tamen exegeris, non tam mendicem tecum agam, sed plena manu fiet: ingens eorum

turba est passim iacentium: sumenda erunt, non colligenda. non enim excidunt, sed fluunt. perpetua et inter se contexta sunt. nec dubito, quin multum conferant rudibus adhuc et extrinsecus auscultantibus. facilius enim singula insidunt circumscripta et carminis modo inclusa. Ideo pueris et sententias ediscendas damus et has quas 7 Graeci, *chrias* vocant, quia complecti illas puerilis animus potest, quia plus adhuc non capit certi profectus: viro captare flosculos turpe est et fulcire se notissimis ac paucissimis vocibus et memoria stare: sibi iam innitatur. dicat ista, non teneat. turpe est enim seni aut prospicienti senectutem ex commentario sapere. „Hoc Zenon dixit“: tú quid? „hoc Cleanthes“: tu quid? quousque sub alio moveris? [et] impera et dic, quod memoriae tradatur. aliquid et de tuo profer. Omnes itaque istos, numquam auctores, semper interpretes sub aliena umbra latentes, nihil existimo habere generosi, numquam ausos aliquando facere, quod diu didicerant. memoriam in alienis exercuerunt. aliud autem est meminisse, aliud scire: meminisse est rem commissam memoriae custodire. at contra scire est et sua facere quaeque nec ad exemplar pendere et totiens respicere ad magistrum. „Hoc dixit Zenon, hoc Cleanthes.“ aliquid inter te intersit et librum. quousque disces? iam et praeci-pe. Quid est et quare audiam, quod legere possum? „Multum, inquit, viva vox facit.“ non quidem haec, quae alienis verbis commodatur et actuarii vice fungitur. Adice nunc 10 quod isti, qui numquam tutelae suae fiunt, primum in ea re sequuntur priores, in qua nemo non a priore descivit. deinde in ea re sequuntur, quae adhuc quaeritur. numquam autem inveniatur, si contenti fuerimus inventis. praeterea qui alium sequitur, nihil invenit, immo nec quaerit. Quid ergo? non ibo per priorum vestigia? ego 11 vero utar via veteri, sed si propiorem planioremque invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt, non domini nostri, sed duces sunt. patet omnibus veritas. nondum est occupata. multum ex illa etiam futuris relictum est. Vale.

1. L. 10. 10. 10.

*by mag. bar
m. inf. by*

EPISTULA V. (34.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Cresco et exulto et discussâ senectute recalesco, quotiens ex his, quae agis et scribis, intellego, quantum te ipse (nam turbam olim reliqueras) superieceris. Si agricolam arbor ad fructum perductâ delectat, si pastor ex fetu gregis sui capit voluptatem, si alumnum suum nemo aliter intuetur quam ut adulescentiam illius suam iudicet: quid evenire credis his, qui ingenia educaverunt et quae tenera formaverunt,
- 2 adulta subito vident? Adsero te mihi: meum opus es. ego cum vidissem indolem tuam, inieci manum, exhortatus sum, addidi stimulos nec lente ire passus sum, sed subinde incitavi: et nunc idem facio, sed iam currentem
- 3 hortor et invicem hortantem. „Quid aliud, inquis, adhuc volo?“ in hoc plurimum est, non sic quomodo „principiâ totius operis dimidium occupare dicuntur: ista res animo constat: itaque pars magna bonitatis est, velle fieri bonum.“ Seis quem bonum dicam? perfectum, absolutum, quem
- 4 malum facere nulla vis, nulla necessitas possit. Hunc [in] te prospicio, si perseveraris et incubueris et id egeris, ut omnia facta dictaque tua inter se congruant ac respondeant sibi et unâ formâ percussa sint. Non est huius animus in recto, cuius acta discordant. Vale.

EPISTULA VI. (35.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Cum te tam valde rogo, ut studeas, meum negotium ago: habere amicum volo, quod contingere mihi, nisi pergis ut coepisti excolere te, non potest. nunc enim amas me, amicus non es. Quid ergo? haec inter se diversa sunt? immo dissimilia: qui amicus est, amat, qui amat, non utique amicus est. Itaque amicitia semper prodest, amor etiam aliquando nocet. Si nihil aliud, ob hoc profice, ut amare discas.
- 2 Festina ergo, dum mihi proficis, ne istud alteri didiceris. ego quidem percipio iam fructum, cum mihi fingo uno

nos animo futuros et quicquid aetati meae vigōris absces-
sit, id ad me ex tua, quamquam non multum abest, re-
diturum. sed tamen re quoque ipsa esse laetus volo.
Venit ad nos ex iis, quos amamus, etiam absentibus gau-³
dium, sed id leve et evanidum: conspectus et praesentia *immensitas*
et conversatio habet aliquid vivae voluptatis, utique si
non tantum quem velis, sed qualem velis videas. adfer
itaque te mihi ingens munus et, quo magis instes, cogita
te mortalem esse, me senem. Propera ad me, sed ad te ⁴
prius. Profice et ante omnia hoc cura, ut constes tibi.
Quotiens experiri voles, an aliquid actum sit, observa,
an eadem hodie velis, quae heri: mutatio voluntatis in-
dicat animum natare, aliubi atque aliubi adparere, prout
tulit ventus. non vagatur, quod fixum et fundatum est.
istud sapienti perfecto contigit, aliquatenus et proficienti
profectoque. Quid ergo interest? hic commovetur qui-
dem, non tamen transit, sed suo loco nutat. ille ne com-
movetur quidem. Vale.

EPISTULA VII. (36.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Amicum tuum hortare, ut istos magno ani-¹
mo contemnat, qui illum obiurgant, quod um-
bram et otium petierit, quod dignitatem suam de-
stituerit, et cum plus consequi posset, praetulerit quietem
omnibus: quam utiliter negotium suum gesserit, coti-
die illis ostendet. Hi, quibus invidetur, non desinent
transire: alii elidentur, alii cadent. res est inquieta felici-
tas: ipsa se exagitat. movet cerebrum non uno genere:
alios in aliud inflat, hos in potentiam, illos in luxuriam,
hos inflat, illos mollit et totos resolvit. „At bene aliquis ² *715 1000*
illam fert.“ sic, quomodo vinum. itaque non est, quod
tibi isti persuadeant eum esse felicem, qui a multis obsi-
detur: sic ad illum, quemadmodum ad lacum concur-
ritur, quem [qui] exhauriunt, et turbant. „Nugatorium et
inertem vocant.“ Scis quosdam perverse loqui et signi-
ficare contraria. felicem vocabant: quid ergo? erat? Ne ³
illud quidem curo, quod quibusdam nimis horridi animi

- videtur et tetrici. Ariston aiebat „malle [se] adulescentem tristem quam hilarem et amabilem turbare. vinum enim bonum fieri, quod recens durum et asperum visum est: non pati aetatem, quod in dolio placuit.“ Sine eum tristem adpellent et inimicum processibus suis: bene se dabit in vetustate ipsa tristitia, perseveret modo colere virtutem, perbibere liberalia studia, non illa, quibus perfrui satis est, sed haec, quibus tingendus est animus.
- 4 Hoc est discendi tempus. „Quid ergo? aliquid est, quo non sit discendum?“ minime. sed quemadmodum omnibus annis studere honestum est, ita non omnibus institui. turpis et ridicula res est elementarius senex: iuveni parandum, seni utendum est. facies ergo rem utilissimam tibi, si illum quam optimum feceris: haec aiunt beneficia esse expetenda tribuendaque, non dubie primae sortis,
- 5 quae tam prodest dare quam accipere. Denique nihil illi iam liberi est: spondit. minus autem turpe est, creditori quam spei bonae decoquere. Ad illud aes alienum solvendum opus est negotianti navigatione prospera, agrum colenti ubertate eius, quam colit, terrae, coeli favore: ille quod debet, sola potest voluntate persolvi.
- 6 In mores fortuna ius non habet. hos disponat, ut quam tranquillissimus ille animus ad perfectum veniat, qui nec ablatum sibi quicquam sentit nec adiectum, sed in eodem habitu est, quomocumque res cadunt. cui sive adgeruntur volgaria bona, supra res suas eminent, sive aliquid ex istis vel omnia casus excussit, minor non fit.
- 7 Si in Parthia natus esset, arcum infans statim tenderet. si in Germania, protinus puer tenerum hostile vibraret. si avorum nostrorum temporibus fuisset, equitare et hostem cominus percutere didicisset. haec singulis disciplina gentis suae suadet atque imperat. Quid huic ergo meditandum est? quod adversus omnia tela, quod adversus omne hostium genus bene facit, mortem contemnere, quae quin habeat aliquid in se terribile, ut et animos nostros, quos in amorem sui natura formavit, offendat, nemo dubitat: nec enim opus esset in id comparari et acui, in quod instinctu quodam voluntario ire-

mus, sicut feruntur omnes ad conservationem sui. Nemo 9
discit, ut, si necesse fuerit, aequo animo in rosa iaceat:
sed in hoc duratur, ut tormentis non submittat fidem, ut,
si necesse fuerit, stans etiam aliquando saucius pro vallo
pervigilet et ne pilo quidem incumbat, quia solet obre-
pere interim somnus in aliquod adminiculum reclinatis. *ipulum*
Mors nullum habet incommodum: esse enim debet aliquis, *Am 1/2*
cuius sit incommodum. Quod si tanta cupiditas te lon- 10
gioris aevi tenet, cogita nihil eorum, quae ab oculis
abeunt et in rerum naturam, ex qua prodierunt ac mox
processura sunt, reconduntur, consūmi: desinunt ista,
non pereunt. et mors, quam pertimescimus ac recusa-
mus, intermittit vitam, non eripit: veniet iterum, qui
nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi
oblitos reduceret. Sed postea diligentius docebo omnia, 11
quae videntur perire, mutari. Aequo animo debet redi-
turus exire. observa orbem rerum in se remeantium: vi-
debis nihil in hoc mundo exstingui, sed vicibus descen-
dere ac surgere: aestas abiit, sed alter illam annus ad-
ducet. hiems cecidit, referent illam sui menses. solem
nox obruit, sed ipsam statim dies abiget. stellarum iste
discursus quicquid praeteriit repetit: pars coeli levatur
adsidue, pars mergitur. Denique finem faciam, si hoc 12
unum adiecero, nec infantes nec pueros nec mente lapsos
timere mortem et esse turpissimum, si eam securitatem
nobis ratio non praestat, ad quam stultitia perdūcit. Vale.

EPISTULA VIII. (37.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quod maximum vinculum est ad bonam mentem, pro- 1
misisti virum bonum: sacramento rogatus es. Deridebit
te, si quis tibi dixerit mollem esse militiam et facilem:
nolo te decipi: eadem honestissimi huius et illius turpis-
simi auctoramenti verba sunt: „uri, vinciri ferro-
que necari.“ Ab his, qui manus arenae locant et edunt 2
ac bibunt, quae per sanguinem reddant, cavetur, ut ista
vel inviti patiantur: a te, ut volens libensque patiaris.
illis licet arma submittere, misericordiam populi temptare:

tu neque submittes nec vitam rogabis. recto tibi invictoque moriendum est. Quid porro prodest paucos dies aut
 3 annos lucri facere? sine missione nascimur. „Quomodo ergo, inquis, me expediam?“ Effugere non potes necessitates, potes vincere.

Fit via [vi].

et hanc tibi vi[a]m dabit philosophia. ad hanc te confer, si vis salvus esse, si securus, si beatus, denique si vis esse, quod est maximum, liber. hoc contingere aliter
 4 non potest. Humilis res est stultitia, abiecta, sordida, servilis, multis adfectibus et saevissimis subiecta. hos tam graves dominos, interdum alternis imperantes, interdum pariter, dimittit a te sapientia, quae sola libertas est. Una ad hanc fert via, et quidem recta. non aberrabis. vade certo gradu: si vis omnia tibi subicere, te subice rationi. multos reges, si ratio te rexerit. ab illa disces, quid et quemadmodum adgredi debeas. non incides rebus. Neminem mihi dabis, qui sciat, quomodo
 5 quod vult, coeperit velle: non consilio adductus [illo], sed inpetu inactus est. non minus saepe fortuna in nos incurrit quam nos in illam. turpe est non ire, sed ferri et subito in medio turbine rerum stupentem quaerere: huc ego quemadmodum veni? Vale.

EPISTULA IX. (38.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Merito exigis, ut hoc inter nos epistularum commercium frequentemus. plurimum proficit sermo, quia minutatim inrepat animo: disputationes praeparatae et effusae audiente populo plus habent strepitus, minus familiaritatis. Philosophia bonum consilium est: consilium nemo clare dat. aliquando utendum est et illis, ut ita dicam, concionibus, ubi qui dubitat, impellendus est: ubi yero non hoc agendum est, ut velit disscere, sed ut discat, ad haec submissiora verba veniendum est. faciliter intrant et haerent: nec enim multis opus
 2 est, sed efficacibus. Seminis modo spargenda sunt, quod quamvis sit exiguum, cum occupavit idoneum

locum, vires suas explicat et ex minimo in maximos autus diffunditur. Idem facit ratio: non late patet, si adspicias: in opere crescit. pauca sunt, quae dicuntur. sed si illa animus bene exceptit, convalescunt et exsurgunt. Eadem est, inquam, praeceptorum condicio quae seminum: multum efficiunt, et angusta sunt. tantum, ut dixi, idonea mens rapiat illa et in se trahat. multa invicem et ipsa generabit et plus reddet quam acceperit.
Vale

EPISTULA X. (39.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Commentarios, quos desideras, diligenter **1** ordinatos et in angustum coactos ego vero componam: sed vide, ne plus profutura sit ratio ordinaria quam haec, quae nunc volgo breviarium dicitur, olim cum latine loqueremur, summarium vocabatur. Illa res discenti magis necessaria est, haec scienti. illa enim docet, haec admonet. sed utriusque rei tibi copiam faciam. tu a me non est quod illum aut illum exigas: qui notorem dat, ignotus est. Scribam ergo quod vis, sed **2** meo more: interim multos habes, quorum scripta nescio an satis ordinent. Sume in manus indicem philosophorum: haec ipsa res expergisci te coget, si videris, quam multi tibi laboraverint. concupisces et ipse ex illis unus esse. habet enim hoc optimum in se generosus animus, quod concitatur ad honesta. neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida: magnarum rerum species ad se vocat et extollit. **3** Quemadmodum flamma surgit in rectum, iacere ac deprimi non potest, non magis quam quiescere: ita noster animus in motu est, eo mobilior et actuosior, quo vehementior fuerit. Sed felix, qui ad meliora hunc inpetum dedit: ponet se extra ius ditionemque fortunae. secunda temperabit, adversa comminuet et aliis admiranda despiciet. **4** Magni animi est magna contemnere ac mediocria malle quam nimia. illa enim utilia vitaliaque sunt. at haec eo, quo superfluunt, nocent: sic segetem nimia sternit ubertas,

sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non per-
 venit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos
 inmoderata felicitas rumpit, qua non tantum in
 5 aliorum iniuriam, sed etiam in suam utuntur. Quis hos-
 tis in quemquam tam contumeliosus fuit quam in quos-
 dam voluptates suae sunt? quorum in potentiae atque in-
 sanae libidini ob hoc unum possis ignoscere, quod quae
 fecere, patiuntur. nec inmerito hic illos furor vexat. ne-
 cesse est enim, in immensum exeat cupiditas, quae na-
turalem modum transsiliit. ille enim habet suum finem,
 6 inania et ex libidine orta sine termino sunt. ¶ Necessaria
metitur utilitas: supervacua quo redigis? voluptatibus
itaque se mergunt, quibus in consuetudinem adductis
carere non possunt, et ob hoc miserrimi sunt, quod eo
pervenerunt, ut illis quae supervacua fuerant, facta sint
necessaria. serviunt itaque voluptatibus, non fruuntur,
et mala sua, quod malorum ultimum est, et amant: tunc
autem est consummata infelicitas, ubi turpia non solum
delectant, sed etiam placent, et desinit esse remedio lo-
cus, ubi quae fuerant vitia, mores sunt. Vale.

EPISTULA XI. (40.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Quod frequenter mihi scribis, gratias ago:
 nam quo uno modo potes, te mihi ostendis. numquam
 epistulam tuam accipio, ut non protinus una simus. Si
 imagines nobis amicorum absentium iucundae sunt, quae
 memoriam renovant et desiderium absentiae falso atque
 inani solatio levant: quanto iucundiores sunt literae, quae
 vera amici absentis vestigia, veras notas adferunt? nam
 quod in conspectu dulcissimum est, id amici manus epi-
 2 stulae impressa praestat, agnoscere. Audisse te scribis
 Serapionem philosophum, cum istuc adplicuisset: „solet
 magno cursu verba convellere, quae non effundit una,
 sed premit et urget. plura enim veniunt quam quibus una
 vox sufficiat.“ Hoc non probo in philosopho, cuius
pronuntiatio quoque, sicut vita, debet esse
composita: nihil autem ordinatum est, quod praecipi-

tatur et properat. itaque oratio illa apud Homerum concitata et sine intermissione in morem nivis superveniens oratori data est: lenis et melle dulcior seni profluit. Sic ³ itaque habe, istam vim dicendi rapidam atque abundantem aptiorem esse circulanti^{man. K. Hoffm.} quam agenti in rem magnam ac seriam docentique. aeque stillare illum nolo quam currere: nec extendat aures nec obruat. nam illa quoque inopia et exilitas minus intentum auditorem habet taedio interruptae tarditatis: facilius tamen insidit, quod expectatur, quam quod praetervolat. Denique tradere homines discipulis praecepta dicuntur: non traditur quod fugit. Adice nunc, quod quae veritati operam dat oratio ⁴ inconposita debet esse et simplex: haec popularis nihil habet veri. movere vult turbani et inconsultas aures inpetu rapere, tractandam se non praebet, aufertur: quomodo autem regere potest, quae regi non potest? Quid, quod haec oratio, quae sanandis mentibus adhibetur, descendere in nos debet? remedia non prosunt, nisi inmorantur. Multum praeterea habet inanitatis et vani, plus ⁵ sonat quam valet. lenienda sunt, quae me exterrent, conpescenda, quae irritant, discutienda, quae fallunt, inhibenda luxuria, conripienda avaritia: quid horum raptim potest fieri? quis medicus in transitu curat aegros? Quid, quod ne voluptatem quidem ullam habet talis verborum sine delectu ruentium strepitus? Sed ut pleraque, quae ⁶ fieri posse non crederes, cognovisse satis est: ita istos, qui verba exercuerunt, abunde est semel audisse. quid enim quis discere, quid imitari velit? quid de eorum animo iudicet, quorum oratio perturbata et inmissa est nec potest reprimi? Quemadmodum per proclive curren- ⁷ tium non ubi visum est, gradus sistitur, sed incitato corporis pondere se rapit ac longius quam voluit effertur: sic ista dicendi celeritas nec in sua potestate est nec satis decora philosophiae, quae ponere debet verba, non proicere, et pedetentim procedere. „Quid ergo? non ali- ⁸ quando et insurget?“ Quidni? sed salvâ dignitate morum, quam violenta ista et nimia vis exuit. habeat vires magnas, moderatas tamen: perennis sit unda, non torrens.

- Vix oratori permiserim talem dicendi velocitatem inre-
vocabilem ac sine lege vadentem. quemadmodum enim
iudex subsequi poterit, aliquando etiam inperitus et ru-
dis? Tum quoque, cum illum aut ostentatio abstulerit
aut adfectus inpetus sui, tantum festinet atque ingérat,
9 quantum aures pati possunt. / Recte ergo facies, si non
videris istos, qui 'quantum' dicant, non 'quemadmodum'
quaerunt, et ipse malueris, si necesse est, vel ut P. Vi-
nicius dicere. „Quí itaque?“ Cum quaereretur, quomodo
P. Vinicius diceret, Arellius ait: „tractim.“ nam Gemi-
nus Varius ait: „*Quomodo istum 'disertum' dicatis nescio:
tria verba non potest iungere.*“ Quidni malis tu sic dicere,
10 quomodo Vinicius? Aliquis tam insulsus intervenerit
quam qui illi singula verba vellenti, tamquam dictaret,
non diceret, ait: „*dic. numquam dicas?*“ / Nam Q. Haterii
cursum, suis temporibus oratoris celeberrimi, longe ab-
esse ab homine sano volo: numquam dubitavit, numquam
11 intermisit. semel incipiebat, semel desinebat. / Quaedam
tamen et nationibus puto magis aut minus convenire: in
Graecis hanc licentiam tuleris. nos etiam cum scribimus,
interpungere adsuevimus. Cicero quoque noster, a quo
Romana eloquentia exsiluit, gradarius / fuit. Romanus
sermo magis se circumspicit et aestimat praebetque aesti-
12 mandum. Fabianus, vir egregius et vitâ et scientiâ et,
quod post ista est, eloquentiâ quoque, disputabat ex-
pedite magis quam concitate, ut posses dicere facilitatem
esse illam, non celeritatem. hanc ego in viro sapiente
recipio: non exigo, ut oratio eius sine impedimento exeat.
13 proferatur tamen malo quam profuat. Eo autem magis
te deterreo ab isto morbo, quod non potest tibi res ista
contingere aliter quam si te pudere desierit: perfrices
frontem oportet et te ipsum non audias. multa enim
[in]observatus ille cursus feret, quae reprehendere velis.
14 Non potest, inquam, tibi contingere res ista salvâ vere-
cundiâ. praeterea exercitatione opus est cotidianâ et a
rebus studium transferendum est ad verba. haec autem
etiamsi aderunt et poterunt sine ullo tuo labore decurrere,
tamen temperanda sunt. nam quemadmodum sapienti viro

incessus modestior convenit, ita oratio pressa, non audax. Summa ergo summarum haec erit: tardiloquum te esse iubeo. Vale.

EPISTULA XII. (41.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Facis rem optimam et tibi salutarem, si, ut scribis, ¹ perseveras ire ad bonam mentem, quam stultum est optare, cum possis a te inpetrare. Non sunt ad coelum elevandae manus nec exorandus aedituus, ut nos ad aurem simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat: prope est a te deus, tecum est, intus est. Ita ² dico, Lucili: sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator, [et] custos. hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. bonus vero vir sine deo nemo est. an potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exsurgere? ille dat consilia magnifica et erecta. in unoquoque virorum bonorum

quis deus incertum est, habitat deus.

Si tibi occurrerit vetustis arboribus et solitam altitudinem ³ egressis frequens lucus et conspectum coeli ramorum aliorum alios protegentium umbra submovens: illa proceritas silvae et secretum loci et admiratio umbrae in aperto tam densae atque continuae fidem tibi numinis facit. et si quis specus saxi penitus exesis montem suspenderit, non manu factus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem ² excavatus, animum tuum quadam religionis suspitione percutiet. magnorum fluminum capita veneramur. subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet. coluntur aquarum calentium fontes, et stagna quaedam vel opacitas vel immensa altitudo sacravit: si homi- ⁴ nem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, ex aequo deos: non subibit te eius veneratio? non dices: ista res maior est altiorque quam ut credi similis huic, in quo est, corpusculo possit? Vis istuc divina descendit. animum ex- ⁵ cellentem, moderatum, omnia tamquam minora transeun-

tem, quicquid timemus optamusque ridentem, coelestis potentia agitat. non potest res tanta sine adminiculo numinis stare: itaque maiore sui parte illic est, unde descendit. Quemadmodum radii solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt, unde mittuntur: sic animus magnus ac sacer et in hoc demissus, ut propius quidem divina nossemus, conversatur quidem nobiscum, sed haeret origini suae: illinc pendet, illuc spectat ac nititur, nostris tamquam melior interest. Quis est ergo hic animus? qui nullo bono nisi suo nitet. quid enim est stultius quam in homine aliena laudare? quid eo dementius, qui ea miratur, quae ad alium transferri protinus possunt? Non faciunt meliorem equum aurei freni. aliter leo aurata iuba mittitur, dum contractatur et ad patientiam recipiendi ornamentum cogitur fatigatus, aliter incultus, integri spiritus: hic scilicet inpetu acer, qualem illum natura esse voluit, speciosus ex horrido, cuius hic decor est, non sine timore adspici, praefertur illi languido et bracteato. Nemo gloriari nisi suo debet. Vitem laudamus, si fructu palmites onerat, si ipsa pondere [ad terram] eorum, quae tulit, adminicula deducit: num quis huic illam praeferret vitem, cui aureae uvae, aurea folia dependent? Propria virtus est in vite fertilitas: in homine quoque id laudandum est, quod ipsius est. Familiam formosam habet et domum pulchram, multum serit, multum fenerat: nihil horum in ipso est, sed circa ipsum. Lauda in ipso, quod nec eripi potest nec dari, quod proprium hominis est: quaeris quid sit? animus et ratio in animo perfecta. rationale enim animal est homo. consummatur itaque eius bonum, si id implevit, cui nascitur. Quid est autem, quod ab illo ratio haec exigit? rem facillimam, secundum naturam suam vivere. sed hanc difficilem facit communis insania: in vitia alter alterum trudimus. quomodo autem revocari ad salutem possunt, quos nemo retinet, populus inpellit? Vale.

L. ANNAEI SENECAE
AD LUCILIUM
EPISTULARUM MORALIUM
LIBER V.

EPISTULA I. (42.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Iam tibi iste persuasit virum se bonum esse? atqui 1
vir bonus tam cito nec fieri potest nec intel-
legi. scis quem nunc virum bonum dicam? huius secun-
dae notae. nam ille alter fortasse tamquam phoenix semel
anno quingentesimo nascitur. Nec est mirum ex inter-
vallo magna generari: mediocria et in turbam nascentia
saepe fortuna producit, eximiã vero ipsã raritate com-
 mendat. Sed iste multum adhuc abest ab eo, quod pro- 2
fitetur. et si sciret, quid esset vir bonus, nondum esse
se crederet, fortasse etiam fieri posse desperaret. „At
male existimat de malis.“ hoc etiam mali faciunt, nec
ulla maior poena nequitiae est quam quod sibi ac suis
displicet. „At odit eos, qui subitã et magnã potentiã in- 3
potenter utuntur.“ idem faciet, cum idem potuerit. Mul-
torum, quia inbecilla sunt, latent vitia, non minus au-
sura, cum illis vires suae placuerint, quam illa, quae iam
felicitas aperuit. instrumenta illis explicandae nequitiae
desunt. Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum 4
rigit frigore: non desunt tunc illi venena, sed torpent.
Multorum crudelitas et ambitio et luxuria, ut paria pes-
simis audeat, fortunae favore deficitur. eadem velle co-
gnosces: da posse, quantum volunt. Meministi, cum 5
quando * * adfirmares esse in tua potestate, dixisse me
volaticum esse ac levem et te non pedem eius tenere, sed
pennam? mentitus sum: plumã tenebatur, quam remisit
et fugit. scis, quos postea tibi exhibuerit ludos, quam
multa in caput suum casura temptaverit. non videbat se
per aliorum pericula in suum ruere. non cogitabat, quam

- onerosa essent, quae petebat, etiamsi supervacua non
 6 essent. Hoc itaque in his, quae adfectamus, ad
 quae labore magno contendimus, inspicere
 debemus, aut nihil in illis commodi esse aut
 plus incommodi. quaedam supervacua sunt,
 quaedam tanti non sunt. Sed haec non provide-
 mus et gratuita nobis videntur, quae carissime constant.
- 7 Ex eo licet stupor noster, adpareat, quod ea sola puta-
 mus emi, pro quibus pecuniam solvimus: ea gratuita vo-
 camus, pro quibus nos ipsos inpendimus. quae emere
 nollemus, si domus nobis nostra pro illis esset danda,
 si amoenum aliquod fructuosumve praedium, ad ea pa-
 ratissimi sumus pervenire cum sollicitudine, cum peri-
 culo, cum iacturâ pudoris et libertatis et temporis: adeo
 8 nihil est cuique se vilis. Idem itaque in omnibus consi-
 liliis rebusque faciamus, quod solemus facere, quotiens
 ad institorem alicuius mercis accessimus: videamus, hoc
 quod concupiscimus, quanti deferatur. Saepe maximum
 pretium est, pro quo nullum datur: multa possum tibi
 ostendere, quae adquisita acceptaque libertatem nobis
 extorserint. nostri essemus, si ista nostra non essent.
- 9 Haec ergo tecum ipse versa, non solum ubi de incre-
 mento agetur, sed etiam ubi de iactura. „Hoc perituum
 est.“ nempe adventicium fuit: tam facile sine isto vives
 quam vixisti. si diu illud habuisti, perdis postquam sa-
 tiatus es: si non diu, perdis antequam adsuescas. „Pe-
 cuniam minorem habebis.“ nempe et molestiam: „gra-
 10 tiam minorem.“ nempe et invidiam. Circumspice ista,
 quae nos agunt in insaniam, quae cum plurimis lacrimis
 amittimus: scies non damnum in his molestum esse, sed
 opinionem damni. nemo illa perisse sentit, sed cogitat.
Qui se habet, nihil perdidit: sed quoto cuique habere se
 contigit? Vale.

EPISTULA II. (43.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Quomodo hoc ad me pervenerit quaeris, quis mihi id
 te cogitare narraverit, quod tu nulli narraveras? Is qui

scit plurimum, rumor. „Quid ergo? inquis, tantus sum, ut possim excitare rumorem?“ Non est, quod te ad hunc locum respiciens metiaris: ad istum respice, in quo moraris. Quicquid inter vicina eminet, magnum est illic, 2 ubi eminet. nam magnitudo habet modum incertum: comparatio illam aut tollit aut deprimit. Navis, quae in flumine magna est, in mari parvula est. gubernaculum, quod alteri navi magnum [est], alteri exiguum est. Tu 3 nunc in provincia, licet contempnas ipse te, magnus es. quid agas, quemadmodum coenes, quemadmodum dormias, quaeritur, scitur: eo tibi diligentius vivendum est. tunc autem felicem esse te iudica, cum poteris vivere in publico, cum te parietes tui tegent, non abscondent, quos plerumque circumdatos nobis iudicamus non ut tutius vivamus, sed ut peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores aestimes 4 nostros: vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. ianitores conscientia nostra, non superbia opposuit: sic vivimus, ut 'deprehendi' sit 'subito adspici'. Quid autem prodest recondere se et oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat, mala 5 etiam in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt quae facis, omnes sciant, si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scias? O te miserum, si contempnis hunc testem! Vale.

EPISTULA III. (44.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Iterum tu mihi te pusillum facis et dicis malignius te- 1 cum egisse naturam prius, deinde fortunam: cum possis eximere te volgo et ad felicitatem hominum maximam emergere. Si quid est aliud in philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit: omnes, si ad originem primam revocantur, a dis sunt. Eques Romanus es et ad 2 hunc ordinem tua te perduxit industria: at mehercules multis quatuordecini' clausi sunt. non omnes curia admittit. castra quoque, quos ad laborem et periculum re-

cipient, fastidiose legunt: bona mens omnibus patet,
omnes ad hoc sumus nobiles. nec reicit quemquam phi-
 3 losophia nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates
 non fuit. Cleanthes aquam traxit et rigando horto locavit
 manus. Platonem non accepit nobilem philosophia, sed
 fecit: quid est quare despères his te posse fieri parem?
omnes hi maiores tui sunt, si te illis geris dignum: geres
 autem, si hoc protinus tibi persuaseris, a nullo te nobili
 4 tate superari. Omnibus nobis totidem ante nos sunt:
 nullius non origo ultra memoriam iacet. Plato ait „nemi-
 nem regem non ex servis esse oriundum, neminem non
 servum ex regibus.“ Omnia ista longa varietas miscuit
 5 et sursum deorsum fortuna versavit. Quis est generosus?
ad virtutem bene a natura compositus. hoc unum intuen-
 dum est: alioquin si ad vetera revocas, nemo non inde
 est, ante quod nihil est. a primo mundi ortu usque in
 hoc tempus perduxit nos ex splendidis sordidisque alter-
 nata series. Non facit nobilem atrium plenum fumosis
 6 imaginibus. nemo in nostram gloriam vixit nec quod ante
 nos fuit, nostrum est: animus facit nobilem, cui ex qua-
 cumque condicione supra fortunam licet surgere. Puta
 itaque te non esse equitem Romanum, sed libertinum.
 potes hoc consequi, ut solus sis liber inter ingenuos.
 „Quomodo?“ inquis. Si mala bonaque non populo au-
 ctore distinxis. Intuendum est non unde veniant, sed
 quo eant. Si quid est, quod vitam beatam potest facere,
 id bonum est suo iure. depravari enim in malum non pot-
 7 est. Quid est ergo, in quo erratur, cum omnes beatam
vitam optent? quod instrumenta eius pro ipsâ habent et
 illam, dum petunt, fugiunt. nam cum summa vitae bea-
 tae sit solida securitas et eius inconcussa fiducia, solli-
 citudinis colligunt causas et per insidiosum iter vitae non
 tantum ferunt sarcinas, sed trahunt: ita longius ab effe-
 ctu eius, quod petunt, semper abscedunt et quo plus
 operae impenderunt, hoc se magis impediunt et feruntur
 retro. quod evenit in labyrintho properantibus: ipsa illos
 velocitas implicat. Vale.

EPISTULA IV. (45.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Librorum istic inopiam esse quereris. Non refert, ¹
 quam multos, sed quam bonos habeas: lectio certa pro-
 dest, varia delectat. qui, quo destinavit, pervenire vult,
unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire
 istuc, sed errare est. „Vellem, inquis, magis libros ²
 mihi quam consilium dares.“ Ego vero quoscumque ha-
 beo, mittere paratus sum et totum horreum excutere. me
 quoque isto, si possem, transferrem, et nisi mature te
 finem officii sperarem inpetraturum, hanc senilem exp-
 editionem indixissem mihi nec me Charybdis et Scylla et
 fabulosum istud fretum deterrere potuissent. tranassem
 ista, non solum traiecissem, dummodo te complecti pos-
 sem et praesens aestimare, quantum animo crevisses.
 Ceterum quod libros meos tibi mitti desideras, ³
 non magis ideo me disertum puto quam formosum puta-
 rem, si imaginem meam peteres. indulgentiae scio
 istud esse, non iudicii. et si modo iudicii est, in-
 dulgentia tibi inposuit. Sed qualescumque sunt, tu illos ⁴
 sic lege, tamquam verum quaeram adhuc, non sciam, et
 contumaciter quaeram. non enim me cuiquam emancipavi,
 nullius nomen fero. multum magnorum virorum
 iudicio credo, aliquid et meo vindico. nam illi
 quoque non inventa, sed quaerenda nobis re-
 liquerunt, et invenissent forsitan necessaria,
 nisi et supervacua quaesissent. Multum illis ⁵
 temporis verborum cavillatio eripuit et ca-
 ptiosae disputationes, quae acumen inritum
 exercent. Nectimus nodos et ambiguam significatio-
 nem verbis inligamus ac deinde dissolvimus: tantum no-
 bis vacat? iam vivere, iam mori scimus? Tota illo mente
 pergendum est, ubi provideri debet, ne res nos, non
 verba, decipiant. Quid mihi vocum similitudines distin- ⁶
 guis, quibus nemo umquam nisi dum disputat, captus
 est? res fallunt: illas discerne. Pro bonis mala ample-
 ctimur: optamus contra id, quod optavimus. pugnant

- 7 vota nostra cum votis, consilia cum consiliis. Adulatio quam similis est amicitiae! non imitatur tantum illam, sed vincit et praeterit. apertis ac propitiis auribus recipitur et in praecordia ima descendit, eo ipso gratiosa, quo laedit: doce quemadmodum hanc similitudinem possim dinoscere. Venit ad me pro amico blandus inimicus. vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt. temeritas sub titulo fortitudinis latet. moderatio vocatur ignavia. pro cauto timidus accipitur: in his magno periculo erramus.
- 8 his certas notas inprime. Ceterum qui interrogatur, an cornua habeat, non est tam stultus, ut frontem suam temptet, nec rursus tam ineptus aut hebes, ut nesciat, si tu illi subtilissima collectione persuaseris. Sic ista sine noxa decipiunt, quomodo praestigiatorum acetabula² et calculi³, in quibus me fallacia ipsa delectat. effice, ut, quomodo fiat, intellegam: perdidit usum. idem de istis captionibus dico: quo enim nomine potius sophismata
- 9 adpellem? nec ignorantem nocent nec scientem iuvant. Si utique vis verborum ambiguitates diducere, hoc nos doce, beatum non eum esse, quem volgus adpellat, ad quem pecunia magna confluit, sed illum, cui bonum omne in animo est, erectum et excelsum et mirabilia calcantem, qui neminem videt, cum quo se conmutatum velit, qui hominem ea sola parte aestimat, qua homo est, qui natura magistrâ utitur, ad illius leges componitur, sic vivit, quomodo illa praescripsit, cui bona sua nulla vis excutit, qui mala in bonum vertit, certus iudicii, inconcussus, intrepidus, quem aliqua vis movet, nulla perturbat, quem fortuna, cum, quod habuit telum nocentissimum, vi maxima intorsit, pungit, non volnerat, et hoc raro: nam cetera eius tela, quibus genus humanum debellatur, grandinis more dissultant, quae incussa tectis sine ullo habitatoris incommodo crepitat ac solvitur. / Quid me detines
- 10 in eo, quem tu ipse ψευδόμενον adpellas, de quo tantum librorum compositum est? ecce tota mihi vita mentitur: hanc coargue, hanc ad verum, si acutus es, redige. Necessaria iudicat, quorum magna pars supervacua est. etiam quae non est supervacua, nihil in se mo-

menti habet in hoc, ut possit fortunatum beatumque praestare. non enim statim bonum est, si quid necessarium est: aut proicimus bonum, si hoc nomen panis et polentae damus et ceteris, sine quibus vita non ducitur. Quod 11 bonum est, utique necessarium est. quod necessarium est, non utique bonum est, quoniam quidem necessaria sunt quaedam, eadem vilissima. nemo usque eo dignitatem boni ignorat, ut illud ad haec in diem utilia demittat. Quid ergo? non eo potius curam transferes, ut ostendas omnibus magno temporis inpendio quaeri supervacua et multos transisse vitam, dum vitae instrumenta conquirunt? recognosce singulos, considera universos: nullius non vita spectat in crastinum. Quid in hoc sit mali 13 quaeris? infinitum: non enim vivunt, sed victuri sunt. omnia differunt. Etiam si adtenderemus, tamen nos vita praecurreret: nunc vero cunctantes quasi aliena transcurrit et ultimo die finitur, omni perit. Sed ne epistulae modum excedam, quae non debet sinistram manum legentis implere, in alium diem hanc litem cum dialecticis differam, nimium subtilibus et hoc solum curantibus, non et hoc. Vale.

EPISTULA V. (46.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Librum tuum, quem mihi promiseras, ac cepi et tamquam lecturus ex commodo adaperui ac tantum degustare volui. deinde blanditus est ipse, ut procederem longius. qui quam disertus fuerit, ex hoc intellegas licet: levis mihi visus est, cum esset nec mei nec tui corporis, sed qui primo aspectu aut T. Livii aut Epicuri posset videri. tanta autem dulcedine me tenuit et traxit, ut illum sine ulla dilatione perlegerim. sol me invitabat, fames admonebat, nubes minabantur: tamen exhausti totum. Non tantum delectatus, sed gavisus sum. 2 quid ingenii iste habuit, quid animi! dicerem, quid inpetus, si interquievisset, si intervallo surrexisset: nunc non fuit inpetus, sed tenor, compositio virilis et sancta. nihilominus interveniebat dulce illud et loco lene. Gran-

dis, erectus es: hoc te volo tenere, sic ire. fecit aliquid et materia: ideo eligenda est fertilis, quae capiat ingenium, quae incitet. De libro plura scribam cum illum retractavero: nunc parum mihi sedet iudicium, tamquam audierim illa, non legerim. sine me et inquirere. non est quod verearis: verum audies. O te hominem felicem, quod nihil habes, propter quod quisquam tibi tam longe mentiatur! nisi quod iam etiam ubi causa sublata est, mentimur consuetudinis causa. Vale.

EPISTULA VI. (47.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Libenter ex his, qui a te veniunt, cognovi familiariter te cum servis tuis vivere. hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem decet. „Servi sunt.“ immo homines. „servi sunt.“ immo contubernales. „servi sunt.“ immo humiles amici. „servi sunt.“ immo conservi: si cogitaveris tantumdem in utroque licere fortunae. Itaque rideo istos, qui turpe existimant cum servo suo coenare: quare? nisi quia superbissima consuetudo coenanti domino stantium servorum turbam circumdedit. est ille plus quam capit, et ingenti aviditate onerat distentum ventrem ac desuetum iam ventris officio, ut maiore operâ omnia egerat quam ingessit:
- 3 at infelicibus servis movere labra ne in hoc quidem, ut loquantur, licet. virgâ murmur omne conpescitur, et ne fortuïta quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternumenta, singultus. magno malo ulla voce interpellatum
- 4 silentium luitur. nocte tota ieiuni mutique perstant. Sic fit, ut isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet: at illi, quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis erat sermo, quorum os non consuebatur, parati erant pro domino porrigere cervicem, periculum imminens in caput suum avertere: in conviviis loquebantur, sed in tormentis tacebant. Deinde eiusdem arrogantiae proverbium iactatur: totidem hostes esse quot servos. Non habemus illos hostes, sed facimus. Aliâ interim crudelia, inhumana praetereo, quod ne tamquam

hominibus quidem, sed tanquam iumentis abutimur, quod cum ad coenandum discubuimus, alius sputa deterget, alius reliquias temulentorum subditus colligit. Alius pretiosas aves scindit: per pectus et clunes certis ductibus circumferens eruditam manum frustra excutit. infelix, qui nuic uni rei vivit, ut altitia decenter secet: nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis causa docet quam qui necessitatis discit. Alius vini minister in muliebrem modum ornatus cum aetate luctatur: non potest effugere pueritiam: retrahitur, iamque militari habitu glaber rethritis pilis aut penitus evulsis tota nocte pervigilat, quam inter ebrietatem domini ac libidinem dividit et in cubiculo vir, in convivio puer est. Alius, cui convivarum censura permissa est, perstat infelix et exspectat, quos adulatio et intemperantia aut gulae aut linguae revocet in crastinum. Adice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt, cuius illum rei sapor excitet, cuius delectet adspectus, cuius novitate nausiabundus erigi possit, quid iam ipsa satietate fastidiat, quid illo die esuriat. Cum his coenare non sustinet et maiestatis suae diminutionem putat ad eandem mensam cum servo suo accedere. di melius! quot ex istis dōminos habet! Stare ante limen Callisti. dominum suum vidi et eum, qui illi inpergerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, aliis intransibus excludi: retulit illi gratiam servus ille in primam decuriam coniectus, in qua vocem praeco experitur: et ipse illum invicem apologavit, et ipse non iudicavit domo sua dignum. Dominus Callistum vendidit: sed domino quam multa Callistus! Vis tu cogitare istum, quem servum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui coelo, aequae spirare, aequae vivere, aequae mori? tam tu illum videre ingenuum potes quam ille te servum. Variā clade multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum, fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casae fecit: contemne nunc eius fortunae hominem, in quam transire, dum contemnis, potes. Nolo in ingentem me locum inmittere et de usu servorum disputare, in quos

6 *hominibus**Keryan*} 2
*as servus me facit
in. / servus**as servus me facit
in. / servus*

superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus. haec tamen praecepti mei summa est: sic cum inferiore vi-
 vas, quemadmodum tecum superiorem velis vivere. quo-
 tiens in mentem venerit, quantum tibi in servum liceat,
 veniat in mentem tantumdem in te domino tuo licere. „At
 12 ego, inquis, nullum habeo dominum.“ Bona aetas est:
 forsitan habebis. nescis, qua aetate Hecuba servire coepe-
 rit, qua Croesus, qua Darei mater, qua Platon, qua Dio-
 13 genes? Vive cum servo clementer, comiter quoque, et in
 sermonem illum admitte et in consilium et in convictum.
 Hoc loco adclamabit mihi tota manus delicatorum: „Ni-
 hil hac re humiliter, nihil turpius.“ Hos ego eosdem de-
 14 prehendam alienorum servorum osculantes manum. Ne
 illud quidem videtis, quam omnem invidiam maiores no-
 stri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint? Dominum (patrem familiae) adpellaverunt, servos,
 quod etiam in mimis adhuc durat, familiares. Insti-
 tuerunt diem festum, non quo solo cum servis domini
 vescerentur, sed quo utique honores illis in domo gerere,
 ius dicere permiserunt et domum pusillam rempublicam
 15 esse iudicaverunt. Quid ergo? omnes servos admovebo
 mensae meae? Non magis quam omnes liberos. Erras, si
 existimas me quosdam quasi sordidioris operae reiectu-
 rum, ut puta illum mulionem et illum bubulcum: non
 ministeriis illos aestimabo, sed moribus. sibi quisque dat
mores: ministeria casus adsignat. Quidam coenent te-
 cum, quia digni sunt, quidam, ut sint. si quid enim in
 illis ex sordida conversatione servile est, honestiorum
 16 convictus excutiet. Non est, mi Lucili, quod amicum
 tantum in foro et in curia quaeras: si diligenter adten-
 deris, et domi invenies. saepe bona materia cessat sine
 artifice: tempta et experire. Quemadmodum stultus est,
qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratum eius
ac frenos: sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste
aut ex condicione, quae vestis modo nobis circumdata
 17 est, aestimat. „Servus est.“ sed fortasse liber animo.
 „servus est.“ hoc illi nocebit? ostende, quis non sit:
 alius libidini servit, alius avaritiae, alius ambitioni, omnes

timori. dabo consularem aniculae servientem, dabo ancillulae divitem, ostendam nobilissimos iuvenes mancipia pantomimorum: ¶ nulla servitus turpior est quam voluntaria. ¶ Quare non est, quod fastidiosi isti te deterreant, quo minus servis tuis hilarem te praestes et non superbe superiorem: colant potius te quam timeant. Dicet aliquis 18 nunc me vocare ad pileum servos et dominos de fastigio suo deicere, quod dixi: colant potius dominum quam timeant: „ita, inquit, prorsus, colant tamquam clientes, tamquam salutatores?“ Hoc qui dixerit, obliviscetur id dominis parum non esse, quod deo sat est. qui colitur et amatur: non potest amor cum timore misceri. Rectis- 19 sime ergo facere te iudico, quod timeri a servis tuis non vis, quod verborum castigatione uteris: verberibus muta admonentur. Non quicquid nos offendit, et laedit. sed ad rabiem nos cogunt pervenire deliciae, ut quicquid non ex voluntate respondet, iram evocet. Regum nobis in- 20 duimus animos. nam illi quoque obliti et suarum virium et inbecillitatis alienae sic excandescunt, sic saeviunt, quasi iniuriam acceperint. a cuius rei periculo illos fortunae suae magnitudo tutissimos praestat. Nec hoc ignorant, sed occasionem nocendi captant: quaerendo acceperunt iniuriam ut facerent. Diutius te morari nolo. non 21 est enim tibi exhortatione opus. Hoc habent inter cetera boni mores, placent sibi, permanent: levis est malitia, saepe mutatur, non in melius, sed in aliud. Vale.

EPISTULA VII. (48.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Ad epistulam, quam mihi ex itinere misisti, tam longam quam ipsum iter fuit, postea rescribam. seducere me debeo et quid suadeam circumspicere. nam tu quoque, qui consulis, diu an consuleres, cogitasti: quanto magis hoc mihi faciendum est, cum longiore mora opus sit, ut solvas quaestionem quam ut proponas? utique cum aliud tibi expediat, aliud mihi. Iterum ego tamquam Epicureus loquor? mihi vero idem expedit, quod tibi: aut non sum amicus, nisi, quicquid agitur ad te

pertinens, meum est. consortium rerum omnium inter nos facit amicitia. nec secundi quicquam singulis est nec adversi: in commune vivitur. nec potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere.

- 3 Haec societas diligenter et sancte observata, quae nos hōmīnes hominibus miscet et iudicat aliquod esse commune ius generis humani, plurimum ad illam quoque, de qua loquebar, interiorē societatem amicitiae colendam proficit. omnia enim communia cum amico habebit, qui multa
 4 cura homine. Hoc, Lucili virorum optime, mihi ab istis subtilibus praecipī malo, quid amico praestare debeam, quid homini, quam quot modis amicus dicatur, et homo quam multa significet. In diversum ecce sapientia et stultitia discedunt: cui accedo? in utram ire partem iubes? illi homo pro amico est, huic amicus non est pro homine. ille amicum sibi parat, hic se amico: tu mihi
 5 verba distorques et syllabas digeris. Scilicet nisi interrogations vaferimas struxero et conclusionē falsā a vero nascens mendacium adstrinxero, non potero a fugiendis petenda secernere. Pudet me: in re tam seria senes ludimus. [Vale.]

[EPISTULA VIII. (48.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.]

- 6 „Mus syllaba est. mus autem caseum rodit: syllaba ergo caseum rodit.“ Puta nunc me istuc non posse solvere. quod mihi ex ista sententia periculum imminet? quod incommodum? sine dubio verendum est, ne quando in muscipulā syllabas capiam aut ne quando, si negligentior fuero, caseum liber comedat. nisi forte illa acutior est collectio: „mus syllaba est. syllaba autem caseum non rodit: mus ergo caseum non rodit.“ O pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimus? hoc est quod tristes docemus et pallidi? Vis scire, quid philosophia promittat generi humano? consilium: alium mors vocat. alium paupertas urit. alium

divitiae vel alienae torquent vel suae. ille malam fortunam horret. hic se felicitati suae subducere cupit. hunc homines male habent, illum di. Quid mihi lusoria ista con- 8
ponis? non est iocandi locus: ad miseros advocatus es: opem laturum te naufragis, captis, aegris, egentibus, intentae securi subiectum praestantibus caput pollicitus es: quo diverteris? quid agis? Hic, cum quo ludis, timet. Succurre, quicquid laque*** ti respondentium poenis: omnes undique ad te manus tendunt, perditae vitae perituraeque auxilium aliquod inplorant. in te spes opesque sunt. rogant, ut ex tanta illos volutione extrahas, ut disiectis et errantibus clarum veritatis lumen ostendas. Dic, quid natura necessarium fecerit, quid supervacuum, 9
quam faciles leges posuerit, quam iucunda sit vita, quam expedita illam sequentibus, quam acerba et implicata eorum, qui opinioni plus quam naturae crediderunt. Si prius docueris * quae partem eorum levatura sint * quid istorum cupiditates demit? quid temperat? utinam tantum non prodesse! nocent. hoc tibi, cum voles, manifestissimum faciam, et comminui et debilitari generosam indolem in istas argutias coniectam. Pudet dicere, con- 10
tra fortunam militaturis quae porrigant tela, quemadmodum illos subornent. hac ad summum bonum itur? per istud philosophiae si ve nive et turpes infamesque etiam ad album sedentibus exceptiones? quid enim aliud agitis, cum eum, quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam ut formulam cecidisse videatur? sed quemadmodum illos praetor, sic hos philosophia in integrum restituit. Quid disceditis ab ingentibus promissis et gran- 11
dia locuti effecturos vos, ut non magis auri fulgor quam gladii perstringat oculos meos, ut ingenti constantiam et quod omnes optant et quod omnes timent, calcem, ad grammaticorum elementa descenditis? quid dicitis?

sic itur ad astra?

hoc enim est, quod philosophia mihi promittit, ut parem deo faciat. ad hoc invitatus sum, ad hoc veni: fidem praesta. Quantum potes ergo, mi Lucili, reduc te ab 12
istis exceptionibus et praescriptionibus philosophorum.

aperta decent et simplicia bonitatem. etiamsi multum superesset aetatis, parce dispensandum erat, ut sufficeret necessariis: nunc quae dementia est supervacua discere in tanta temporis egestate? Vale.

EPISTULA IX. (49.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Est quidem, mi Lucili, supinus et negligens, qui in amici memoriam ab aliqua regione admonitus reducitur: tamen repositum in animo nostro desiderium loca interdum familiaria evocant nec exstinctam memoriam reddunt, sed quiescentem irritant, sicut dolorem lugentium, etiamsi mitigatus est tempore, aut servuli familiaris admissio aut vestis aut domus renovat: ecce Campania et maxime Neapolis ad Pompeiorum tuorum conspectum in credibile est quam recens desiderium tui fecerint: totus mihi in oculis es, cum maxime a te discedo. video lacrimas conbibentem et adfectibus tuis inter ipsam coercitionem exeuntibus non satis resistantem. Modo amisisse te videor. quid enim non modo est, si recorderis? modo apud Sotionem philosophum puer sedi. modo causas agere coepi. modo desii velle agere. modo desii posse. Infinita est velocitas temporis, quae magis adparet respicientibus. nam ad praesentia intentos fallit: adeo praecipitis fugae transitus lenis est. Causam huius rei quaeris? quicquid temporis transiit, eodem loco est: pariter adspicitur, una iacet. omnia [inde] in profundum cadunt. et alioquin non possunt longa intervalla esse in ea re, quae tota brevis est. Punctum est quod vivimus et adhuc puncto minus. sed hoc minimum specie quadam longioris spatii natura derisit: aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud adulescentiam, aliud inclinationem quamdam ab adulescentia ad senectutem, aliud ipsam senectutem. in quam angusto quot gradus posuit! Modo te prosecutus sum: et tamen hoc modo aetatis nostrae bona portio est, cuius breviter, aliquando futuram cogitemus. Non solebat mihi tam velox tempus videri: nunc incredibilis cursus

adparet, sive quia admoveri lineas sentio, sive quia ad-
tendere coepi et computare damnum meum. Eo magis 5
itaque indignor aliquos ex hoc tempore, quod
sufficere ne ad necessaria quidem potest, etiamsi custo-
ditum diligentissime fuerit, in supervacua maiorem
partem erogare. Negat Cicero, si duplicetur sibi ae-
tas, habiturum se tempus, quo legat lyricos: eodem lo-
co [pone] dialecticos: tristius inepti sunt. illi ex pro-
fesso lasciviunt, hi agere ipsos aliquid existimant. Nec 6
ego nego prospicienda ista, sed prospicienda tantum et
a limine salutanda in hoc unum, ne verba nobis dentur
et aliquid in illis esse magni ac secreti boni iudicemus.
Quid te torques et maceras in ea quaestione, quam sub-
tilius est contempsisse quam solvere? securi est et ex
commodo migrantis minuta conquirere: cum hostis instat
a tergo et movere se iussus est miles, necessitas excutit,
quicquid pax otiosa collegerat. Non vacat mihi verba du- 7
bie cadentia consecrari et vafritiā in illis meam experiri.

Adspice qui cōeant populi, quae moenia clusis

Ferrum acuunt portis.

Magno mihi animo strepitus iste belli circumsonantis ex-
audiendus est. demens omnibus merito vidērer, si cum 8
saxa in munimentum murorum senes feminaeque conge-
rerent, cum iuventus intra portas armata signum eruptio-
nis exspectaret aut posceret, cum hostilia in portis tela
vibrarent et ipsum solum subfossionibus et cuniculis tre-
meret, sederem otiosus et eiusmodi quaestiunculas po-
nens: „quod non perdidisti, habes. cornua autem non
perdidisti: cornua ergo habes.“ aliaque ad exemplum
huius acutae delirationis concinnata. Atqui aequae licet 9
demens tibi videar, si istis impendero operam: et nunc
obsideo. tūc tamen periculum mihi obsessio extēnum
inmineret, murus me ab hoste secerneret: nūc mor-
tifera mēcum sunt. Non vaco ad istas ineptias: ingens
negotium in manibus est. quid agam? mors me sequitur,
fugit vita: adversus haec me doce aliquid. effice, ut ego 10
mortem non fugiam, vita me non effugiat. exhortare ad-
versus difficilia, [de aequanimitate] adversus inevitabilia.

angustias temporis mei laxa. doce non esse positum bonum vitae in spatio eius, sed in úsu, posse fieri, immo saepissime fieri, ut qui diu vixit, parum vixerit. dic mihi dormituro: „potes non expergisci.“ dic experrecto; „potes non dormire amplius.“ dic exeunti: „potes non re-
 11 verti.“ dic redeunti: „potes non exire.“ Erras, si in navigatione tantum existimas minimum esse, quo [a] morte vita deducitur: in omni loco aequae tenue intervallum est. non ubique se mors tam prope ostendit: ubique tam prope est. Has tenebras discute: et facilius ea trades, ad quae praeparatus sum. dociles natura nos edidit et rationem
 12 dedit imperfectam, sed quae perfici posset. De iustitia mihi, de pietate disputa, de frugalitate, de pudicitia utraque, et illa, cui alieni corporis abstinentia est, et hac, cui sui cura. Si me nolueris per devia ducere, facilius ad id, quo tendo, perveniam. nam, ut ait ille tragicus, veritatis simplex oratio est. ideoque illam implicare non oportet: nec enim quicquam minus convenit quam subdola ista calliditas animis magna conantibus. Vale.

EPISTULA X. (50.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Epistolam tuam accepi post multos menses quam miseris. supervacuum itaque putavi ab eo, qui adferebat, quid ageres quaerere. valde enim bonae memoriae est, si meminit: et tamen spero sic te iam vivere, ut ubicunque eris, sciam quid agas. quid enim aliud agas quam ut meliorem te ipse cotidie facias, ut aliquid ex erroribus ponas, ut intellegas tua vitia esse, quae putas rerum? quaedam enim locis et temporibus adscribimus.
- 2 at illa, quocumque transierimus, secutura sunt. Harpasten, uxoris meae fatuam, scis hereditarium onus in domo mea remansisse. ipse enim avarissimus ab istis prodigiis sum: si quando fatuo delectari volo, non est mihi longe quaerendus: me rideo. Haec fatua subito desiit videre. incredibilem rem tibi narro, sed veram: nescit esse se caecam. subinde paedagogum suum rogat ut
 3 migret. ait domum tenebricosam esse. Hoc quod in illa

ridemus, omnibus nobis accidere liqueat tibi: nemo se avarum esse intellegit, nemo cupidum. caeci tamen ducem quaerunt, nos sine duce erramus et dicimus: non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter Romae potest vivere. non ego sumptuosus sum, sed urbs ipsa magnas impensas exigit. non est meum vitium, quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitae: adulescentia haec facit. Quid nos decipimus? non est extrinsecus malum nostrum: intra nos est, in visceribus ipsis sedet, et ideo difficulter ad sanitatem pervenimus, quia nos aegrotare nescimus. Si curari coeperimus, quando tot morbos tam veteres discutienus? nunc vero ne quaerimus quidem medicum, qui minus negotii haberet, si adhiberetur ad recens vitium. sequerentur teneri et rudes animi recta monstrantem. Nemo difficulter ad naturam reducitur, nisi qui ab illa defecit: erubescimus discere bonam mentem. at mehercules, si turpe est magistrum huius rei quaerere, illud desperandum est, posse nobis casu tantum bonum influere: laborandum est et, ut verum dicam, ne labor quidem magnus est, si modo, ut dixi, ante animum nostrum formare incipimus et recorigere, quam indurescat pravitas eius. Sed nec induratâ despéro. nihil est, quod non expugnet pertinax opera et intenta ac diligens cura: robora in rectum quamvis flexa revocabis. curvatas trabes calor explicat et aliter natae in id finguntur, quod usus noster exigit: quanto facilius animus accipit formam, flexibilis et omni humore obsequentior? quid enim est aliud animus quam quodam modo se habens spiritus? vides autem tanto spiritum esse faciliorem omni alia materia, quanto tenuior est. Illud, mi Lucili, non est quod te inpediat, quo minus de nobis bene speres, quod malitia nos iam tenet, quod diu in possessione nostri est: ad neminem ante bona mens venit quam mala. omnes praeoccupati sumus. virtutes discere est vitia dediscere. Sed eo maiore animo ad emendationem nostri debemus accedere, quod semel traditi nobis boni perpetua possessio est: non dediscitur virtus. contraria enim mala in alieno haerent. ideo de-

pellī et exturbari possunt: fideliter sedent, quae in locum suum veniunt. virtus secundum naturam est: vitia inimica et infesta sunt. Sed quemadmodum virtutes receptae exire non possunt facilisque earum tutela est, ita initium ad illas eundi arduum, quia hoc primum inbecillae mentis atque aegrae est; formidare inexperta. itaque cogenda est [mens], ut incipiat: deinde non est acerba medicina. protinus enim delectat, dum sanat. Aliorum remediorum post sanitatem voluptas est: philosophia pariter et salutaris et dulcis est. Vale.

EPISTULA XI. (51.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Quomodo quisque potest, mi Lucili: tu istic habes Actnam [illum nobilissimum Siciliae montem] (quem quare dixerit Messalla unicum, sive Valgius, apud utrumque enim legi, non reperio, cum plurima loca evomant ignem, non tantum edita, quod crebrius evenit, videlicet quia ignis in altissimum effertur, sed etiam iacentia): nos utcumque possumus, contenti sumus Baiis, quas postero die quam adtigeram reliqui, locum ob hoc devitandum, cum habeat quasdam naturales dotes, quia illum sibi celebrandum luxuria desumpsit. „Quid ergo? ulli loco indicendum est odium?“ minime: sed quemadmodum aliqua vestis sapienti ac probo viro magis convenit quam aliqua, nec ullum colorem ille odit, sed aliquem parum putat aptum esse frugalitatem professo: sic regio quoque est, quam sapiens vir aut ad sapientiam tendens declinet tamquam alienam bonis moribus. Itaque de secessu cogitans numquam Canōpum¹ eliget, quamvis neminem Canōpūs esse frugi vetet, ne Baias quidem: diversorium vitiorum esse coepcrunt. illic sibi plurimum luxuria permittit, illic, tamquam aliqua² licentia debeaturo loco, magis solvituro. Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus. quemadmodum inter tortores habitare nolim, sic ne inter popinas quidem. videre ebrios per litora errantes et comessiones navigantium et symphoniaram can-

tibus strepentes lacus et alia, quae velut soluta legibus luxuria non tantum peccat, sed publicat, quid necesse est? Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam 5 longissime profugiamus. indurandus est animus et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus. Una Hannibalem hiberna solverunt et indomitum illum nivibus atque Alpibus virum enervaverunt fomenta Campaniae. armis vicit, vitiis victus est. Nobis quoque militandum est, et 6 quidem genere militiae, quo numquam quies, numquam otium datur: debellandae sunt in primis voluptates, quae, ut vides, saeva quoque ad se ingenia rapuerunt. si quis sibi proposuerit, quantum operis adgressus sit, sciet nihil delicate, nihil molliter esse faciendum. Quid mihi cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis, in quae siccus vapor corpora exhausurus includitur? omnis sudor per laborem exeat. Si faceremus, quod fecit Hannibal, 7 ut interrupto cursu rerum omissoque bello fovendis corporibus operam daremus: nemo non intempestivam desidiam victori quoque, nedum vincenti, periculosam merito reprehenderet: minus nobis quam illis Punica signa sequentibus licet, plus periculi restat cedentibus, plus operis etiam perseverantibus. Fortuna mecum bellum 8 gerit: non sum imperata facturus. iugum non recipio, immo, quod maiore virtute faciendum est, executio. Non est emotus sui iuris animus: si voluptati cessero, cedendum est dolori, cedendum est labori, cedendum est paupertati. idem sibi in me iuris esse volet et ambitio et ira: inter tot adfectus distrahar, immo discerpar. Libertas 9 proposita est. ad hoc praemium laboratur: quae sit libertas quaeris? nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus, fortunam in aequum deducere. quo die-illâ [me] intellexero plus posse, nil poterit. ego illam feram, cum in manu mors sit? His cogitationibus intentum loca seria 10 sanctaque eligere oportet. effeminat animos amocnitas nimia nec dubie aliquid ad corrumpendum vigorem potest regio. Quamlibet viam iumenta patiuntur, quorum durata in aspero ungula est: in molli palustrique pascuo¹ saginata² cito subteruntur. et fortior miles ex confrago³

² gnuma pad³ Jolynerger Jolyner

venit: segnis est urbanus et verna. nullum laborem recusant manus, quae ad arma ab aratro transferuntur: in
 11 primo deficit pulvere ille unctus et nitidus. Severior loci disciplina firmat ingenium aptumque magnis conatibus reddit. *Lucretius* Literni' honestius Scipio quam Baiis exulabat: ruina eius non est tam molliter conlocanda. illi quoque, ad quos primos fortuna populi Romani publicas opes transtulit, C. Marius et Cn. Pompeius et Caesar exstruxerunt quidem villas in regione Baiana, sed illas inposuerunt summis iugis montium. videbatur hoc magis militare, ex edito speculari late longeq̄ue subiecta. adspice, quam positionem elegerint, quibus aedificia excitaverint locis
 12 et qualia: scies non villas esse, sed castra. Habitaturum tu putas umquam fuisse in micā Catonem, ut praenavigantes adulteras dinumeraret et tot genera cymbarum variis coloribus picta et fluitantem toto lacu rōsam, ut audiret canentium nocturna convicia? nonne manere ille intra vallum maluisset, quod in unam noctem manu sua ipse duxisset? quidni mallet, quisquis vir est, somnum
 13 suum classico quam symphonia rumpi? Sed satis diu cum Baiis litigavimus, numquam satis cum vitiis, quae, oro te, Lucili, persequere sine modo, sine fine. nam illis quoque nec finis est nec modus. Proice quaecumque cor tuum laniant, quae si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis revellendum erat. voluptates praecipue exturba et invisissimas habe: latronum more, quos *φιλήτας* Aegyptii vocant, in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. Vale.

EPISTULA XII. (52.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Quid est hoc, Lucili, quod nos alio tendentes alio trahit et eo, unde recedere cupimus, inpellit? quid conluctatur cum animo nostro nec permittit nobis quicquam semel velle? fluctuamus inter varia consilia. nihil libere volumus, nihil absolute, nihil semper. „Stultitia, inquis, est, cui nihil constat, nihil diu placet.“ Sed quomodo nos aut quando ab illa revel-

lenus? nemo per se satis valet ut emergat:
oportet manum aliquis porrigat, aliquis edu-
cat. Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine ullius 3 (1)
 adiutorio exisse, fecisse sibi ipsos viam. hos maxime
 laudat, quibus ex se inpetus fuit, qui se ipsi protulerunt.
 quosdam indigere ope aliena, non ituros, si nemo prae- (2)
 cesserit, sed bene secuturos. ex his Metrodorum ait
 esse: egregium hoc quoque, sed secundae sortis ingen-
 nium. Nos ex illa prima nota non sumus: bene nobiscum
 agitur, si in secundam recipimur. ne hunc quidem con-
 tempseris hominem, qui alieno beneficio esse salvus po-
 test: et hoc multum est, velle servari. Praeter haec ad 4
 huc invenies genus aliud hominum ne ipsum quidem fa-
 stidiendum eorum, qui cogi ad rectum compellique pos- (3)
 sunt, quibus non duce tantum opus sit, sed adiutore et,
 ut ita dicam, coactore. hic tertius color est. si quaeris
 huius exemplar, Hermarchum ait Epicurus talem fuisse.
 itaque alteri magis gratulatur, alterum magis suspicit.
 quamvis enim ad eundem finem uterque pervenerit, ta-
 men maior est laus idem effecisse in difficiliore materia.
 Puta enim duo aedificia excitata esse, ambo paria, aequae 5
 excelsa, aequae magnifica. alterum puram aream accepit:
 illic protinus opus crevit. alterum fundamenta laxabunt
 in mollem et fluidam humum missa multumque laboris
 exhaustum est, dum pervenitur ad solidum: invenio quic-
 quid fecit alterius [*opifex: alterius*] magna pars et diffici-
 lior latet. Quaedam ingenia facilia et expedita, quaedam 6
 manu, quod aiunt, facienda sunt et in fundamentis suis
 occupata. itaque ego illum feliciorum dixerim, qui nihil
 negotii secum habuit. hunc quidem melius de se me-
 ruisse, qui malignitatem naturae suae vicit et ad sapien-
 tiam se non perduxit, sed extraxit. Hoc durum et labo- 7
 riosum ingenium nobis datum scias licet. inus per ob-
 stantia. itaque pugnemus, aliquorum invocemus auxilium.
 „Quem, inquis, invocabo?“ Hunc aut illum. tu vero
 etiam ad priores revertere, qui vacant: adiuvare nos
possunt non tantum qui sunt, sed qui fuerunt.
 Ex his autem, qui sunt, eligamus non eos, qui 8

verba magnâ celeritate praecipitant et communes locos volvunt et in privato circulantur, sed eos, qui vitâ[m] docent, qui cum dixerunt, quid faciendum sit, probant faciendo, qui docent, quid vitandum sit, nec unquam in eo, quod fugiendum dixerunt, deprehenduntur. Eum elige adiutorem, quem magis admireris, cum videris quam cum audieris. Nec ideo te prohibuerim hos quoque audire, quibus admittere populum ac disserere consuetudo est, si modo hoc proposito in turbam prodeunt, ut meliores fiant faciantque meliores, si non ambitionis hoc causa exercent. quid enim turpius philosophiâ captante clamores? nunquid

9 aeger laudat medicum secantem? Tacete, favete et praebete vos curationi. etiamsi exclamaveritis, non aliter audiam, quam si ad tactum vitiorum vestrorum ingemiscatis. testari vultis adtendere vos moverique magnitudine rerum? sane liceat: ut quidem iudicetis et feratis de meliore suffragium, quidni non pernittam? apud Pythagoram discipulis quinque annis tacendum erat: numquid ergo existimas statim illis et loqui et laudare licuisse?

11 Quanta autem dementia eius est, quem clamores inperitorum hilarem ex auditorio dimittunt? Quid laetaris, quod ab hominibus his laudatus es, quos non potes ipse laudare? Disserebat populo Fabianus, sed audiebatur modeste. erumpebat interdum magnus clamor laudantium, sed quem rerum magnitudo evocaverat, non sonus in-

12 offensae ac molliter orationis elapsae. Intersit aliquid inter clamorem theatri et scholae: est aliqua et laudandi licentia. Omnia rerum omnium, si observentur, indicia sunt et argumentum morum ex minimis quoque licet capere: inprudicum et incessus ostendit et manus mota et unum interdum responsum et relatus ad caput digitus et flexus oculorum. inprobum risus, insanum voltus habitusque demonstrat. illa enim in apertum per notas exeunt: qualis quisque sit, scies, si quemadmodum laudet,

13 quemadmodum laudetur, adspexeris. Hinc atque illinc philosopho manus auditor intentat et super ipsum caput mirantium turba consistit: non laudatur ille nunc, si in-

tellegis, sed conclamatur. relinquuntur istae voces illis artibus, quae propositum habent populo placere: philosophia adoretur. Permittendum erit aliquando iuvenibus¹⁴ sequi inpetum animi, tunc autem, cum hoc ex inpetu facient, cum silentium sibi imperare non poterunt. talis laudatio aliquid exhortationis adfert ipsis audientibus et animos adulescentium exstimulat. ad rém conmoveantur, non ad verba conposita: alioquin nocet illis eloquentia, si non rérum cupiditatem facit, sed súi. Differam hoc in¹⁵ praesentia. desiderat enim propriam et longam executionem, quemadmodum populo disserendum, quid sibi apud populum permittendum sit, quid populo apud se. Damnum quidem fecisse philosophiam non erit dubium, postquam prostituta est. sed potest in penetralibus suis ostendi, si modo non institorem, sed antistitem nanta est. Vale.

*1 de rebus animi, philosophia
2 philosophia colorem*

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER VI.

EPISTULA I. (53.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quid non potest mihi persuaderi, cui persuasum est¹ ut navigarem? Solvi mari languido. erat sine dubio coelum grave sordidis nubibus, quae fere aut in aquam aut in ventum resolvuntur. sed putavi tam pauca milia a Parthenopé tua usque Puteolos subripi posse, quamvis¹ dubio et inpendente coelo. itaque quo celerius evade-² rem, protinus per altum ad Nesída² direxi praecisurus omnes sinus. Cum iam eo processissem, ut [mea] nihil²

¹ Neapol

² de re
Nesída

² de re

Puteol

interesset, utrum irem an redirem, primum aequalitas illa, quae me corruperat, periit. nondum erat tempestas, sed iam inclinatio maris ac subinde crebrior fluctus. coepi gubernatorem rogare, ut me in aliquo litore exponeret. aiebat ille aspera esse et inportuosa nec quicquam
 3 se aequè in tempestate timere quam terram. Peius autem vexabar, quam ut mihi periculum succurreret. nausia enim me segnis¹ haec et sine exitu torquebat, quae bilem movet nec effundit. institi itaque gubernatori et illum, vellet nollet, coegi, peteret litus. cuius ut viciniam adtigimus, non exspecto, ut quicquam ex praeceptis Vergilii fiat,

obvertunt pelago proras

aut

ancora de prorâ iacitur:

memor artificii mei vetus frigidae cultor mitto me in mare,
 4 quomodo psychrolutam¹ decet, gausapatus.² Quae putas me passum, dum per aspera³ erēpo, dum viam quaero, dum facio? intellexi non inmerito nautis terram timeri. incredibilia sunt, quae tulerim, cum me ferre non possem: illud scito, Ulixem non fuisse tam irato mari natum, ut ubique naufragia faceret: nausiator⁴ erat. et ego quocumque navigare debuero, vicesimo anno perveniam.
 5 Ut primum stomachum, quem scis [non] cum mari nausiam effugere, collegi, ut corpus unctione recreavi, hoc coepi mecum cogitare, quanta nos vitiorum nostrorum sequeretur oblivio, etiam corpōrālīum, quae subinde admonent sui, nedum illōrum, quae
 6 eo magis latent, quo maiora sunt. Levis aliquem motiuncula¹ decipit: sed cum crevit et vera febris exarsit, etiam duro et perpessio² confessionem excutit. Pedes dolent, articuli punctiunculas³ sentiunt: adhuc dissimulamus et aut talum extorsisse dicimus nos aut in exercitatione aliqua laborasse. dubio et incipiente morbo quaeritur nomen, qui ubi talaria⁴ coepit intendere et utrosque dextros
 7 pedes fecit, necesse est podāgram⁵ fateri. / Contra evenit in his morbis, quibus adficiuntur animi: quo quis peius [se] habet, minus sentit. Non est quod mireris, Lucili caris-

sime. nam qui leviter dormit, et species secundum quietem capit et aliquando dormire se dormiens cogitat: gravis sopor etiam somnia exstinguit animumque altius mergit, utique nullo intellectu sui est. Quare vitia sua nemo 8 confitetur? quia etiam nunc in illis est: somnium narrare vigilantis est et vitia sua confiteri sanitatis indicium est. Expergiscamur ergo, ut errores nostros coarguere possimus. sola autem nos philosophia excitabit, sola somnum excutiet gravem: illi te totum dedica. dignus illa es, illa digna te est: ite in complexum alter alterius. omnibus aliis rebus te nega, fortiter, aperte. non est quod precario philosopheris. Si 9 aeger esses, curam intermisisses rei familiaris et forensia tibi negotia excidissent nec quemquam tanti putares, cui advocatus in remissione descenderes. toto animo id ageres, ut quam primum morbo liberareris: quid ergo? non et nunc idem facias? Omnia impedimenta dimitte et vaca bonae menti: nemo ad illam pervenit occupatus. Exercet philosophia regnum suum: dat tempus, non accipit. non est res subsiciva: ordinaria est, domina est, adest et iubet. Alexander cuidam civitati partem agrorum et dimidium rerum omnium promittenti: „eo, inquit, proposito in Asiam veni, ut non id acciperem, quod dedissetis, sed ut id haberetis, quod reliquissem.“ Idem philosophia [rebus] omnibus: „non sum hoc tempus acceptura, quod vobis superfuerit, sed id vos habebitis, quod ipsa erogaro.“ Totam huc converte mentem, 11 huic adside, hanc cole: ingens intervallum inter te et ceteros fiet. omnes mortales vitam antecedes, non multo te di antecedit. Quaeris, quid inter te et illos interfuturum sit? diutius erunt: at mehercules magni artificis est cluisse totum in exiguo. tantum sapienti sua, quantum deo omnis aetas patet. Est aliquid, quo sapiens antecedit deum: ille beneficio naturae non timet, suo sapiens. Ecce res magna, habere inbecillitatem hominis, securitatem dei. incredibilis vis philosophiae est ad omnem fortuitam vim retundendam. nullum telum in corpore eius sedet. munita est, solida[que]: quaedam defatigat et ve-

*1. h. r. m. y.
auf. H. i. m.*

*1. p. m. y. 2-7
M. h. m. p. y.
J. a. y. p. y.*

lut levia tela laxo sinu eludit, quaedam discutit et in eum usque, qui miserat, respuit. Vale.

EPISTULA II. (54.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Longum mihi commeatum¹ dederat mala valitudo: repente me invasit. „quo genere?“ inquis. prorsus merito interrogas: adeo nullum mihi ignotum est. uni tamen morbo quasi adsignatus sum, quem quare Graece nomine adpellem nescio. satis enim apte dici suspirium² potest. brevis autem valde et procellae similis est inpetus: intra horam fere desinit. quis enim diu exspirat?
- 2 Omnia corporis aut incommoda aut pericula per me transierunt: nullum mihi videtur molestius. quidni? aliud enim quicquid est, aegrotare est, hoc animam agere. itaque medici hanc „meditationem mortis“ vocant. facit enim aliquando spiritus ille, quod saepe conatus est.
- 3 Hilarem me putas haec tibi scribere, quia effugi? tam ridicule facio, si hoc fine quasi bona valitudine delector, quam ille, quisquis vicisse [se] putat, cum vadimonium distulit: ego vero et in ipsa suffocatione non desii cogitationibus laetis ac fortibus adquiescere. Quid hoc est? inquam. tam saepe mors experitur me? faciat. at ego illam diu expertus sum. „quando?“ inquis. antequam nascerer. Mors est non esse. id quale sit, iam scio. hoc erit post me, quod ante me fuit. si quid in hac re tormenti est, necesse est et fuisse, antequam prodiremus in lucem: atqui nullam sensitum tunc vexationem. Rogo, non stultissimum dicas, si quis existimet lucernae peius esse, cum exstincta est, quam antequam accenditur? nos quoque et exstinguimur et accendimur: medio illo tempore aliquid patimur. utrimque vero alta securitas est. In hoc enim, mi Lucili, nisi fallor, erramus, quod mortem iudicamus sequi, cum illa et praecesserit et secutura sit: quicquid ante nos fuit, mors est. quid enim refert, non incipias an desinas, cum utriusque rei hic sit effectus, non esse? His et eiusmodi exhortationibus, tacitis scilicet, nam verbis

locus non erat, adloqui me non desii: deinde paulatim suspirium illud, quod esse iam anhelitus coeperat, intervalla maiora fecit et retardatum est ac remansit. nec adhuc, quamvis desierit, ex natura fluit spiritus: sentio haesitationem quandam eius et moram. quomodo volet, dummodo non ex animo suspirem. Hoc tibi de me recipe: 7 non trepidabo ad extrema, iam praeparatus sum, nihil cogito de die toto: illum [tu] lauda et imitare, quem non piget mori, cum iuvet vivere. quae est enim virtus, cum eiciaris, exire? Tamen est et hic virtus: eicior quidem, sed tamquam exeam. et ideo numquam cicitur sapiens, quia eici est inde expelli, unde invitus recedas: nihil invitus facit sapiens. necessitatem effugit, quia vult quod coactura est. Vale.

EPISTULA III. (55.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

A gestatione cum maxime venio: non minus 1 fatigatus sum, quam si tantum ambulassem, quantum sedi. labor est enim et diu ferri, ac nescio an eo maior, quia contra naturam est, quae pedes dedit, ut per nos ambularem, oculos, ut per nos videremus. debilitatem nobis indixere deliciae, et quod diu nolimus, posse desiimus. mihi tamen necessarium erat concutere corpus, 2 ut, sive bilis insederat faucibus, discuteretur, sive ipse ex aliqua causa spiritus densior erat, extenuaret illum iactatio, quam profuisse mihi sensi. ideo diutius vehi perseveravi invitante ipso litore, quod inter Cumas et Servilii Vataiae villam curvatur et hinc mari, illinc lacu velut angustum iter cluditur. erat enim a recenti tempestate spissum. fluctus enim illud, ut scis, frequens et concitatus exaequat, longior tranquillitas solvit, cum arenis, quae humore adligantur, succus abscessit. Ex con- 3 suetudine tamen meâ circumspicere coepi, an aliquid illic invenirem, quod mihi posset bono esse, et direxi oculos in villam, quae aliquando Vataiae fuit. in hac ille praetorius dives, nulla alia re quam otio notus, consenuit et ob hoc unum felix habebatur. nam quotiens

aliquos amicitiae Asinii Galli, quotiens Seiani odium, deinde amor merserat, (aeque enim offendisse illum quam amasse periculosum fuit,) exclamabant homines: „o Vatia, 4 solus scis vivere.“ at ille latere sciebat, non vivere. multum autem interest, utrum vita tua otiosa sit an ignava. numquam aliter hanc villam Vatiâ vivo praeteribam, quam ut dicerem: „Vatia hic situs est.“ sed adeo, ni Lucili, philosophia sacrum quiddam est et venerabile, ut etiam, si quid illi simile est, mendacio placeat. otiosum enim hominem seductum existimat volgus et securum et se contentum, sibi viventem, quorum nihil ulli contingere nisi sapienti potest. ille quidem nulla re sollicitus scit 5 sibi vivere. ille enim, quod est primum, scit vivere. Nam qui res et homines fugit, quem cupiditatum suarum infelicitas relegavit, qui alios feliciores videre non potuit, qui velut timidum atque iners animal metu oblituit, ille sibi non vivit, sed, quod est turpissimum, ventri, somno, libidini: non continuo sibi vivit, qui nemini. adeo tamen magna res est constantia et in proposito suo perseverantia, ut habeat auctoritatem inertia quoque per- 6 tinax. De ipsa villa nihil tibi possum certi scribere. frontem enim eius tantum novi et exposita, quae ostendit etiam transeuntibus. Speluncae sunt duae magni operis, cuius laxo atrio pares, manu factae, quarum altera solem non recipit, altera usque in occidentem tenet. platanona⁷ medius rivus et a mari et ab Acherusio lacu receptus euripi modo dividit, alendis piscibus, etiamsi adsidue exhauriatur, sufficiens. sed illi, cum mare patet, parci- tur: cum tempestas piscatoribus dedit ferias, manus ad 7 parata porrigitur. Hoc tamen est commodissimum in villa, quod Baias trans parietem habet: incommodis illarum caret, voluptatibus fruitur. Has laudes eius ipse novi: esse illam totius anni credo. occurrit enim Favonio et illum adeo excipit, ut Baiis neget. Non stulte videtur ele- gisse hunc locum Vatia, in quem otium suum pigrum iam 8 et senile conferret. Sed non multum ad tranquillitatem locus confert: animus est, qui sibi commendet omnia: vidi ego in villa hilari et amoena moestos,

vidi in media solitudine occupatis similes. quare non est quod existimes ideo parum bene compositum esse te, quod in Campania non es. quare autem non es? huc usque cogitationes tuas mitte. Conversari cum amicis 9 absentibus licet, et quidem quotiens velis, quamdiu velis. magis hac voluptate, quae maxima est, fruimur, dum absumus. praesentia enim nos delicatos facit, et quia aliquando una loquimur, ambulamus, consedimus, eum diducti sumus, nihil de iis, quos modo vidimus, cogitamus. et ideo aequo animo ferre debemus absentiam, 10 quia nemo non multum etiam praesentibus abest: pone hic primum noctes separatas, deinde occupationes utriusque diversas, deinde studia secreta, suburbanas perfectiones: videbis non multum esse, quod nobis peregrinatio eripiat. Amicus animo possidendus est: hic autem 11 numquam abest. quemcumque vult, cotidie videt. Itaque mecum stude, mecum coena, mecum ambula: in angusto vivebamus, si quicquam esset cogitationibus clusum. Video te, mi Lucili. cum maxime audio. adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistulas, sed codicillos tibi scribere. Vale.

EPISTULA IV. (56.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Peream, si est tam necessarium quam videtur silenti- 1 tium in studia seposito! ecce undique me varius clamor circumsonat. supra ipsum balneum habito. propone nunc tibi omnia genera vocum, quae in odium possunt aures adducere: cum fortiores exercentur et manus plumbo graves iactant, cum aut laborant aut laborantem imitantur, gemitus audio, quotiens retentum spiritum remiserunt, sibilos et acerbissimas respiraciones: cum in aliquem inertem et hac plebeia unctione contentum incidi, audio crepitum inlisae manus humeris, quae prout plana pervenit aut concava, ita sonum mutat. si vero pilicrepus supervenit et numerare coepit pilas, actum est. Adice nunc scordalum² et furem deprehensum ² et illum, cui vox sua in balneo placet. adice nunc eos,

8*

{ pila pilicrepus pilum pilicrepus
pila scordalum pilum deprehensum
pila scordalum pilum deprehensum }

qui in piscinam cum ingenti impulsae aquae sono saliunt. praeter istos, quorum, si nihil aliud, rectae voces sunt, alipilum¹ cogita tenuem et stridulam vocem, quo sit notabilior, subinde exprimentem nec umquam tacentem, nisi dum vellit alas² et alium pro se clamare cogit. iam libarii³ varias exclamationes et botularium⁴ et crustularium⁵ et omnes popinarum institores mercem sua quadam et insignita modulatione vendentes. „O te, inquis, ferreum aut surdum, cui mens inter tot clamores tam varios, tam dissonos, constat, cum Chrysippum nostrum adsidua salutatio perducatur ad mortem.“ At mehercules ego istum fremitum non magis curo quam fluctum aut deiectum aquae, quamvis audiam cuidam genti hanc unam fuisse causam urbem suam transferendi, quod fragorem Nili cadentis ferre non potuit. Magis mihi vox avocare videtur quam crepitus. illa enim animum adducit, hic tantum aures inplet ac verberat. In his, quae me sine avocatione circumstrepunt, essedas⁴ transcurrentes pono et fabrum inquilinum et ferrarium⁷ vicinum, aut hunc, qui ad Metam Sudantem tubulas⁸ experitur et tibus, nec cantat, sed exclamat. etiam nunc molestior est mihi sonus, qui intermittitur subinde quam qui continuatur. Sed iam me sic ad omnia ista duravi, ut audire vel pausarium⁹ possim voce acerbissima remigibus¹ modos dantem. animum enim cogo sibi intentum esse nec avocari ad externa: omnia licet foris resonent, dum intus nihil tumultus sit, dum inter se non rixentur cupiditas et timor, dum avaritia luxuriaque non dissideant nec altera alteram vexet. nam quid prodest totius regionis silentium, si adfectus fremunt?

6 *Omnia noctis erant placida conposta quiete.*

Falsum est: nulla placida est quies, nisi quam ratio composuit: nox exhibet molestiam, non tollit, et sollicitudines mutat. nam dormientium quoque insomnia tam turbulenta sunt quam dies. illa tranquillitas vera est, in quam bona mens explicatur. Adspice illum, cui somnus laxae domus silentio quaeritur, cuius aures ne quis agitet sonus, omnis servorum turba conticuit et suspensum accedentium pro-

pius vestigium ponitur: huc nempe versatur atque illuc, somnum inter aegritudines levem captans. quae non audit, audisse se queritur. Quid in causa putas esse? ⁸ animus illi obstrepat. hic placandus est, huius conpescenda seditio est, quem non est quod existimes placidum, si iacet corpus. interdum quies inquieta est. et ideo ad rerum actus excitandi ac tractatione bonarum artium occupandi sumus, quotiens nos male habet inertia sui impatiens. Magni imperatores, cum male parere militem vident, ⁹ aliquo labore conpescunt et expeditionibus detinent: numquam vacat lascivire districtis nihilque tam certum est quam otii vitia negotio discuti. Saepe videmur taedio rerum civilium et infelicis atque ingratae stationis poenitentiam secessisse: tamen in illa latebra, in quam nos timor ac lassitudo coniecit, interdum recrudescit ¹⁰ ambitio. non enim excisa desinit, sed fatigata aut etiam obirata rebus parum sibi cedentibus. Idem de luxuria dico, quae videtur aliquando cessisse, deinde frugalitatem professos sollicitat atque in media parsimonia voluptates non damnatas, sed relictas petit, et quidem eo vehementius, quo occultius. omnia enim vitia in aperto leviora sunt: morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant, cum ex abdito erumpunt ac vim suam proferunt. Et avaritiam itaque et ambitionem et cetera mala mentis humanae tunc perniciosissima scias esse, cum simulata sanitate subsidunt. Otiosi ¹¹ videmur et non sumus. nam si bona fide sumus, si receptui cecinimus, si speciosa contemnimus, ut paulo ante dicebam, nulla res nos avocabit, nullus hominum aviumque concentus interrumpet cogitationes bonas solidasque iam et certas. Leve illud ingenium est nec se adhuc re- ¹² duxit introrsus, quod ad vocem et accidentia erigitur. Habet intus aliquid sollicitudinis et habet aliquid concepti pavoris, quod illum curiosum facit, ut ait Vergilius noster:

*et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
 tela neque adverso glomerati ex agmine Graii,
 nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis
 suspensum et pariter comitique dnerique timentem.*

Prior ille sapiens est, quem non tela vibrantia, non arie- ¹³

tata inter se arma agminis densi, non urbis impulsae fragor territat: hic alter inperitus est, rebus suis timet ad omnem crepitum expavescens, quem unaquaelibet vox pro fremitu accepta deiecit, quem motus levissimi exanimant: timidum illum sarcinae faciunt. Quemcumque ex istis felicibus elegeris, multa trahentibus, multa portantibus, videbis illum

comitique onerique timentem.

Tunc ergo te scito esse compositum, cum ad te nullus clamor pertinebit, cum te nulla vox tibi exculiet, non si blandietur, non si minabitur, non si inani sonō vana circumstrepet. Quid ergo? non aliquando commodius est et carere convicio? fateor. itaque ego ex hoc loco migrabo. experiri et exercere me volui. Quid necesse est diutius torqueri, cum tam facile remedium Ulixes sociis etiam adversus Sirenas invenerit? Vale.

EPISTULA V. (57.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Cum a Baiis deberem Neapolim repetere, facile credidi tempestatem esse, ne iterum navem experirer: et tantum luti tota via fuit, ut possim videri nihilominus navigasse. totum athletarum fatum mihi illo die perpetiendum fuit: a ceromate nos haphē² excepit in crypta^α

2 Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil illis facibus obscurius, quae nobis praestant non ut per tenebras videamus, sed ut ipsas. ceterum etiamsi locus haberet lucem, pulvis auferret, in aperto quoque res gravis et molesta: quid illic, ubi in se volutatur et, cum sine ullo spiramento sit inclusus, in ipsos, a quibus excitatus est, recidit? Duo incommoda inter se contraria simul pertulimus: eadem via, eodem die et luto et pulvere laboravimus.

3 Aliquid tamen mihi illa obscuritas, quod cogitarem, dedit: sensi quemdam ictum animi et sine metu mutationem, quam insolitae rei novitas simul ac foeditas fecerat. Non de me nunc tecum loquor, qui multum ab homine tolerabili, nedum a perfecto absum,

sed de illo, in quem fortuna ius perdidit: huius quoque ferietur animus, mutabitur color. Quaedam [enim], mi 4
 Lucili, nulla effugere virtus potest: admonet illam natura mortalitatis suae: itaque et voltum addūcet ad tristitia et inhorrescet ad subita et caligabit, si vastam altitudinem in crepidine eius constitutus despexerit: non est hoc timor, sed naturalis adfectio inexpugnabilis rationi. Itaque fortes quidam et paratissimi fundere 5
 suum sanguinem alienum videre non possunt. quidam ad volneris novi, quidam ad veteris et purulenti tractationem inspectionemque succidunt ac linquuntur animo. alii gladium facilius recipiunt quam vident. Sensi ergo, ut dicebam, quamdam non quidem perturbationem, sed mutationem. rursus ad primum conspectum redditae lucis alacritas rediit incogitata et iniussa: illud deinde mecum loqui coepi, quam inepte quaedam magis aut minus timeremus, cum omnium idem finis esset. quid enim interest, utrum supra aliquem vigiliarium ruat an mons? nihil invenies. erunt tamen, qui hanc ruinam magis timeant, quamvis utraque mortifera aequae sit: adeo non effectus, sed efficientia timor spectat. 6
 Nunc me putas de Stoicis dicere, qui existimant animam hominis magno pondere extriti permanere non posse et statim spargi, quia non fuerit illi exitus liber? ego vero non facio: qui hoc dicunt, videntur mihi errare. Quemadmodum flamma non potest opprimi, nam circa id effugit, quo urgetur: quemadmodum aer verbere atque ictu non laeditur, ne scinditur quidem, sed circa id, cui cessit, refunditur: sic animus, qui ex tenuissimo constat, deprehendi non potest nec intra corpus adfligi, sed beneficio subtilitatis suae per ipsa, quibus premitur, erumpit. Quomodo fulmini, etiam cum latissime percussit ac fulsit, per exiguum foramen est reditus: sic animo, qui adhuc tenuior est igne, per omne corpus fuga est. Itaque [de illo] quaerendum est, an possit immortalis esse. Hoc quidem certum habe: si superstes est corpori, *praeter illud illum nullo genere perire posse, propter quod non perit*, quoniam

nulla immortalitas cum exceptione est nec quicquam noxium aeterno est. Vale.

EPISTULA VI. (58.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Quanta verborum nobis paupertas, immo egestas sit, numquam magis quam hodierno die intellexi: mille res inciderunt, cum forte de Platone loqueremur, quae nomina desiderarent nec haberent, quaedam vero, cum habuissent, fastidio nostro perdidissent. quis autem ferat in 2 egestate fastidium? Hunc quem Graeci οἴστρον vocant, pecora peragentem et totis saltibus dissipantem, a σῆλυμ nostri vocabant. hoc Vergilio licet credas:

*Est lucum Silari⁺ iuxta ilicibusque virentem
plurimus Alburnum volitans, cui nomen a silo
Romanum est, oestrum Graii vertēre vocantes.
asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis
diffugiunt armenta. (Geog. 3, 147)*

3 puto intellegi istud verbum interisse. Ne te longe differam, quaedam simplicia in usu erant, sicut cernere ferro inter se dicebant[ur]. idem Vergilius hoc probabit tibi:

*ingentis genitos diversis partibus orbis
inter se coisse viros et cernere ferro. (Aen. XII 709)*

quod nunc decernere dicimus. simplicis illius verbi 4 usus amissus est. Dicebant antiqui si iusso, id est si iussero. hoc nolo mihi credas, sed eidem Vergilio:

(Aen. XI. 467) Cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.

5 Non id ago nunc hac diligentia, ut ostendam, quantum tempus apud grammaticum perdiderim, sed ut [ex] hoc intellegas, quantum apud Ennium et Accium verborum situs occupaverit, cum apud hunc quoque, qui cotidie

6 excutitur, aliqua nobis subducta sint. „Quid sibi, inquis, ista praeparatio vult? quo spectat?“ Non celabo te: cupio, si fieri potest, propitiis auribus tuis „essentiam“ dicere. si minus, dicam et iratis. Cicero- nem auctorem huius verbi habeo, puto locuplētē. si recentiorem quaeris, Fabianum, disertum et elegantem,

orationis etiam ad nostrum fastidium nitidae. quid enim fiet, mi Lucili? quomodo dicetur οὐσία, res necessaria, natura continens fundamentum omnium? Rogo itaque permittas mihi hoc verbo uti. nihilominus dabo operam, ut ius a te datum parcissime exerceam: fortasse contentus ero mihi licere. Quid proderit facilitas tua, cum 7 ecce id nullo modo Latine exprimere possim, propter quod linguae nostrae convicium feci? magis damnabis angustias Romanas, si scieris unam syllabam esse, quam mutare non possum. quae sit haec quaeris? τὸ ὄν. Duri tibi videor ingenii: in medio positum, posse sic transferri, ut dicam quod est. sed multum interesse video: cogor verbum pro vocabulo ponere. sed ita necesse est ponam quod est. Sex modis hoc a Platone 8 dici amicus noster, homo eruditissimus, hodierno die dicebat. omnes tibi exponam, si ante indicavero esse aliquid genus, esse et speciem. nunc autem genus illud primum quaerimus, ex quo ceterae species suspensae sunt, a quo nascitur omnis divisio, quo universa comprehensa sunt. inveniatur autem, si coeperimus singula retro legere: sic enim perducemur ad primum. Homo species est, ut Aristoteles ait. equus 9 species est. canis species est. ergo commune aliquod quaerendum est his omnibus vinculum, quod illa complectatur et sub se habeat. hoc quid est? animal. ergo genus esse coepit horum omnium, quae modo retuli, hominis, equi, canis, animal. Sed sunt quaedam, quae 10 animam habent nec sunt animalia. placet enim satis et arbustis animam inesse. itaque et vivere illa et mori dicimus. ergo animantia superiorem tenebunt locum, quia et animalia in hac forma sunt et sata. Sed quaedam animam carent, ut saxa. itaque erit aliquid animantibus antiquius, corpus scilicet. hoc sic dividam, ut dicam corpora omnia aut animata esse aut inanima. Etiam nunc 11 est aliquid superius quam corpus. dicimus enim quaedam corporalia esse, quaedam incorporalia. quid ergo erit, ex quo haec deducantur? illud, cui nomen modo parum proprium inposuimus, quod est. sic enim

in species secabitur, ut dicamus: quod est aut corporale est aut incorporale. Hoc ergo est genus primum et antiquissimum et, ut ita dicam, generale. cetera genera quidem sunt, sed specialia: tamquam homo genus est. habet enim in se nationum species: Graecos, Romanos, Parthos. colorum: albos, nigros, flavos. habet singulos: Catonem, Ciceronem, Lucretium. ita[que] qua multa continet, in gēnūs cadit. qua sub alio est, in speciēm: illud genus quod est generale, supra se nihil habet. initium rerum est. omnia sub illo sunt. Stoici volunt superponere huic etiam nunc aliud genus magis principale: de quo statim dicam, si prius illud genus, de quo locutus sum, merito primum poni docuero, cum sit rerum omnium capax. Quod est in has species divido, ut sint corporalia aut incorporalia. nihil tertium est. corpus quomodo divido? ut dicam: aut animantia sunt aut inanima. rursus animantia quemadmodum divido? ut dicam: quaedam animum habent, quaedam tantum animam. aut sic: quaedam in petum habent, incēdunt, transeunt, quaedam solo adfixa radicibus aluntur [*et crescunt*]. rursus animalia in quas species seco? aut mortalia sunt aut immortalia. // Primum genus Stoicis quibusdam videtur quid: quare videatur, subiciam: „in rerum, inquit, natura quaedam sunt, quaedam non sunt. et haec autem, quae non sunt, rerum naturam complectitur, quae animo succurrunt, (tamquam Centauri, Gigantes et quicquid aliud falsa cogitatione formatum habere aliquam imaginem coepit, quamvis non habeat substantiam.“ / Nunc ad id, quod tibi promisi, revertor, quomodo quaecumque sunt, in sex modos Plato partiatur. / Primum illud quod est nec visu nec tactu nec ullo sensu comprehenditur: cogitabile est. quod generaliter est, tamquam homo generalis, sub oculos non venit. sed specialis venit, ut Cicero et Cato. animal non videtur: cogitatur. videtur autem species eius, equus et canis. / Secundum ex his, quae sunt, ponit Plato quod eminent et exsuperat omnia. hoc ait per excellentiam esse. ut poetam commu-

niter dicitur. omnibus enim versus facientibus hoc nomen est, sed iam apud Graecos in unius notam cessit: Homerum intellegas, cum audieris poetam. quid ergo hoc est? deus scilicet, maior ac potentior cunctis. Tertium genus est eorum, quae proprie sunt: 18 ⁽³⁾ innumerabilia haec sunt, sed extra nostrum posita conspectum. „quae sunt?“ interrogas. propria Platonis suppellex est: idéas vocat, ex quibus omnia, quaecumque videmus, fiunt et ad quas cuncta formantur. haec immortales, immutabiles, inviolabiles sunt. Quid sit idéa, 19 id est, quid Platoni esse videatur, audi: „idéa est eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum.“ Adiciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat: volo imaginem tuam facere. exemplar picturae te habeo, ex quo capit aliquem habitum mens nostra, quem operi suo inponat: ita illa, quae me docet et instruit facies, a qua petitur imitatio, idéa est. Talia ergo exemplaria infinita habet rerum natura, hominum, piscium, arborum, ad quae quodcumque fieri ab illa debet, exprimitur. Quartum locum habebit εἶδος. 20 ⁽⁴⁾ quid sit hoc εἶδος, attendas oportet et Platoni inputes, non mihi, hanc rerum difficultatem. nulla est autem sine difficultate subtilitas: paulo ante pictoris imaginem utebar. ille cum reddere Vergilium coloribus vellet, ipsum intuebatur. idéa erat Vergilii facies, futuri operis exemplar. ex hac quod artifex trahit et operi suo inposuit, εἶδος est. Quid intersit, quaeris? alterum exemplar 21 est, alterum forma ab exemplari sumpta et operi inposita. alteram artifex imitatur, alteram facit. Habet aliquam faciem statua. haec est εἶδος: habet aliquam faciem exemplar ipsum, quod intuens opifex statuam figuravit. haec idéa est. Etiamnunc, si aliam desideras distinctionem, εἶδος in opere est, idéa extra opus, nec tantum extra opus est, sed ante opus. Quintum genus 22 ⁽⁵⁾ est eorum, quae communiter sunt. haec incipiunt ad nos pertinere. hic sunt omnia, homines, pecora, res. Sextum genus eorum quae quasi sunt: tamquam inanè, tamquam tempus. Quaecumque videmus ⁽⁶⁾

- aut tangimus, Plato in illis non numerat, quae esse proprie putat. fluunt enim, [et] in adsidua diminutione atque adiectione sunt. nemo postrum idem est in senectute, qui fuit iuuenis. nemo nostrum est idem mane, qui fuit pridie. corpora nostra rapiuntur fluminum more. quicquid vides, currit eum tempore. nihil ex iis, quae videmus, manet. et ego ipse, dum loquor mutari ista,
- 23 mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclius: „in idem flumen bis descendimus et non descendimus.“ (manet enim idem fluminis nomen, aqua transmissa est.) hoc in amne manifestius est quam in homine. sed nos quoque non minus velox cursus praetervehit, et ideo admīror demēntiam nostram, quod tantopere amamus rem fugacissimam, corpus, timemusque, ne quando moriamur, cum omne momentum mors prioris habitus sit: vis tu
- 24 non timere, ne semel fiat, quod cotidie fit? De homine dixi, fluvida materia et caduca et omnibus obnoxia causis: mundus quoque, aeterna res et invicta, mutatur nec idem manet. Quamvis enim omnia in se habeat, quae
- 25 habuit, aliter habet quam habuit: ordinem mutat. „Quid ista, inquis, mihi subtilitas proderit?“ Si me interrogas, nihil. sed quemadmodum ille caelator⁷ oculos intentos diu ac fatigatos remittit atque avocat et, ut dici solet, pascit: sic nos animum aliquando debemus relaxare et quibusdam oblectamentis reficere. sed ipsa oblectamenta opera sint: ex his quoque, si observaveris,
- 26 sumes, quod possit fieri salutare. Hoc ego, Lucili, facere soleo: ex omni notione, etiamsi a philosophia longissime aversa est, eruere aliquid conor et utile efficere: quid de istis, quae modo tractavimus, remotis a reformatione morum? quomodo meliorem me facere idēae Platonicae possunt? quid ex istis traham, quod cupiditates meas comprimat? vel hoc ipsum, quod omnia ista, quae sensibus serviunt, quae nos accendunt et in-
- 27 ritant, negat Plato ex his esse, quae vere^c sint. Ergo ista imaginaria sunt et ad tempus aliquam faciem ferunt, nihil horum stabile nec solidum est: et nos tamen cupimus, tamquam aut semper futura aut semper habituri.

inbecilli fluidique intervalla constituimus: ad illa mittamus animum, quae aeterna sunt. miremur in sublīmi volitantes rerum omnium formas deumque inter illa versantem et hoc providentem, quemadmodum quae immortalia facere non potuit, quia materia prohibebat, defendat a morte: ac ratione vitium corporis vincat. Manent 28 enim cuncta, non quia aeterna sunt, sed quia defenduntur curā regentis: immortalia tutore non egerent. haec conservat artifex fragilitatem materiae vi sua vincens. Contemnamus omnia, quae adeo pretiosa non sunt, ut an sint omnino, dubium sit. Illud simul cogitemus, si 29 mundum ipsum, non minus mortalem quam nos sumus, providentia periculis eximit, posse aliquatenus nostra quoque providentia longiorem prorogari huic corpusculo moram, si voluptates, quibus pars maior perit, potuerimus regere et coercere. Plato ipse ad senectutem se 30 diligentia protulit. erat quidem corpus validum ac forte sortitus et illi nomen latitudo pectoris fecerat, sed navigationes ac pericula multum detraxerant viribus: parsimonia tamen et eorum, quae aviditatem evocant, modus et diligens sui tutelā perduxit illum ad senectutem multis prohibentibus causis. Nam hoc scis, puto, Platoni diligentiae suae beneficio contigisse, quod natali suo decessit et annum unum atque octogesimum inplevit sine ulla deductione. ideo magi, qui forte Athenis erant, immolaverunt defuncto, amplioris fuisse sortis quam humanae rati, quia consummasset perfectissimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt: non dubito, quin paratus esset paucos dies ex ista summa et sacrificium remittere. Potest frugalitas producere senectutem, 32 quam ut non puto concupiscendam, ita ne recusandam quidem. Iucundum est esse secum quam diutissime, cum quis se dignum, quo frueretur, effecit. itaque de isto feremus sententiam, an oporteat fastidire senectutis extrema et finem non opperiri, sed manu facere. Prope est a timente, qui fatum segnīs exspectat, sicut ille ultra modum deditus vino est, qui amphoram exsiccat et faecem quoque

9x9=

33 exsorbet. De hoc tamen quaeremus, pars summa vitae
 utrum [ea] *faex* sit an liquidissimum ac purissimum quid-
 dam, si modo mens sine iniuria est et integri sensus
 animum iuvant nec defectum et praemortuum corpus est.
 plurimum enim refert, vitam aliquis extendat an mor-
 34 tem: at si inutile ministeriis corpus est, quidni oporteat
 educere animum laborantem? et fortasse paulo ante
 quam debet, faciendum est, ne, cum fieri debebit, fa-
 cere non possis: et cum maius periculum sit male vivendi
 quam cito moriendi, stultus est, qui non exigua tempo-
 ris mercede magnae rei aleam redimit. Paucos longis-
 sima senectus ad mortem sine iniuria pertulit, multis
 iners vita sine usu sui iacuit: quanto deinde crudelius
 35 iudicas aliquid ex vita perdidisse quamvis finienda? Noli
 me invitus audire, tamquam ad te iam pertineat ista sen-
 tentia, et quid dicam aestima: non relinquam senectu-
 tem, si me totum mihi reservabit, totum autem ab illa
 parte meliore: at si coeperit concutere mentem, si partes
 eius convellere, si mihi non vitam reliquerit, sed ani-
 36 mam, prosiliam ex aedificio putri ac ruenti. Morbum
 morte non fugiam, dumtaxat sanabilem nec officientem
 animo. non adferam mihi manus propter dolorem: sic
 mori vinci est. hunc tamen si sciero perpetuo mihi esse
 patiendum, exhibeo, non propter ipsum, sed quia inpedi-
 mento mihi futurus est ad omne, propter quod vivitur.
 Inbecillus est et ignavus, qui propter dolorem moritur,
 37 stultus, qui doloris causa vivit. Sed in longum exeo.
 est praeterea materia, quae ducere diem possit. et quo-
 modo finem imponere vitae poterit, qui epistulae non
 potest? Vale ergo. quod libentius quam mortis moras
 lecturus es. Vale.

EPISTULA VII. (59.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Magnam ex epistula tua percepi volupta-
 tem: permittite enim mihi uti verbis publicis nec illa ad
 significationem Stoicam revoca. vitium esse voluptatem
 credimus. sit sane: ponere tamen illam solemus ad de-

monstrandam animi hilarem adfectionem. Scio, inquam, 2
 et voluptatem, si ad nostrum album verba dirigimus,
 rem infamem esse et gaudium nisi sapienti non contin-
 gere. est enim animi elatio suis bonis verisque fidentis.
 volgo tamen sic loquimur, ut dicamus magnum gaudium
 nos ex illius consulatu aut [ex] nuptiis aut ex partu ux-
 ris percepisse, quae adeo non sunt gaudia, ut saepe
 initia futurae tristitiae sint: gaudio autem iunctum est
 non desinere nec in contrarium verti. Itaque cum dicit 3
 Vergilius noster

et mala mentis

gaudia,

diserte quidem dicit, sed parum proprie. nullum enim
 malum gaudium est: voluptatibus hoc nomen inposuit et
 quod voluit expressit. significavit enim homines malo
 suo laetos. Tamen ego non inmerito dixeram cepisse me 4
 magnam ex epistula tua voluptatem: quamvis enim ex
 honesta causa inperitus homo gaudeat, tamen adfectum
 eius inpotentem et in diversum statim inclinaturum vo-
 luptatem voco, opinione falsi boni motam, immoderatam
 et inmodicam. sed, ut ad propositum revertar, audi,
 quid me in epistula tua delectaverit: habes
verba in potestate. non effert te oratio nec longius
 quam destinasti trahit. Multi sunt, qui ad id, quod non 5
 proposuerant scribere, alicuius verbi placentis decore
 vocentur, quod tibi non evenit: pressa sunt omnia et rei
 aptata. loqueris quantum vis et plus significas quam lo-
 queris. Hoc maioris rei indicium est: adparet animum
 quoque nihil habere supervacui, nihil tumidi. Invenio 6
 tamen translationes verborum ut non temerarias,
 ita quae periculum sui fecerint. invenio imagines,
 quibus si quis nos uti vetat et poëta illas solis iudicat
 esse concessas, neminem mihi videtur ex antiquis le-
 gisse, apud quos nondum captabatur plausibilis oratio:
 illi, qui simpliciter et demonstrandae rei causa eloque-
 bantur, parabòlis referti sunt, quas existimo neces-
 sarias, non ex eadem causa qua poëta, sed ut inbec-
 illitatis nostrae adminicula sint et ut discentem et au-

- 7 dientem in rem praesentem adducant. Sextium ecce cum maxime lego, virum acrem, Graecis verbis, Romanis moribus philosophantem. movit me imago ab illo posita: *ire quadrato agmine exercitum, ubi hostis ab omni parte suspectus est, pugnae paratum: idem, inquit, sapiens facere debet: omnes virtutes suas undique expandat, ut ubicumque infesti aliquid orietur, illic parata praesidia sint et ad nutum regentis sine tumultu respondeant. Quod in exercitibus iis, quos imperatores magni ordinant, fieri videmus, ut imperium ducis simul omnes copiae sentiant, sic dispositae, ut signum ab uno datum peditem simul equitemque percurrat: hoc aliquanto magis necessarium esse*
- 8 *nobis ait: illi enim saepe hostem timuere sine causa tutissimumque illis iter quod suspectissimum fuit: nihil stultitia pacatum habet. tam superne illi metus est quam infra. utrumque trepidat latus. sequuntur pericula et occurrunt. ad omnia pavet, inparata est et ipsis terretur auxiliis: sapiens autem ad omnem incursum munitus, intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor inpetum faciat, pedem referet. inter-*
- 9 *ritus et contra illa ibit et inter illa. Nos multa adligant, multa debilitant. diu in istis vitiis iacuimus, elui difficile est. non enim inquinati sumus, sed infecti. Ne ab alia imagine ad aliam transeamus, hoc quaeram, quod saepe mecum dispicio, quid ita nos stultitia tam pertinaciter teneat? Primo quia non fortiter illam repellimus nec toto ad salutem inpetu nitimur, deinde quia illa, quae a sapientibus viris reperta sunt, non satis credimus nec apertis pectoribus haurimus leviter-*
- 10 *que tam magnae rei insistimus. Quemadmodum autem potest aliquis, quantum satis sit, adversus vitia discere, qui quantum a vitiis vacat, discit? nemo nostrum in altum descendit. summa tantum decerpimus et exiguum temporis inpendisse philosophiae satis abundeque occupatis fuit. Illud praecipue inpedit, quod cito nobis placeamus: si invenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. non sumus modicam laudatione contenti: quicquid in nos adulatio sine pudore*

congegissit, tamquam debitum prendimus. optimos nos esse, sapientissimos adfirmantibus adsentimur, cum sciamus illos saepe multa mentiri. adeoque indulgemus nobis, ut laudari velimus in id, cui contraria cum maxime facimus. Mitissimum ille se in ipsis suppliciis audit, in rapinis liberalissimum et in ebrietatibus ac libidinibus temperantissimum. sequitur itaque, ut ideo mutari nolumus, quia nos optimos esse credimus. Alexander cum iam in India vagaretur et gentes ne finitimis quidem satis notas bello vastaret, in obsidione cuiusdam urbis, *dum* circumit muros et inbecillissima moenium quaerit, sagitta ictus diu persedere et incepta agere perseveravit. deinde cum represso sanguine sicci volneris dolor cresceret et crus suspensum equo paulatim obtorpuisset, coactus ab- sistere: „omnes, inquit, iurant esse me Jovis filium, sed volnus hoc hominem esse me clamat.“ Idem nos facia- mus. pro sua quemque portione adulatio infatuat. dica- mus: vos quidem dicitis me prudentem esse, ego autem video, quam multa inutilia concupiscam, nocitura optem. ne hoc quidem intellego, quod animalibus satietas mon- strat, quis cibo debeat esse, quis potioni modus. quan- tum capiam, adhuc nescio. Iam docebo, quemad- modum intellegas te non esse sapientem: sapiens ille plenus est gaudio, hilâris et placidus, inconcussus. cum dis ex pari vivit: nunc ipse te consule: si numquam moestus es, nulla spes animum tuum futuri expectatione sollicitat, si per dies noctesque par et aequalis animi tenor erecti et placentis sibi est, perve- nisti ad humani boni summam. sed si adpetis voluptates et undique et omnes, scito tantum tibi ex sapientia, quantum ex gaudio deesse. ad hoc cupis per- venire, sed erras viâ. inter divitias illuc venturum esse te speras, inter honores? id est, gaudium inter sollicitu- dines quaeris. ista, quae sic petis tamquam data laeti- tiam ac voluptatem, causae dolorum sunt. Omnes, in- quam, illi tendunt ad gaudium, sed unde stabile mag- numque consequantur, ignorant: ille ex conviviis et

luxuriâ, ille ex ambitione et circumfusâ clientium turbâ, ille ex amica, alius ex studiorum liberalium vanâ ostentatione et nihil sanantibus literis: omnes istos oblectamenta fallacia et brevia decipiunt, sicut ebrietas, quae unius horae hilarem insaniam longi temporis taedio pensat, sicut plausus et adclamationis secundae favor, qui magna sollicitudine et partus est et expiandus. Hoc ergo cogita, hunc esse sapientiae effectum, gaudii aequalitatem. talis est sapientis animus, qualis mundus super lunam: semper illic serenum est. Habes ergo et quare velis sapiens esse, si numquam sine gaudio est. gaudium hoc non nascitur nisi ex virtutum conscientia. non potest 17 gaudere, nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans. „Quid ergo? inquis, stulti ac mali non gaudent?“ non magis quam praedam nacti leones: cum fatigaverunt se vino ac libidinibus, cum illos nox inter vitia defecit, cum voluptates angusto corpori ultra quam capiebat ingestae suppurare coeperunt: tunc exclamant miseri Vergilianum illum versum:

*namque ut supremam falsa inter gaudia noctem
egerimus, nosti.*

18 Omnem luxuriosi noctem inter falsa gaudia et quidem tamquam supremam agunt: illud gaudium, quod deos deorumque aemulos sequitur, non interrumpitur, non desinit: desineret, si sumptum esset aliunde. quia non est alieni muneris, ne arbitrii quidem alieni est. Quod non dedit fortuna, non eripit. Vale.

EPISTULA VIII. (60.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Queror, litigo, irascor. etiamnunc optas, quod tibi optavit nutrix tua aut paedagōgus aut mater? nondum intellegis, quantum mali optaverint? o quam inimica nobis sunt vota nostrorum! eo quidem inimiciora quae cessere felicius. iam non admiror, si omnia nos a prima pueritia mala sequuntur: inter execrationes parentum crevimus. Exaudiant di quoque nostram pro nobis vocem gratulātam. Quousque poscemus aliquid deos

ita *quasi* nondum ipsi alere nos possimus? quamdiu sationibus inplebimus magnarum urbium campos? quamdiu nobis populus metet? quamdiu unius mensae [*in*]strumentum multa navigia et quidem non ex uno mari subvehent? taurus paucissimorum iugerum pascuo inpletur. una silva elephantis pluribus sufficit: homo et terra et mari pascitur. Quid ergo? tam insatiabilem nobis natura alvum dedit, cum tam modica corpora dedisset, ut vastissimorum edacissimorumque animalium aviditatem vinceremus? minime. quantum est enim, quod naturae datur? parvo illa dimittitur. non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. Hos itaque, ut ait Salustius, *ventri obedientes* animalium loco numeremus, non hominum: quosdam vero ne animalium quidem, sed mortuorum. Vivitis, qui multis usui est, vivitis, qui se utitur: qui vero latitant et torpent, sic in domo sunt, quomodo in conditivo. horum licet in limine ipso nomen marmoris inscribas: mortem suam antecesserunt. Vale.

EPISTULA IX. (61.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Desinamus, quod volumus, velle. ego certe id ago senex: eadem velle, quae puer nolui. in hoc unum eunt dies, in hoc noctes, hoc opus meum est, haec cogitatio: inponere veteribus malis finem. id ago, ut mihi instar totius vitae dies sit. nec mehercules tamquam ultimum rapio, sed sic illum adspicio, tamquam esse vel ultimus possit. Hoc animo tibi hanc epistulam scribo, tamquam me cum maxime scribentem mors evocatura sit. paratus exire sum et ideo fruar vita, quia quam diu futurum hoc sit, non nimis pendeo. ante senectutem curavi, ut bene viverem, in senectute, ut bene moriar: bene autem mori est libenter mori. Da operam, ne quid unquam invitus facias. quicquid necesse futurum est repugnanti, *id* volenti necessitas non est. Ita dico: qui imperia libens excipit, partem acerbissimam servitutis effugit, facere quod

nolit. non qui iussus aliquid facit, miser est, sed qui invitus facit. itaque sic animum componamus, ut quicquid res exiget, id velimus: et in primis finem nostri sine tristitia cogitemus. Ante ad mortem quam ad vitam praeparandi sumus. satis instructa vita est, sed nos in instrumenta eius avidi sumus: deesse aliquid nobis videtur et semper videbitur. ut satis vixerimus, nec anni nec dies faciunt, sed animus. Vixi, Lucili carissime, quantum satis erat: mortem plenus exspecto. Vale.

EPISTULA X. (62.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Mentiuntur, qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt: simulant occupationes et augent et ipsi se occupant. Vaco, Lucili, vaco et ubicumque sum, ibi meus sum. rebus enim me non trado, sed commodo, nec consector perdendi temporis causas. et quocumque constiti loco, ibi cogitationes meas tracto et aliquid in animo salutare
- 2 converso. Cum me amicis dedi, non tamen mihi abduco nec cum illis moror, quibus me tempus aliquod congregavit aut causa ex officio nata civis, sed cum optimo quoque sum: ad illos, in quocumque loco, in quocum-
- 3 que seculo fuerunt, animum meum mitto. Demetrium, virorum optimum, mecum circumfero et relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror. quidni admirer? vidi nihil ei deesse. Contemnere aliquis omnia potest, omnia habere nemo potest. brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est. Demetrius autem noster sic vivit, non tamquam contempserit omnia, sed tamquam aliis habenda permiserit. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER VII.

EPISTULA I. (63.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Moleste fero decessisse Flaccum amicum ¹ tuum, plus tamen aequo dolere te nolo. illud, ut non doleas, vix audebo exigere: et esse melius scio. sed cui ista firmitas animi continget nisi iam multum supra fortunam elato? illum quoque ista res vellicabit, sed tantum vellicabit. nobis autem ignosci potest prolapsis ad lacrimas, si non nimiae decurrerunt, si ipsi illas repressimus. Nec sicci sint oculi amisso amico nec fluant. lacrimandum est, non plorandum. Duram tibi legem ² videor ponere, cum poetarum Graecorum maximus ius flendi dederit in unum dumtaxat diem, cum dixerit etiam Niobam de cibo cogitasse? Quaeris, unde sint lamentationes, unde inmodici fletus? per lacrimas argumenta desiderii quaerimus et dolorem non sequimur, sed ostendimus. nemo tristis sibi est: o infelicem sibi stultitiam! est aliqua et doloris ambitio. „Quid ergo? inquis, ³ obliviscar amici?“ Brevem illi apud te memoriam promittis, si cum dolore mansura est: iam istam frontem ad risum quaelibet fortuita res transferet. non differo in longius tempus, quo desiderium omne mulcet, quo etiam acerrimi luctus residunt. cum primum te observare desieris, imago ista tristitiae discedet: nunc ipse custodis dolorem tuum. sed custodienti quoque elabatur eoque citius, quo est acrior, desinit. Id agamus, ut iucunda ⁴ nobis amissorum fiat recordatio: nemo libenter ad id redit, quod non sine tormento cogitaturus est: sic illud

- fieri necesse est, ut cum aliquo nobis morsu amissorum, quos amavimus, nomen occurrat: sed hic quoque morsus habet suam voluptatem. nam, ut dicere solebat Attalus noster, „sic amicorum defunctorum memoria iucunda est, quomodo poma quaedam sunt suaviter aspera, quomodo in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat: cum vero intervēnit spatium, omne, quod angebat, exstinguitur et pura ad nos voluptas venit.“
- 6 Si illi credimus, „amicos incolumes cogitare melle ac placentā frui est: eorum, qui fuerunt, retractatio non sine acerbitate quadam iuvat. quis autem negaverit haec acria quoque et habentia austeritatis aliquid stomachum
- 7 excitare?“ Ego non idem sentio: mihi amicorum defunctorum cogitatio dulcis ac blanda est. habui enim illos tanquam amissurus, amisi tanquam habeam. Fac ergo, mi Lucili, quod aequitatem tuam decet, desine beneficium fortunae male interpretari: abstulit, sed dedit.
- 8 Ideo amicis avide fruamur, quia, quamdiu contingere hoc possit, incertum est. cogitemus, quam saepe illos reliquerimus in aliquam peregrinationem longinquam exituri, quam saepe eodem morantes loco non viderimus: intellegemus plus nos temporis in vivis perdidisse.
- 9 Feras autem hos, qui neglegentissime amicos habent, miserime lugent, nec amant quemquam, nisi cum perdidierint? ideoque tunc effusius moerent, quia verentur, ne dubium sit, an amayerint: sera indicia adfectus sui
- 10 quaerunt. Si habemus alios amicos, male de his et meremur et existimamus, qui parum valent in unius elati solatium: si non habemus, maiorem iniuriam ipsi nobis fecimus quam a fortuna accepimus: illa unum abstulit,
- 11 nos, quemcumque non fecimus. Deinde ne unum quidem nimis amavit, qui plus quam unum amare non potuit. Si quis despoliatus amissa unica tunica conplorare se malit quam circumspicere, quomodo frigus effugiat et aliquid inveniat, quo tegat scapulas, nonne tibi videatur stultissimus? Quem amabas extulisti: quaere, quem
- 12 ames. satius est amicum reparare quam flere. Scio pertritum iam hoc esse, quod adiecturus sum, non ideo

tamen praetermittam, quia ab omnibus dictum est: finem dolendi etiam qui cōsilio non fecerat, tempore invēnit. turpissimum autem est in homine prudenti remedium moeroris lassitudo moerendi. malo relinquant dolorem quam ab illo relinquantis, et quam primum id facere desiste, quod, etiamsi voles, diu facere non poteris. Annum feminis ad lugendum constituere maiores, non 13 ut tam diu lugerent, sed ne diutius: viris nullum legitimum tempus est, quia nullum honestum. quam tamen mihi ex illis mulierculis dabis vix retractis a rogo, vix a cadavere revulsis, cui lacrimae in totum mensem duraverint? nulla res citius venit in odium quam dolor, qui recens consolatorem invēnit et aliquos ad se addūcit, inveteratus vero deridetur, nec inmerito. aut enim simulatus aut stultus est. Haec tibi scribo is, qui Annaeum 14 Serenum, carissimum mihi, tam immodice flevi, ut, quod minime velim, inter exempla sim eorum, quos dolor vicit. hodie autem factum meum damno et intellego maximam mihi causam sic lugendi fuisse, quod nunquam cogitaveram mori eum ante me posse. hoc unum mihi occurrebat, minorem esse et multo minorem, tamquam ordinem fata servarent. Itaque adsidue cogitemus 15 tam de nostra quam omnium, quos diligimus, mortalitate. Tunc ego dicere debui: „minor est Serenus meus: quid ad rem pertinet? post me mori debet, sed ante me potest.“ quia non feci, inparatum subito fortuna percussit. Nunc cogito omnia et mortalia esse et incertā lege mortalia. hodie fieri potest, quicquid umquam potest. Cogitemus ergo, Lucili carissime, cito nos eo perven- 16 turos, quo illum pervenisse moeremus. et fortasse, si modo vera sapientium fama est recipitque nos locus aliquis, quem putamus perisse, praemissus est. Vale.

EPISTULA II. (64.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Fuisti here nobiscum. Potes queri, si here tantum. 1
[ideo] adieci nobiscum. mecum enim semper es: intervenerant quidam amici, propter quos maior fumus fie-

ret, non hic, qui erumpere ex lautorum culinis et ter-
 2 rere vigiles solet, sed hic modicus, qui hospites venisse
 significet. Varius nobis fuit sermo, ut in convivio, nul-
 lam rem usque ad exitum adducens, sed aliunde alio
 transsiliens. lectus est deinde liber Quinti Sextii
 3 patris, magni, si quid mihi credis, viri, et, licet
 neget, Stoici. Quantus in illo, di boni, vigor est,
 quantum animi! hoc non in omnibus philosophis in-
 venies: quorundam scripta clarum habent tantum no-
 men, cetera exsanguia sunt. instituunt, disputant, ca-
 villantur, non faciunt animum, quia non habent: cum
 legeris Sextium, dices: „vivit, viget, liber est, supra
 4 hominem est, dimittit me plenum ingentis fiduciae.“ In
 qua positione mentis sim, cum hunc lego, fatebor tibi.
 libet omnes casus provocare, libet exclamare: „quid
 cessas, fortuna? congregere: paratum vides.“ Illius
 animum induo, qui quaerit, ubi se experiatur, ubi vir-
 tutem suam ostendat,

*spumantemque dari pecora inter inertia votis
 optat aprum aut fulvum descendere monte leonem.*

5 Libet aliquid habere quod vincam, cuius patientia exer-
 ceat. nam hoc quoque egregium Sextius habet, quod et
 ostendet tibi beatae vitae magnitudinem et desperationem
 eius non faciet: scies esse illam in excelso, sed volenti
 6 penetrabilem. Hoc idem virtus tibi ipsa praestabit, ut
 illam admireris et tamen speres. mihi certe multum au-
 ferre temporis solet contemplatio ipsa sapientiae: non
 aliter illam intueor obstupefactus quam ipsum interim
 mundum, quem saepe tamquam spectator novus video.
 7 Veneror itaque inventa sapientiae inventores-
 que: adire tamquam multorum hereditatem iuvat. mihi
 ista adquisita, mihi laborata sunt. sed agamus bonum
 patremfamiliae: faciamus ampliora, quae accepimus.
 maior ista hereditas a me ad posterum transeat. Multum
 adhuc restat operis multumque restabit, nec ulli nato
 post mille secula praecludetur occasio aliquid adhuc adi-
 8 ciendi. Sed etiamsi omnia a veteribus inventa sunt, hoc
 semper novum erit, usus et inventorum ab aliis scientia

ac dispositio. Puta relicta nobis medicamenta, quibus sanarentur oculi: non opus est mihi alia quaerere, sed haec tamen morbis et temporibus aptanda sunt: hoc asperitas oculorum conlevatur. hoc palpebrarum crassitudo tenuatur. hoc vis subita et humor avertitur. hoc acuetur visus. teras ista oportet et eligas tempus, adhibeas singulis modum: animi remedia inventa sunt ab antiquis. quo modo autem admoveantur aut quando, nostri operis est quaerere. Multum egerunt, qui ante 9 nos fuerunt, sed non peregerunt. suspiciendi tamen sunt et ritu deorum colendi. quidni ego magnorum virorum et imagines habeam incitamenta animi et natales celebrem? quidni ego illos honoris causa semper adpellem? quam venerationem praeceptoribus meis debeo, eandem illis praeceptoribus generis humani, a quibus tanti boni initia fluxerunt. Si consulem videro aut praetorem, 10 omnia, quibus honor haberi honori solet, faciam: equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam: quid ergo? Marcum Catonem utrumque et Laelium Sapientem et Socratem cum Platone et Zenonem Cleanthemque in animum meum sine dignatione summa recipiam? ego vero illos veneror et tantis nominibus semper adsurgo. Vale.

EPISTULA III. (65.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Hesternum diem divisi cum mala valitudine: antemeridiano illa sibi vindicavit, postmeridiano mihi cessit. itaque lectione primum temptavi animum. deinde cum hanc recepisset, plus illi imperare ausus sum, immo permittere: aliquid scripsi et quidem intentius quam soleo, dum cum materia difficili contendo et vinci nolo, donec intervenerunt amici, qui mihi vim adferrent et tamquam aegrum intemperantem coercerent. In locum 2 stili sermo successit, ex quo eam partem ad te perferam, quae in lite est. te arbitrum addiximus. plus negotii habes quam existimas: triplex causa est: dicunt, ut scis, Stoici nostri: duo esse in rerum

natura, ex quibus omnia fiant, causam et ma-
teriam. materia iacet iners, res ad omnia parata,
cessatura, si nemo moveat. causa autem, id est ratio,
materiam format et quocumque vult versat, ex illa varia
opera producit. Esse ergo debet, unde fiat aliquid,
deinde a quo fiat. hoc causa est, illud materia.

- 3 Omnis ars naturae imitatio est. itaque quod de universo
dicebam, ad haec transfer, quae ab homine facienda
sunt: statua et materiam habuit, quae pateretur artificem,
et artificem, qui materiae daret faciem. ergo in statua
materia aes fuit, causa opifex. Eadem condicio rerum
omnium est: ex eo constant, quod fit, et ex eo, quod
4 facit. Stoicis placet unam causam esse, id, quod facit.
Aristoteles putat causam tribus modis dici:
„prima, inquit, causa est ipsa materia, sine qua nihil
potest effici. secunda opifex. tertia est forma, quae
unicuique operi inponitur tamquam statuae:“ nam hanc
Aristoteles *εἶδος* vocat. „Quarta quoque, inquit, his ac
5 cedit, propositum totius operis.“ Quid sit hoc aperiam
Aes prima statuae causa est. numquam enim facta esset,
nisi fuisset id, ex quo funderetur ducereturve. Secunda
causa artifex est. non potuisset enim aes illud in habi-
tum statuae figurari, nisi accessissent peritae manus.
Tertia causa est forma. neque enim statua ista dorypho-
ros¹ aut diadumenos² vocaretur, nisi haec illi esset in-
pressa facies. Quarta causa est faciendi propositum.
6 nam nisi hoc fuisset, facta non esset. Quid est pro-
positum? quod invitavit artificem, quod ille secutus
fecit: vel pecunia est hoc, si venditurus fabricavit, vel
gloria, si laboravit in nomen, vel religio, si donum
templo paravit. ergo et haec causa est, propter quam
fit: an non putas inter causas facti operis esse numeran-
7 dum, quo remoto factum non esset? His quintam
Plato adicit exemplar, quam ipse *ιδέα* vocat:
hoc est enim, ad quod respiciens artifex id, quod de-
stinabat, effecit. nihil autem ad rem pertinet, utrum fo-
ris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus,
quod ibi ipse concepit et posuit. haec exemplaria rerum

omnium deus intra se habet numerosque universorum, quae agenda sunt, et modos mente complexus est: plenus his figuris est, quas Plato *ιδέας* adpellat, immortales, immutabiles, infatigabiles. itaque homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet et hominibus laborantibus, intereuntibus illa nihil patitur. ¶ Quinque ergo causae sunt, ut Plato dicit: 8 id ex quo, id a quo, id in quo, id ad quod, id propter quod. novissime id quod ex his est. *finally* tamquam in statua, quia de hac loqui coepimus, id ex quo aes est, id a quo artifex est, id in quo forma est, quae aptatur illi, id ad quod exemplar est, quod imitatur is, qui facit, id propter quod facientis propositum est, id quod ex istis est ipsa statua est. ¶ Haec omnia mundus quoque, ut ait Plato, habet: fa- 9 cientem: hic deus est. ex quo fit: haec materia est. formam: haec est habitus et ordo mundi, quem videmus. exemplar, scilicet ad quod deus hanc magnitudinem operis pulcherrimi fecit. propositum, propter quod fecit. Quæris, quod sit propositum deo? bonitas 10 est. ita certe Plato ait: „Quae deo faciendi mundum fuit causa? bonus est. ¶ bono nulla cuiusquam boni invidia est. ¶ fecit itaque quam optimum potuit.“

Fer ergo iudex sententiam et pronuntia, quis tibi videatur verisimillimum dicere, non quis verissimum dicat. id enim tam supra nos est quam ipsa veritas.

Haec, quae ab Aristotele et Platone poni- 11 tur, turba causarum aut nimium multa aut nimium pauca comprehendit. nam si, quocumque remoto quid effici non potest, id causam iudicant esse faciendi, pauca dixerunt: ponant inter causas tempus: nihil sine tempore potest fieri. ponant locum: si non fuerit, ubi fiat aliquid, ne fiet quidem. ¶ ponant motum: nil sine hoc nec fit nec perit. nulla sine motu ars, nulla mutatio est. ¶ Sed nos nunc primam et generalem 12 quaerimus causam. haec simplex esse debet. nam et materia simplex est. quaerimus, quae sit causa, ratio scilicet faciens, id est deus. ista enim, quaecumque

- retulistis, non sunt multae et singulae causae, sed ex
 13 una pendent, ex ea, quae faciet. Formam dicis causam
 esse? hanc inponit artifex operi: pars causae est, non
 causa. exemplar quoque non est causa, sed instrumen-
 tum causae necessarium. sic necessarium est exemplar
 14 artifici, quomodo scalprum, quomodo lima: sine his
 procedere ars non potest. non tamen hae partes artis
 aut causae sunt. „Propositum, inquit, artificis, propter
 quod ad faciendum aliquid accedit, causa est.“ Ut sit
 causa, non est efficiens causa, sed superveniens. hae
 autem innumerabiles sunt: nos de causa generali quae-
 rimus. Illud vero non pro solita ipsis subtilitate dixe-
 runt, totum mundum et consummatum opus causam esse.
 multum enim interest inter opus et causam operis. ¶
 15 Aut fer sententiam aut, quod facilius in eiusmodi re-
 bus est, nega tibi liquere et nos reverti iube. „Quid te,
 inquis, delectat tempus inter ista conterere, quae tibi
 nullum adfectum eripiunt, nullam cupiditatem abigunt?“
 Ego quidem priora illa ago ac tracto, quibus pacatur ani-
 16 mus, et me prius scrutor, deinde hunc mundum. ne
 nunc quidem tempus, ut existimas, perdo. ista enim
 omnia, si non concidantur nec in hanc sub-
 tilitatem inutilem distrahantur, adtollunt et
 levant animum, qui gravi sarcina pressus explicari
 cupit et reverti ad illa, quorum fuit. nam corpus hoc
animi pondus ac poena est: premente illo urgetur, in
 vinculis est, nisi accessit philosophia et illum respirare
 rerum naturae iussit spectaculo et a terrenis ad divina
 dimisit. haec libertas eius est, haec evagatio: subducit
 interim se custodiae, in qua tenetur et coelo reficitur.
 17 Quemadmodum artifices [ex] alicuius rei subtilioris [in-
 spectione], quae intentione oculos defatigat, si malignum
 habent et precarium lumen, in publicum prodeunt et in
 aliqua regione ad populi otium dedicata oculos libera luce
 delectant: sic animus in hoc tristi et obscuro domicilio
 18 clusus, quotiens potest, apertum petit et in rerum natu-
 rae contemplatione requiescit. Sapiens adsectatorque
 sapientiae adhaeret quidem in corpore suo, sed optima

sui parte abest et cogitationes suas ad sublimia intendit. velut sacramento rogatus hoc, quod vivit, stipendium putat. et ita formatus est, ut illi nec amor vitae nec odium sit, patiturque mortalia, quamvis sciat ampliora superesse. Interdūcis mihi inspectione rerum naturae, a 19
 tōto abductum redigis in partem? ego non quaeram, quae sint initia universorum? quis rerum formator? quis omnia in uno mersa et materiā inerti convolutā discreverit? non quaeram, quis sit istius artifex mundi? qua ratione tanta magnitudo in legem et ordinem venerit? quis sparsa collegerit, confusa distinxerit, in una deformitatē latentibus faciem dividerit? unde lux tanta fundatur? ignis sit, an aliquid igne lucidius? Ego ista non quaeram? 20
 ego nesciam, unde descenderim? semel haec mihi videnda sint, an saepe nascendum? quo hinc iturus sim? quae sedes expectet animam solutam legibus servitutis humanae? vetas me coelo interesse, id est iubes me vivere capite demisso? Maior sum et ad maiora genitus, 21
quam ut mancipium sim corporis mei, quod equidem non aliter adspicio quam vinclum aliquod libertati meae circumdatum: hoc itaque obpōno fortunae, in quo resistat, nec per illud ad me ullum transire volnus sino. Quicquid in me potest iniuriam pati, hoc est. in hoc obnoxio domicilio animus liber habitat. Numquam me caro ista 22
 compellet ad metum, numquam ad indignam bono simulationem. numquam in honorem huius corpusculi mentiar. cum visum erit, distraham cum illo societatem: et nunc tamen, dum haeremus, non erimus aequis partibus socii: animus ad se omne ius ducet. contemptus corporis sui certa libertas est. Ut ad propositum revertar, 23
 huic libertati multum conferet et illa, de qua modo loquebamur, inspectio: nempe universa ex materia et ex deo constant. deus ista temperat, quae circumfusa rectorem sequuntur et ducein. potentius autem est ac pretiosius, quod facit, quod est deus, quam materia patiens dei. Quem in hoc mundo locum deus obtinet, hunc in homine 24
animus. quod est illic materia, id in nobis corpus est: serviant ergo deteriora melioribus. fortes simus adver-

sus fortuita. non contremescamus iniurias, non volnera, non vincula, non egestatem. Mors quid est? aut finis aut transitus: nec desinere timeo. (idem est enim, quod non coepisse) nec transire, (quia nusquam tam anguste ero. Vale.

EPISTULA IV. (66.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Claranum, condiscipulum meum, vidi post multos annos: non, puto, exspectas, ut adiciam senem, sed mehercules viridem animo ac vigentem et cum corpusculo suo conluctantem. inique enim se natura gessit et talem animum male conlocavit: aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere, posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere. vincit tamen omnia impedimenta et ad cetera contemnenda a contemptu sui

2 venit. Errare mihi visus est, qui dixit

gratior et pulchro veniens e corpore virtus.

non enim ullo honestamento eget. ipsa magnum sui decus est et corpus suum consecrat: aliter certe Claranum nostrum coepi intueri: formosus mihi videtur et tam rectus corpore quam est animo.

3 Potest ex casa vir magnus exire: potest et ex deformi humilique corpusculo formosus animus ac magnus. quosdam itaque mihi videtur in hoc tales natura generare, ut adprobet virtutem omni loco nasci. si posset per se nudos edere animos, fecisset: nunc, quod amplius est, facit: quosdam enim edit corporibus inpeditos, sed nihilo minus perrumpen-

4 pentes obstantia. Claranus mihi videtur [in] exemplar editus, ut scire possemus non deformitate corporis foedari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari. Quamvis autem paucissimos una fecerimus dies, tamen multi nobis sermones fuerunt, quos subinde egeram et

5 ad te permittam. Hoc primo die quaesitum est: quomodo possint paria bona esse, si triplex eorum condicio est: quaedam, ut nostris videtur, prima bona sunt, tamquam gaudium, pax, salus patriae. quaedam secunda, in materia infelici expressa, tamquam

tormentorum patientia et in morbo gravi temperantia: illa bona directo optabimus nobis, haec, si necesse erit. sunt adhuc tertia, tamquam modestus incessus et compositus ac probus vultus et conveniens prudenti viro gestus. Quomodo ista inter se paria esse possunt, cum alia optanda sint, alia aversanda? Si volumus ista distinguere, ad primum bonum revertamur et consideremus id quale sit: animus intuens vera, peritus fugientorum ac petendorum, non ex opinione, sed ex natura pretia rebus inponens, toti se inserens mundo et in omnes eius actus contemplationem suam mittens, cogitationibus actionibusque intentus, ex aequo magnus ac vehementis, asperis blandisque pariter invictus, neutri se fortunae submittens, supra omnia quae contingunt acciduntque eminens, pulcherrimus, ordinatissimus cum decore tum viribus, sanus ac sincerus, inperturbatus, intrepidus, quem nulla vis frangat, quem nec adtollant fortuita nec deprimant: talis animus virtus est. haec eius est facies, si sub unum veniat adspectum et semel tota se ostendat: ceterum multae eius species sunt, quae pro vitae varietate et pro actionibus explicantur: nec minor fit aut major ipsa. decrescere enim summum bonum non potest nec virtuti ire retro licet: sed in alias atque alias qualitates convertitur ad rerum, quas actura est, habitum figurata. Quicquid adtingit, in similitudinem sui adducit et tingit: actiones, amicitias, interdum domos totas, quas intravit disposuitque, condēcorat. quicquid tractavit, id amabile, conspicuum, mirabile facit. itaque vis eius et magnitudo ultra non potest surgere, quando incrementum maximo non est: nihil invenies rectius recto, non magis quam verius vero, quam temperato temperatius. Omnis in modo est virtus. modus certa mensura est: constantia non habet, quo procedat, non magis quam fiducia aut veritas aut fides. Quid accedere perfecto potest? nihil, aut perfectum non erat, cui accessit: ergo ne virtuti quidem, cui si quid adici potest, deficit. Honestum quoque nullam accessionem recipit. honestum est enim propter ista, quae retuli. quid porro? decōrum

et iustum et legitimum non eiusdem esse formae putas, certis terminis comprehensum? Crescere posse imperfectae rei signum est. ¶ Bonum omne in easdem cadit leges: iuncta est privata et publica utilitas, tam mehercules quam inseparabile est laudandum petendumque. ergo virtutes inter se pares sunt et opera virtutis et omnes homines, quibus illae contigere. Satōrum vero animaliumque virtutes cum mortales sint, fragiles quoque caducaeque sunt et incertae. exsiliunt residuntque et ideo non eodem pretio aestimantur: una inducitur humanis virtutibus regula. una enim est ratio recta simplexque. nihil est divino divinius, coelesti coelestius. Mortalia minuuntur, cadunt, deteruntur, crescunt, exhauriuntur, implentur. itaque illis in tam incerta sorte inaequalitas est: divinorum una natura est. ratio autem nihil aliud est quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa. Si ratio divina est, nullum autem bonum sine ratione est: bonum omne divinum est. nullum porro inter divina discrimen est: ergo nec inter bona. paria itaque sunt et gaudium et [fortis atque] obstinata tormentorum perpessio. in utroque enim eadem est animi magnitudo, in altero remissa et laeta, in altero pugnax et intenta. Quid? tu non putas parem esse virtutem eius, qui fortiter hostium moenia expugnat, et eius, qui obsidionem patientissime sustinet? [et] magnus Scipio, qui Numantiam cludit et comprimit cogitque invictas manus in exitium ipsas suum verti: [et] magnus ille obsessorum animus, qui scit non esse clusum, cui mors aperta est, et in complexu liberalis exspirat. Aequae reliqua quoque inter se paria sunt, tranquillitas, simplicitas, liberalitas, constantia, aequanimitas, tolerantia. omnibus enim istis una virtus subest. quae animum rectum et indeclinabilem praestat. „Quid ergo? nihil interest inter gaudium et dolorum inflexibilem patientiam?“ nihil, quantum ad ipsas virtutes: plurimum inter illa, in quibus virtus utraque ostenditur. in altero enim naturalis est animi remissio ac laxitas, in altero contra naturam dolor. itaque media sunt haec, quae plurimum intervalli recipiunt: virtus in utroque par est.

Virtutem materia non mutat: nec peiorem facit dura ac 15
difficilis, nec meliorem hilāris et laeta: necesse est ergo
par sit. in utrāque enim quod fit, aequē recte fit, aequē
prudenter, aequē honeste: ergo aequalia sunt bona, *ultra*
quae nec hic potest se melius in hoc gaudio gerere nec
ille melius in illis cruciatibus: duo autem, quibus nihil
feri melius potest, paria sunt. Nam si, quae extra vir- 16
tutem posita sunt, aut minuere illam aut augere possunt,
desinit unum bonum esse, quod honestum. si hoc con-
cesseris, omne honestum perit. quare? dicam: quia ni-
hil honestum est, quod ab invito, quod coactum fit.
Omne honestum voluntarium est: admiscē illi pigritiam,
querelam, tergiversationem, metum: quod habet in se
optimum, perdidit, sibi placere. Non potest honestum
esse, quod non est liberum. nam quod timet, servit.
Honestum omne securum est: tranquillum est: si recusat 17
aliquid, si conplorat, si malum iudicat, perturbationem
recepit et in magna discordia volutatur. hinc enim spe-
cies recti vocat, illinc suspicio mali retrahit. itaque qui
honeste aliquid facturus est, quicquid obponitur, id,
etiamsi incommodum putat, malum non putet, velit, li-
bens faciat. omne honestum iniussum incoactumque est,
sincerum et nulli malo mixtum. Scio, quid mihi respon- 18
deri hoc loco possit: „hoc nobis persuadere conaris, nihil
interesse, utrum aliquis in gaudio sit an in eculeo iaceat
ac tortorem suum lasset.“ Poteram respondere: Epicu-
rus quoque ait sapientem, si in Phalaridis tauro perura-
tur, exclamaturum: „dulce est et ad me nil pertinet:“
quid miraris, si ego paria bona dico unius in convivio
iacentis, alterius inter tormenta fortissime stantis? cum
quod incredibilius est, dicat Epicurus, dulce esse tor-
rerē. Et hoc respondeo, plurimum interesse inter gau- 19
dium et dolorem, si quaeratur electio: alterum petam,
alterum vitabo: illud secundum naturam est, hoc contra.
Quamdiu sic aestimantur, magno inter se dissident spa-
tio: cum ad virtutem ventum est, utraque par est et quae
per laeta procedit et quae per tristia. Nullum habet mo- 20
mentum vexatio et dolor et quicquid aliud incommodi

est. virtute enim obruitur. Quemadmodum minuta lumina claritas solis obscurat, sic dolores, molestias, iniurias virtus magnitudine sua elidit atque obprimit et quocumque adfulsit, ibi quicquid sine illa adparet, extinguitur: nec magis ullam portionem habent incommoda, cum in virtutem inciderunt, quam in mari nimbus. Hoc ut scias ita esse, ad omne pulchrum vir bonus sine ulla cunctatione procurret: stet illic licet carnifex, stet tortor atque ignis, perseverabit nec quid passurus, sed quid facturus sit, adspiciet et se honestae rei tamquam bono viro credet: utilem illam sibi iudicabit, tutam, prosperam. Eundem locum habebit apud illum honesta res, sed tristis atque aspera, quem vir bonus pauper aut exul ac pallidus. Agedum pone ex alia parte virum bonum divitiis abundantem, ex altera nihil habentem, sed in se omnia: uterque aequae vir bonus erit, etiamsi fortunâ dispari utetur. idem, ut dixi, in rebus iudicium est, quod in hominibus: aequae laudabilis virtus est in corpore valido ac libero posita quam in morbido ac victo. Ergo tuam quoque virtutem non magis laudabis, si corpus illibatam [integrum] fortuna praestiterit quam si ex aliqua parte mulcatum: alioquin hoc erit ex servorum habitu dominum aestimare. omnia enim ista, in quae dominium casus exercet, serva sunt, pecunia et corpus et honores, inbecilla, fluida, mortalia, possessionis incertae: illa rursus libera et invicta opera virtutis, quae non ideo magis adpetenda sunt, si benignius a fortuna tractantur, nec minus, si aliqua iniquitate rerum premuntur. Quod amicitia in hominibus est, hoc in rebus adpetitio. non, puto, magis amares virum bonum locupletem quam pauperem, nec robustum et lacertosum quam gracilem et languidi corporis: ergo ne rem quidem magis adpetes aut amabis hilarem ac pacatam quam distractam et operosam. aut si hoc est, magis diliges ex duobus aequae bonis viris nitidum et unctum quam pulverulentum et horrentem. deinde huc usque pervenies, ut magis diligas integrum omnibus membris et inlaesum quam debilem aut luscum. paulatim fastidium tuum illo usque pro-

cedet, ut ex duobus aequè iustis ac prudentibus comatum et crispulum/malis [quam recalvastrum].² Ubi par in utroque virtus est, non comparet aliarum rerum inaequalitas. omnia enim alia non partes, sed accessiones sunt. Num quis tam iniquam censuram inter suos agit, ut sa²⁶ num filium quam aegrum magis diligat? procerumve et excelsum quam brevem aut modicum? fetus suos non distinguunt ferae et se in alimentum pariter omnium sternunt. aves ex aequo partiuntur cibos. Ulixes ad Ithacae suae saxa sic properat, quemadmodum Agamemnon ad Mycenarum nobiles muros. nemo enim patriam quia magna est amat, sed quia sua. Quorsus haec pertinent?²⁷ ut scias virtutem omnia opera velut fetus suos iisdem oculis intueri, aequè indulgere omnibus et quidem impensius laborantibus, quoniam quidem etiam parentum amor magis in ea, quorum miseretur, inclinatur. Virtus quoque opera sua, quae videt adfici et premi, non magis amat, sed (parentum bonorum more) magis complectitur ac fovet. Quare non est ullum bonum altero maius?²⁸ quia non est quicquam apto aptius, quia plano nihil est planius. non potes dicere hoc magis par esse alicui quam illud: ergo nec honesto honestius quicquam est. Quod si par omnium virtutum natura est, tria²⁹ genera bonorum in aequo sunt. Ita dico: in aequo est moderate gaudere et moderate dolere. laetitia illa non vincit hanc animi firmitatem sub tortore gemitus devorantem: illa bona optabilia, haec mirabilia sunt, utraque nihilominus paria, quia quicquid incommodi est, vi tanto maioris boni tegitur. Quis-³⁰ quis haec inparia iudicat, ab ipsis virtutibus avertit oculos et exteriora circumspicit: bona vera idem pendunt, idem patent. illa falsa multum habent vani. itaque speciosa et magna contra visentibus, cum ad pondus revocata sunt, fallunt. Ita est, mi Lucili, quicquid³¹ vera ratio commendat, solidum et aeternum est, firmat animum adtollitque semper futurum in excelso: illa quae temere laudantur et vulgi sententiâ bonâ sunt, inflant inanibus laetos: rursus ea, quae timentur tamquam mala,

iniciunt formidinem mentibus et illas non aliter quam
 32 animalia species periculi agitant. Utraque res ergo sine
 causa animum et diffundit et mordet. nec illa gaudio
 nec haec metu digna est: sola ratio inmutabilis et iudicii
 tenax est. non enim servit, sed imperat sensibus. Ratio
 rationi par est, sicut rectum recto: ergo et virtus [*virtuti.*
virtus] non aliud quam recta ratio est. omnes virtutes
 rationes sunt: rationes sunt rectae: si rectae sunt, et
 33 pares sunt. Qualis ratio est, tales et actiones sunt: ergo
 omnes pares sunt: nam cum similes rationi sint, similes
 et inter se sunt. pares autem actiones inter se esse dico,
 quia honestae rectae sunt: ceterum magna habebunt dis-
 crimina variante materia, quae modo latior est, modo
 angusta, modo inlustris, modo ignobilis, modo ad mul-
 tos pertinens, modo ad paucos. in omnibus tamen istis
 34 id, quod optimum est, par est: honestae sunt. tamquam
 viri boni omnes pares sunt, quâ boni sunt. sed habent
 differentias aetatis: alius senior est, alius iuvenior. ha-
 bent corporis: alius formosus, alius deformis est. ha-
 bent fortunae: ille dives, hic pauper est, ille graciosus,
 potens, urbibus notus et populis, ignotus hic plerisque
 et obscurus. sed per illud, quo boni sunt, pares sunt.
 35 De bonis ac malis sensus non iudicat: quid utile sit,
 quid inutile, ignorat. non potest ferre sententiam, nisi
 in rem praesentem perductus est. nec futuri providus
 est nec praeteriti memor: quid sit consequens, nescit.
 ex hoc autem rerum ordo seriesque contexitur et unitas
 vitae per rectum itura: ratio ergo arbitra est bonorum
 ac malorum: aliena et externa pro vilibus habet et ea,
 quae neque bona sunt neque mala, accessiones minimas
 ac levissimas iudicat. omne enim illi bonum in animo
 36 est: ceterum bona-quaedam prima existimat, ad quae
 ex proposito venit, tamquam victoriam, bonos liberos,
 salutem patriae. / quaedam secunda, quae non adparent
 nisi in rebus adversis, tamquam aequo animo pati mor-
 bum magnum, exilium. quaedam média, quae nihilo
 magis secundum naturam sunt quam contra naturam,
 tamquam prudenter ambulare, composite sedere. non

enim minus secundum naturam est sedere quam aut stare aut ambulare. Duo illa bona superiora sunt diversa.³⁷ prima enim secundum naturam sunt: gaudere liberorum pietate, patriae incolumitate. secunda contra naturam sunt: fortiter obstare tormentis et sitim perpeti morbo urente praecordia. „Quid ergo? aliquid contra naturam³⁸ bonum est?“ minime: sed id aliquando contra naturam est, in quo bonum illud existit. vulnerari enim et subiecto igne tabescere¹ et adversa valitudine adfligi contra naturam est: sed inter ista servare animum infatigabilem secundum naturam est. et ut, quod volo, exprimam³⁹ breviter, materia boni aliquando contra naturam est, [et] bonum numquam, quoniam bonum sine ratione nullum est: sequitur autem ratio naturam. „quid est ergo ratio?“ naturae imitatio. ^N„quod est summum hominis bonum?“ ex naturae voluntate se gerere.^N „Non est, inquit, dubium,⁴⁰ quin felicior pax sit numquam lacessita quam multo reparata sanguine. non est dubium, inquit, quin felicior res sit inconcussa valitudo quam ex gravibus morbis et extrema minitantibus in tutum vi quadam et patientia educta. eodem modo non erit dubium, quin maius bonum sit gaudium quam obnixus animus ad perpetiendos cruciatus vulnerum aut ignium.“ Minime. illa enim, quae⁴¹ fortuita sunt, plurimum discriminis recipiunt. aestimantur enim utilitate sumentium: bonorum unum propositum est consentire naturae. hoc consentire omnibus par est. Cum alicuius in senatu sententiam sequimur, non potest dici: ille magis adsentitur quam ille: ab omnibus in eandem sententiam itur. Idem de virtutibus dico: omnes naturae adsentiuntur. idem de bonis dico: omnia naturae adsentiuntur. Alter adulescens decessit, alter se-⁴² nex, aliquis praeter hos infans, cui nihil amplius contigit quam prospicere vitam: omnes hi aequae fuere mortales, etiamsi mors aliorum longius vitam passa est procedere, aliorum in medio flore praecidit, aliorum interrumpit ipsa principia. Alius inter coenandum solutus est.⁴³ alterius continuata mors somno est. aliquem concubitus exstinxit. his obpone ferro transfossos aut exanimatos

serpentium morsu aut fractos ruina aut per longam nervorum contractionem extortos minutatim: aliquorum melior dici, aliquorum peior potest exitus: mors quidem omnium par est. per quae venit, diversa sunt: [id] in quod desinunt, unum est. Mors nulla maior aut minor est: habet enim eundem in omnibus modum, finisse
44 vitam. Idem tibi de bonis dico: hoc bonum inter meras voluptates, hoc est inter tristia et acerba. illud fortunae indulgentiam rexit, hoc violentiam domuit: utrumque aequè bonum est, quamvis illud plana emolliverit, hoc aspera. Idem finis omnium est: bona sunt, laudanda sunt, virtutem rationemque comitantur: virtus aequat inter se, quicquid
45 agnoscit. Nec est, quare hoc inter nostra placita mireris: apud Epicurum duo bona sunt, ex quibus summum illud beatumque componitur, „ut corpus sine dolore sit, animus sine perturbatione.“ haec bona non crescunt, si plena sunt: quò enim crescet, quod plenum est? dolore corpus caret: quid ad hanc accedere indolentiam potest? animus constat sibi et placidus est: quid accedere ad hanc tranquillitatem potest? Quemadmodum
46 serenitas coeli non recipit maiorem adhuc claritatem in sincerissimum nitorem repurgata: sic hominis corpus animumque curantis et bonum suum ex utroque nectentis perfectus est status et summam voti sui invenit, si nec aestus animo est nec dolor corpori. si qua extra blandimenta contingunt, non augent summum bonum, sed, ut ita dicam, condiunt et oblectant. absolutum enim illud humanae naturae bonum corporis et animi pace
47 contentum est. Dabo apud Epicurum tibi etiamnunc simillimam huic nostrae divisionem bonorum: alia enim sunt apud illum, quae malit contingere sibi, ut corporis quietem ab omni incommodo liberam et animi remissionem bonorum suorum contemplatione gaudentis: alia sunt, quae quamvis nolit accidere, nihilominus laudat et conprobat, tamquam illam, quam paulo ante dicebam, malae valitudinis et dolorum gravissimorum perpessionem, in qua Epicurus fuit illo summo ac fortunatissimo die suo. ait enim „se vesicae et exulcerati ventris tor-

menta tolerare ulteriorem doloris accessionem non re-
 cipientia: esse nihilominus sibi illum beatum diem.“ bea-
 tum autem agere, nisi qui est in summo bono, non pot-
 est. Ergo et apud Epicurum sunt haec bona, quae mal- 48
 les non experiri, sed quia ita res tulit, et amplexanda et
 laudanda et exaequanda summis sunt. Non potest dici,
 hoc non esse par maximis bonum, quod beatæ vitæ
 clausulam inposuit, cui Epicurus extrema voce gratias
 egit. Permite mihi, Lucili virorum optime, aliquid au- 49
 dacius dicere: si ulla bona maiora esse aliis possent,
 haec ego, quae tristitia videntur, mollibus illis et delicatis
 praetulissem. haec maiora dixissem. maius est enim
 difficilia perfringere quam laeta moderari. Eadem ra- 50
 tione fit, scio, ut aliquis felicitem bene et ut calamita-
tem fortiter ferat. aequè esse fortis potest, qui pro vallo
 securus excubuit nullis hostibus castra temptantibus et
 qui succisis poplitibus¹ in genua se excepit nec arma di-
 misit: macte virtute esto sanguinolentis [et] ex acie
 redeuntibus dicitur. itaque haec magis laudaverim bona
 exercita et fortia et cum fortuna rixata. Ego dubitem, 51
 quin magis laudem truncam illam et retorridam manum
 Mucii quam cuiuslibet fortissimi salvam? Stetit hostium
 flammaramque contemptor et manum suam in hostili fo-
 culo distillantem perspectavit, donec Porsenna, cuius
 poenae favebat, gloriae invidit et ignem invito eripi ius-
 sit. Hoc bonum quidni inter prima numerem tantoque 52
 maius putem quam illa secunda et intemptata fortunæ,
 quanto rarius est hostem amissa manu vicisse quam ar-
 mata? „Quid ergo? inquis, hoc bonum tibi optabis?“
 quidni? hoc enim nisi qui potest et optare, non potest
 facere: an potius optem, ut malaxandos¹ articulos exo- 53
 letis³ meis porrigam? ut muliercula aut aliquis in mulier-
 culam ex viro versus digitulos meos ducat? quidni ego
 feliciorem putem Mucium, quod sic tractavit ignem, quasi
 illam manum tractatori² praestitisset? in integrum resti-
 tuit quicquid erraverat: confecit bellum inermis ac man-
 cus et illa manu trunca reges duos vicit. Vale.

³ *desultoria*

EPISTULA V. (67.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Ut a communibus initium faciam, ver aperire se coepit, sed iam inclinatum in aestatem, quo tempore calere debebat, intepuit nec adhuc illi fides est. saepe enim in hiemem revolvitur: vis scire, quam dubium adhuc sit? nondum me committo frigidae verae: adhuc rigorem eius infringo. „Hoc est, inquis, nec calidum nec frigidum pati.“ Ita est, mi Lucili: iam aetas mea contenta est suo frigore. vix mediā regelatur aestate. itaque maior pars
- 2 in vestimentis degitur. Ago gratias senectuti, quod me lectulo adfixit. quidni gratias illi hoc nomine agam? quicquid debebam nolle, non possum: cum libellis mihi plurimus sermo est. si quando intervenerunt epistulae tuae, tecum esse mihi videor et sic adficio animo, tamquam tibi non rescribam, sed respondeam. itaque et de hoc, quod quaeris, [quasi conloquar tecum,] quale sit,
- 3 una scrutabimur. Quaeris, an omne bonum optabile sit: „si bonum est, inquis, fortiter torqueri et magno animo uri et patienter aegrotare, sequitur, ut ista optabilia sint. nihil autem video ex istis voto dignum. neminem certe adhuc scio eo nomine votum solvisse, quod flagellis caesus esset aut podagrā distortus aut
- 4 eculeo longior factus.“ Distingue, mi Lucili, ista, et intelleges esse in iis aliquid optandum. tormenta abesse a me velim; sed si sustinenda fuerint, ut me in illis fortiter, honeste, animose geram, optabo. quidni ego malim non incidere bellum? sed si inciderit, ut vulnera, ut famem et omnia, quae bellorum necessitas adfert, genere feram, optabo. non sum tam demens, ut aegrotare cupiam: sed si aegrotandum fuerit, ut nihil intemperanter, nihil effeminate fiat optabo. Ita non incommoda optabilia sunt, sed virtus, qua perferuntur incommoda.
- 5 Quidam ex nostris existimant omnium istorum fortem tolerantiam non esse optabilem, sed ne abominandam quidem, quia voto purum bonum peti debet et tranquillum et extra molestiam positum: ego dissentio. quare? pri-

mum quia fieri non potest, ut aliqua res bona quidem sit, sed optabilis non sit. Deinde si virtus optabilis est, nullum autem sine virtute bonum est, omne bonum optabile. Deinde etiamsi *** tormentorum fortis patientia optabilis est. Etiam nunc interrogo: nempe fortitudo optabilis est: 6 atqui pericula contemnit et provocat. pulcherrima pars eius maximeque mirabilis illa est, non cedere ignibus, obviam ire vulneribus, interdum tela ne vitare quidem, sed pectore excipere: si fortitudo optabilis est, et tormenta patienter ferre optabile est. hoc enim fortitudinis pars est. Sed separa ista, ut dixi: nihil erit quod tibi faciat errorem. non enim pati tormenta optabile est, sed pati fortiter. illud opto fortiter, quod est virtus. „Quis 7 tamen umquam hoc sibi optat?“ Quaedam vota aperta et professa sunt, cum particulatim fiunt: quaedam latent, cum uno voto multa comprehensa sunt. tamquam opto mihi vitam honestam. vita autem honesta actionibus variis constat: in hac est Reguli arca, Catonis scissum manu sua vulnus, Rutilii exilium, *calix* venenatus, qui Socratem transtulit e carcere in coelum. Ita, cum optavi mihi vitam honestam, et haec optavi, sine quibus interdum honesta non potest esse. 8

*O terque quaterque beati,
quis ante ora patrum Troiae sub moenibus altis
contigit oppetere!*

Quid interest, optes hoc alicui an optabile fuisse fatearis? Decius se pro republica devovit: [et] in medios 9 hostes concitato equo mortem petens inruit. Alter post hunc, paternae virtutis aemulus, conceptis sollemnibus ac iam familiaribus verbis in aciem confertissimam incurrit, de hoc sollicitus tantum, ut litaret, optabilem rem putans bonam mortem. Dubitas ergo, an optimum sit memorabilem mori et in aliquo opere virtutis? Cum 10 aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur fortasse: una in promptu sit et maxime adpareat patientia. ceterum illic est fortitudo, cuius patientia et perpessio et tolerantia rami sunt. illic est prudencia, sine qua nullum initur consilium, quae suadet, quod

- effugere non possis, quam fortissime ferre. illic est constantia, quae deici loco non potest et propositum nulla vi extorquente dimittit. illic est individuus ille comitatus virtutum: quicquid honeste fit, una virtus facit, sed ex consilii sententiâ. quod autem ab omnibus virtutibus conprobatur, etiamsi ab una fieri videtur, optabile est.
- 11 Quid? tu existimas ea tantum optabilia esse, quae per voluptatem et otium veniunt? quae excipiuntur foribus ornatis? sunt quaedam tristes volutates bona. sunt quaedam vota, quae non gratulantium coetu, sed adorantium
- 12 venerantiumque celebrantur. Ita tu non putas Regulum optasse, ut ad Poenos perveniret? Indue magni viri animum et ab opinionibus vulgi secede paulisper. cape, quantam debes, virtutis pulcherrimae ac magnificentissimae speciem, quae nobis non thure nec sertis, sed sudore et sanguine colenda est. Adspice M. Catonem
- 13 sacro illi pectori purissimas manus admoventem et volnera, parum autem demissa laxantem. utrum tandem illi dicturus es: „vellem quae velles.“ et „moleste
- 14 fero.“ an: „feliciter quod agis?“ Hoc loco mihi Demetrius noster occurrit, qui vitam securam et sine ullis fortunae occursionibus „mare mortuum“ vocat. Nihil habere, ad quod exciteris, ad quod te concites, cuius denuntiatione et incursu firmitatem animi tui temptes, sed in otio inconcusso iacere non est tranquillitas: malacia est. Attalus Stoicus dicere solebat: „malo me fortuna in castris suis quam in deliciis habeat. torqueor, sed fortiter: bene est. occidior, sed fortiter: bene est.“ audi Epicurum, dicit: „et dulce est.“ ego tam honestae
- 15 rei ac severae numquam molle nomen inponam. Uror, sed invictus. quidni [hoc] optabile sit? [optabile] autem non quod urit me ignis, sed quod non vincit. nihil [est] virtute praestantius, nihil pulchrius. et bonum est et optabile, quicquid ex huius geritur imperio. Vale.

EPISTULA VI. (68.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Consilio tuo accedo: absconde te in otio. sed

et ipsum otium absconde. hoc te facturum Stoicorum etiamsi non praecepto, at exemplo licet scias: sed ex praecepto quoque facias: et tibi* et cum voles, adprobabis. Nec ad ónnem rempublicam mittimus nec sémper 2 nec sine ullo fine: praeterea, cum sapienti rempublicam ipso dignam dedimus, id est mundum, non est extra rempublicam, etiamsi recesserit: immo fortasse relicto uno angulo in maiora atque ampliora transit et coelo inpositus intellegit, cum sellam aut tribunal adscenderet, quam humili loco sederit. Depone hoc apud te, numquam plus agere sapientem, quam cum in conspectum eius divina atque humana venerunt. / Nunc ad illud revertor, quod 3 suadere tibi coeperam, ut otium tuum ignotum sit. Non est, quod inscribas tibi philosophiam. atque etiam aliud proposito tuo nomen impone: valitudinem et inbecillitatem [*si vis*] voca et desidiam. gloriari otio iners ambitio est. Animalia quaedam ne inveniri possint, vestigia sua circa ipsum cubile confundunt: idem tibi faciendum est: alioquin non deerunt, qui semper sequantur. multi aperta transeunt, condita et abstrusa rimantur: furem signata sollicitant. vile videtur, quicquid patet: aperta effractarius praeterit. hos mores habet populus, hos inperitissimus quisque: in secreta inrumpere cupit. Optimum itaque est non iactare otium suum: iactandi autem genus est nimis latere et a conspectu hominum secedere: ille Tarentum se abdidit. ille Neapoli inclusus est. ille multis annis non transiit domus suae limen. convocat turbam, quisquis otio suo aliquam fabulam inposuit. Cum secesseris, non est hoc 6 agendum, ut de te homines loquantur, sed ut ipse loquaris tecum. quid autem [tecum] loquaris? quod homines de aliis libentissime faciunt: de te apud te male existima: adsuesces et dicere verum et audire. id autem maxime tracta, quod in te esse infirmissimum senties. Nota habet quisque [sui] corporis vitia. itaque alius vomitu levat stomachum, alius [a]frequenti cibo fulcit, alius interposito ieiunio corpus exhaurit et purgat. ii, quorum pedes dolor repetit, aut

vino aut balneo abstinent. in cetera negligentes huic, a quo saepe infestantur, occurrunt: sic in animo nostro sunt quaedam quasi causariae partes, quibus adhibenda
 8 curatio est. Quid in otio facio? ulcus meum curo. Si ostenderem tibi pedem turgidum, lividam manum aut contracti cruris aridos nervos, permitteres mihi uno loco iacere et fovere morbum meum: maius malum est hoc, quod non possum tibi ostendere: in pectore ipso collectio et vomica est. Nolo laudes, nolo dicas: „o magnum virum! contempsit omnia et damnatis humanae vitae furoribus fugit.“ nihil damnavi nisi me. Non est, quod
 9 proficiendi causa venire ad me velis. erras, qui hinc aliquid auxilii speras: non medicus, sed aeger hic habitat. malo [illa], cum discesseris, dicas: „ego istum beatum hominem putabam et eruditum. erexeram aures: destitutus sum. nihil vidi, nihil audivi, quod concupiscerem, ad quod reverterer.“ Si hoc sentis, si hoc loqueris, aliquid profectum est. Malo ignoscas otio meo
 10 quam inideas. „Otium, inquis, Seneca, commendas mihi? ad Epicurēas voces delaberis.“ Otium tibi commendo, in quo maiora agas et pulchriora quam quae reliquisti: pulsare superbas potentiorum fores, digerere in literam senes orbos, plurimum in foro posse invidiosa potentia ac brevis est, et, si verum aestimes, sordida.
 11 ille me gratia forensi longe antecedit, ille stipendiis militaribus et quaesita per hoc dignitate: ille clientum turba: est tanti ab omnibus vinci, dum a me fortuna vincatur, cui in turba par esse non possum! plus habet
 12 gratiae. Utinam quidem hoc propositum sequi olim fuisset animus tibi! utinam de vita beata non in conspectu mortis ageremus! sed nunc quoque non moremur. multa enim, quae supervacua esse et inimica credituri fuimus
 13 rationi, nunc experientiae credimus. Quod facere solent, qui serius exierunt et volunt tempus celeritate reparare, calcar addamus! haec aetas optime facit ad haec studia: iam despumavit. iam vitia primo fervore adulescentiae indomita lassavit: non multum superest ut ex-
 14 stinguat. „Et quando, inquis, tibi proderit istud, quod

in exitu discis, aut in quam rem? in hanc, ut exeam melior. Non est tamen, quod existimes ullam aetatem aptiorem esse ad bonam mentem quam quae se multis experimentis, longa ac frequenti rerum poenitentia edomuit, quae ad salutaria mitigatis adfectibus venit. hoc est huius boni tempus: quisquis senex ad sapientiam pervenit, annis pervenit. Vale.

EPISTULA VII. (69.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Mutare te loca et aliunde alio transsilire nolo: primum, quia tam frequens migratio instabilis animi est. coalescere otio non potest, nisi desiit circumspicere et errare. ut animum possis continere, primum corporis tui fugam siste. Deinde plurimum remedia continuata proficiunt. interrumpenda non est quies et vitae prioris oblivio. sine dediscere oculos tuos. sine aures adsuescere sanioribus verbis. quotiens processeris, in ipso transitu aliqua, quae renovent cupiditates tuas, tibi occurrent. Quemadmodum ei, qui amorem exuere conatur, evitanda est omnis admonitio dilecti corporis. nihil enim facilius quam amor recrudescit: ita qui deponere vult desideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, et oculos et aures ab iis, quae reliquit, avertat. Cito rebellat adfectus. quocumque se verterit, pretium aliquod praesens occupationis suae adspiciet. nullum sine auctoramento malum est: avaritia pecuniam promittit, luxuria multas ac varias voluptates, ambitio purpuram et plausum et ex hoc potentiam et quicquid potentia potest. Mercede te vitia sollicitant: hic tibi gratis vivendum est. vix effici toto seculo potest, ut vitia tam longa licentiâ tumida subigantur et iugum accipiant, nedum, si tam breve [tempus] intervallum discidimus. Unamquamlibet rem vix ad perfectum perdūcit adsidua vigilia et intentio. Si me quidem velis audire, hoc meditare, [exercere te], ut mortem et excipias et, si ita res suadebit, accersas. interest nihil, illa ad nos veniat an ad illam nos. Illud inperitissimi cuiusque verbum falsum esse tibi ipse persuade: „bella

res est mori sua morte“: nemo moritur nisi sua morte. Illud praeterea tecum licet cogites: nemo nisi suo die moritur. nihil perdis ex tuo tempore. nam quod relinquit, alienum est. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER VIII.

EPISTULA I. (70.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Post longum intervallum Pompeios tuos vidi. in conspectum adulescentiae meae reductus sum. quicquid illic juvenis feceram, videbar mihi facere adhuc posse et
- 2 paulo ante fecisse. Praenavigavimus, Lucili, vitam et quemadmodum in mari, ut ait Vergilius noster,
- terraeque urbesque recedunt,*
- sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus, deinde adulescentiam, deinde quicquid est illud inter iuvenem et senem medium, in utriusque confinio positum, deinde ipsius senectutis optimos annos. novissime incipit ostendi publicus finis generis humani.
- 3 Scopulum esse illum putamus dementissimi: portus est, aliquando petendus, numquam recusandus, in quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet quam qui cito navigavit. alium enim, ut scis, venti segnes ludunt ac detinent et tranquillitatis lentissimae taedio lassant, alium pertinax flatus celerrime perfert.
- 4 Idem evenire nobis puta: alios vita velocissime adduxit, quo veniendum erat etiam cunctantibus, alios

^{4re. vita}
 maceravit et coxit. quae^x, ut scis, non semper retinenda est. non enim vivere bonum est, sed bene vivere. itaque sapiens vivit, quantum debet, non quantum potest. Videbit ubi victurus sit, cum 5 quibus, quomodo, quid acturus. cogitat semper, qualis vita, non quanta sit. sed simul atque occurrunt molesta et tranquillitatem turbantia, emittit se. nec hoc tantum in necessitate última facit, sed cum primum illi coepit suspécta esse fortuna, diligenter circumspicit, numquid illo *die* desinendum sit. Nihil existimat sua referre, fáciat finem an accipiat, tardius fiat an citius. non tamquam de magno detrimento timet: neino multum ex stillicidio potest perdere. Cítius mori aut tárdius 6 ad rem non pertinet: béne mori aut mále ad rem pertinet. bene autem mori est effugere male vivendi periculum. itaque effeminatissimam vocem illius Rhodii existimo, qui cum in caveam coniectus esset a tyranno et tamquam ferum aliquod animal aleretur, suadenti cuidam, ut abstineret cibo: *omnia, inquit, homini, dum vivit, speranda sunt.* Ut sit hoc verum, non omni 7 pretio vita emenda est. quaedam licet magna, licet certa sint, tamen ad illa turpi infirmitatis confessione non veniam: ego cogitem in eo, qui vivit, omnia posse fortunam, potius quam cogitem in eo, qui scit mori, nihil posse fortunam? Aliquando tamen, etiamsi certa 8 mors instabit et destinatum sibi supplicium sciet, non commodabit poenae suae manum: sibi commodaret. stultitia est timore mortis mori. venit qui occídat. exspecta. quid occupas? quare suscipis alienae crudelitatis procurationem? utrum invides carnifici tuo an parcis? Socrates potuit abstinentia finire vitam et 9 inediâ potius quam veneno mori. triginta tamen dies in carcere et in expectatione mortis exegit, non hoc animo tamquam omnia fieri possent, tamquam multas spes tam longum tempus reciperet, sed ut praeberet se legibus, ut fruendum amicis extremum Socratem daret. quid erat stultius quam mortem contemnere, venenum timere? Scribonia, gravis femina, amita Drusi Libonis fuit, adu- 10

- lescentis tam stolidi quam nobilis, maiora sperantis quam illo seculo quisquam sperare poterat aut ipse ullo. cum aeger a senatu in lectica relatus esset non sane frequentibus exsequiis, omnes enim necessarii deseruerant in pie iam non reum, sed funus: habere coepit consilium, utrum conscisceret mortem an exspectaret. cui Scribonia: „quid te, inquit, delectat alienum negotium agere?“ non persuasit illi: manus sibi adtulit nec sine causa. nam post diem tertium aut quartum inimici moriturus
- 11 arbitrio si vivit, alienum negotium agit. Non possis itaque de re in universum pronuntiare, cum mortem vis externa denuntiat, occupanda sit an exspectanda. multa enim sunt, quae in utramque partem trahere possunt. Si altera mors cum tormento, altera simplex et facilis est, quidni huic inicienda sit manus? quemadmodum navem eligam navigaturus et domum habitaturus, sic mortem exiturus e vita. Praeterea quemadmodum non utique melior est longior vita, sic peior est utique mors longior. In nulla re magis quam in morte mortem animo gerere debemus. exeat, qua inpetum cepit: sive ferrum adpetit sive laqueum sive aliquam potionem venas occupantem, pergat et vincula servitutis abrumpat. Vitam et aliis adprobare quisque debet, mortem sibi: opti-
- 13 ma, quae placet. Stulte haec cogitantur: aliquis dicet me parum fortiter fecisse, aliquis nimis temere, aliquis fuisse aliquod genus mortis animosius:“ vis tu cogitare id in manibus esse consilium, ad quod fama non pertinet? hoc unum intuere, ut te fortunae quam celerrime eripias: alioquin aderunt, qui de facto tuo male existiment.
- 14 Invenies etiam professos sapientiam, qui vim adferendam vitae suae negent et nefas iudicent ipsum interemptorem sui fieri: exspectandum esse exitum, quem natura decrevit. hoc qui dicit, non videt se libertatis viam cludere. nil melius aeterna lex fecit, quam quod unum
- 15 introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. Ego exspectem vel morbi crudelitatem vel hominis, cum possim per media exire tormenta et adversa discutere? Hoc est unum, cur de vita non possimus queri:

neminem tenet. Bono loco res humanae sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est. Placet: vive. non placet: licet eo reverti, unde venisti. Ut dolorem capitis leva-16 res, sanguinem saepe misisti. ad extenuandum corpus vena percutitur. non opus est vasto vulnere dividere praecordia: scalpello aperitur ad illam magnam libertatem via et puncto securitas constat. Quid ergo est, quod nos facit pigros inertesque? nemo nostrum cogitat quandoque sibi ex hoc domicilio exeundum: sic veteres inquilinos indulgentia loci et consuetudo etiam inter iniurias detinet. Vis adversus hoc corpus liber esse? tam-17 quam migraturus habita. propone tibi quandoque hoc contubernio carendum: fortior eris ad necessitatem exeundi. sed quemadmodum suus finis veniet in mentem omnia sine fine concupiscentibus? Nullius rei medi-18 tatio tam necessaria est. alia enim fortasse exercentur in supervacuum. adversus paupertatem praeparatus est animus: permansere divitiae. ad contemptum nos doloris armavimus: numquam a nobis exegit huius virtutis experimentum integri ac sani felicitas corporis. ut fortiter amissorum pateremur desideria praecepimus nobis: omnes, quos amabamus, superstites fortuna servavit: huius unius rei usum qui exigat dies veniet. Non 19 est quod existimes magnis tantum viris hoc robur fuisse, quo servitutis humanae claustra perrumperent. non est quod iudices hoc fieri nisi a Catone non posse, qui quam ferro non emiserat animam manu extraxit: [cum] vilissimae sortis homines ingenti inpetu in tutum evaserunt, cumque commodo mori non licuisset nec ad arbitrium suum instrumenta mortis eligere, obvia quaeque rapuerunt et quae natura non erant noxia, vi sua tela fecerunt. Nuper in ludo bestiariorum 20 unus e Germanis, cum ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus: nullum aliud illi dabatur sine custode secretum: ibi lignum id, quod ad emundanda obscoena adhaerente spongiâ positum est, totum in gulam farsit et [vi] praeclusis faucibus spiritum

- elisit. Hoc fuit morti contumeliam facere. ita prorsus: parum munde et parum decenter: quid est stultius quam
- 21 fastidiose mori? O virum fortem! [o] dignum, cui fati daretur electio! quam fortiter ille gladio usus esset! quam animose in profundam se altitudinem maris aut abscisae rupis inmisisset! undique destitutus invēnit, quemadmodum et mortem sibi deberet et telum: ut scias ad moriendum nihil aliud in mora esse quam velle. Existimetur de facto hominis acerrimi, ut cuique visum erit, dum hoc constet, praefendam esse spurcissimam mortem servituti mundissimae. / Quoniam coepi sordidis uti
- 22 exemplis, perseverabo. plus enim a se quisque exiget, si viderit hanc rem etiam a contemptissimis posse contemni. Catones Scipionesque et alios, quos audire cum admiratione consuevimus, supra imitationem positos putamus: iam ego istam virtutem habere tam multa exempla in ludo bestiario quam in ducibus belli civilis ostendam.
- 23 Cum adveheretur nuper inter custodias quidam ad matutinum spectaculum missus, tamquam somno premente nutaret, caput usque eo demisit, donec radiis insereret, et tamdiu se in sedili suo tenuit, donec cervicem circumactu rotae frangeret: eodem vehiculo, quo ad poenam ferebatur, effugit. Nihil obstat erumpere et exire cupienti.
- 24 in aperto nos natura custodit: cui permittit necessitas sua, circumspiciat exitum mollem. cui ad manum plura sunt, per quae sese adserat, is delectum agat et qua potissimum liberetur, consideret. cui difficilis occasio est, is proximam quamque pro optima adripiat, sit licet inaudita, sit nova: non deerit ad mortem ingenium, cui non
- 25 defuerit animus. Vides, quemadmodum extrema quoque mancipia, ubi illis stimulos adegit dolor, excitentur et intentissimas custodias fallant? Ille vir magnus est, qui mortem sibi non tantum imperavit, sed invēnit. Ex eodem tibi munere plura exempla promisi. Secundo nau-machiae spectaculo unus e barbaris lanceam, quam in adversarios acceperat, totam iugulo suo mersit. „Quare, inquit, non omne tormentum, omne ludibrium iamdudum effugio? quare ego mortem armatus exspecto?“ Tanto

hoc speciosius spectaculum fuit, quanto honestius mori discunt homines quam occidere. Quid ergo? quod animi²⁷ perditum quoque [noxiosum] habent, non habebunt illi, quos adversus hos casus instruxit longa meditatio et magistra rerum omnium ratio? Illa nos docet fati varios esse accessus, finem eundem: nihil autem interesse, unde incipiat quod venit. Eadem illa ratio monet, ut, si licet,²⁸ moriaris [*sine dolore: si autem non potes, moriaris*] quemadmodum potes et quicquid obvenerit, ad vim adferendam tibi invadas. Iniuriosum est ⁶raptō vīverē: at contra pulcherrimum ⁶mōri raptō. Vale.

EPISTULA II. (71.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Subinde me de rebus singulis consulis, oblitus vasto¹ nos mari dividi. cum magna pars consilii sit in tempore, necesse est evenire, ut de quibusdam rebus tunc ad te perferatur sententia mea, cum iam contraria potior est. consilia enim rebus aptantur. res nostrae feruntur, immovolvuntur: ergo consilium nasci sub diem debet: [et] hoc quoque nimis tardum est: sub manu, quod aiunt, nascatur. Quemadmodum autem inveniat, ostendam. Quotiens, quid fugiendum sit aut quid² petendum, voles scire, ad summum bonum, [et] propositum totius vitae tuae, respice. illi enim consentire debet, quicquid agimus: non disponet singula, nisi cui iam vitae suae summa proposita est. nemo, quamvis paratos habeat colores, similitudinem reddet, nisi iam constat, quid velit pingere. ideo peccamus, quia de partibus vitae omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. Scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult³ mittere, et tunc dirigere ac moderari manu telum. errant consilia nostra, quia non habent, quo dirigantur. Ignoranti, quem portum petat, nullus suus ventus est. necesse est multum in vita nostra casus possit, quia vivimus casu. Quibusdam autem evenit, ut quaedam scire⁴ se nesciant. quemadmodum quaerimus saepe eos, cum quibus stamus, ita plerumque finem summi boni igno-

ramus adpositum. nec multis verbis nec circuitu longo, quod sit summum bonum, colliges: digito, ut ita dicam, demonstrandum est nec in multa spargendum. quid enim ad rem pertinet in particulas illud diducere? cum possis dicere: summum bonum est, quod honestum est. et quod magis admireris: unum bonum est, quod honestum est: cetera falsa et adulterina bona sunt.

- 5 Hoc si persuaseris tibi et virtutem adamaveris: amare enim parum est: quicquid illâ contigerit, id tibi, qualecumque aliis videbitur, faustum felixque erit: et torqueri, si modo iacueris ipso torquente securior, et aegrotare, si non maledixeris fortunae, si non cesseris morbo, omnia denique, quae ceteris videntur mala, et mansuescent et in bonum abibunt, si super illa eminueris. Hoc liqueat, nihil esse bonum nisi honestum: et omnia incommoda suo iure bona vocabuntur, quae modo virtus
- 6 honestaverit. Multis videmur maiora promittere quam recipit humana condicio: non inmerito. ad corpus enim respiciunt: revertantur ad animum: iam hominem dec metientur. Erige te, Lucili virorum optime, et relinque istum ludum literarium philosophorum, qui rem magnificentissimam ad syllabas vocant, qui animum minuta docendo demittunt et conterunt: fies similis illis, qui invenerunt ista, non qui docent et id agunt, ut philoso-
- 7 phia potius difficilis quam magna videatur. Socrates [qui] totam philosophiam revocavit ad mores et hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere: „sequere, inquit, illos, si quid apud te habeo auctoritatis, ut sis beatus, et te alicui stultum videri sine. quisquis volet, tibi contumeliam faciat et iniuriam: tu tamen nihil patieris, si modo tecum erit virtus. si vis, inquit, beatus esse, si fide bona vir bonus, sine contemnat te aliquis.“ Hoc nemo praestabit, nisi qui omnia bona exaequaverit, quia nec bonum sine honesto est et ho-
- 8 nestum in omnibus par est. Quid ergo? nihil interest inter praeturam Catonis et repulsam? nihil interest, utrum Pharsalica acie Cato vincatur an vincat? hoc eius bonum, quo victis partibus non potest vinci, par

erat illi bono, quo victor rediret in patriam et componeret pacem? Quidni par sit? eâdem enim virtute et mala fortuna vincitur et ordinatur bona. virtus autem non potest maior aut minor fieri: unius staturae est. Sed Cn. 9 Pompeius amittet exercitum, sed illud pulcherrimum reipublicae praetextum, optimates, et prima acies Pompeianarum partium, senatus ferens arma, uno proelio profligabuntur et tam magni ruinâ imperii in totum dissiliet orbem: aliqua pars eius in Aegypto, aliqua in Africa, aliqua in Hispania cadet. ne hoc quidem miserae reipublicae continget, semel ruere. Omnia licet fiant: 10 Iubam in regno suo non locorum notitia adiuvet, non popularium pro rege suo virtus obstinatissima, Uticensium quoque fides malis fracta deficiat et Scipionem in Africa nominis sui fortuna destituat: olim provisum est, ne quid Cato detrimenti caperet. „Victus est tamen.“ 11 Et hoc numera inter repulsas Catonis: tam magno animo feret aliquid sibi ad victoriam quam ad praeturam obstitisse. Quo die repulsus est, lusit. qua nocte periturus fuit, legit: eodem loco habuit praeturâ et vitâ excidere: omnia, quae acciderent, ferenda esse persuaserat sibi. Quidni ille mutationem reipublicae forti et 12 aequo pateretur animo? quid enim mutationis periculo exceptum? non terra, non coelum, non totus hic rerum omnium contextus, quamvis deo agente ducatur. non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu aliquis dies deiciet. Certis eunt cuncta temporibus: nasci 13 debent, crescere, exstingui. quaecumque supra nos vides currere, et haec, quibus inmixti atque inpositi sumus veluti solidissimis, carpentur ac desinent. nulli non senectus sua est: inaequalibus ista spatiis eodem natura dimittit. quicquid est, non erit: nec peribit, sed resolvitur. Nobis solvi perire est. proxima enim intuemur: 14 ad ulteriora non prospicit mens hebes et quae se corpori addixit: alioquin fortius finem sui suorumque pateretur, si speraret, [ut] omnia illa, sic vitam mortemque per vices ire et composita dissolvi, dissoluta componi, in hoc opere aeternam artem cuncta temperantis

- 15 dei verti. Itaque ut Cato, cum aevum animo percurrerit, dicet: „omne humanum genus, quodque est quodque erit, morte damnatum est: omnes, quae usquam rerum potiuntur urbes quaeque alienorum imperiorum magna sunt decora, ubi fuerint, aliquando quaeretur et vario exitii genere tollentur: alias destruent bella, alias desidia paxque ad inertiam versa consumet et magnis opibus exitiosa res, luxus. omnes hos fertiles campos repentina maris inundatio abscondet aut in subitam cavernam considentis soli lapsus abducat. Quid est ergo, quare indigner aut doleam, si exiguo momento publica fata praecedo?“
- 16 Magnus animus deo pareat et quicquid lex universi iubet, sine cunctatione patiat: aut in meliorem emittitur vitam lucidius tranquilliusque inter divina mansurus aut certe sine ullo futurus incommodo suae naturae remiscebitur et revertetur in totum. Non est ergo M. Catonis maius bonum honesta vita quam mors honesta, quoniam non intenditur virtus. Idem esse dicebat Socrates veritatem et virtutem. quomodo illa non cre-
17 est. Non est itaque quod mireris paria esse bona, et quae ex proposito sumenda sunt et quae subita res tulit. nam si hanc inaequalitatem receperis, ut fortiter torqueri in minoribus bonis numeres, numerabis etiam in malis et infelicem Socratem dices in carcere, infelicem Catonem volnera sua animosius quam fecerat, retractantem, calamitosissimum omnium Regulum fidei poenas etiam hostibus servatae pendentem: atqui nemo hoc dicere, ne ex mollissimis quidem, ausus est. negant enim
18 illum esse beatum, sed tamen negant miserum. Academici veteres beatum quidem esse etiam inter hos cruciatus fatentur, sed non ad perfectum nec ad plenum, quod nullo modo potest recipi: nisi beatus est, in summo bono non est. quod summum bonum est, supra se gradum non habet, si modo illi virtus inest, si illam adversa non minuunt, si manet etiam comminuto corpore incolumis: manet autem. virtutem enim intellego animosam
19 et excelsam, quam incitat, quicquid infestat. Hunc ani-

mum, quem saepe induunt generosae indolis iuvenes, quos alicuius honestae rei pulchritudo percussit, ut omnia fortuita contemnant, profecto sapientia infundet et tradet: persuadebit unum bonum esse, quod honestum: hoc nec remitti nec intendi posse, non magis quam regulam, qua rectum probari solet, flectes. quicquid ex illa mutaveris, iniuria est recti. Idem ergo de virtute dicemus: et haec recta est. flexuram non recipit. rigidari quidem, amplius intendi non potest. haec de omnibus rebus iudicat, de hac nulla. si rector ipsa non potest fieri, ne quae ab illa quidem fiunt, alia aliis rectiora sunt. huic enim necesse est respondeant: ita paria sunt. „Quid ergo? inquis: iacere in convivio et torqueri paria 21 sunt?“ Hoc mirum videtur tibi? illud licet magis admireris: iacere in convivio malum est, torqueri in eculeo bonum est, si illud turpiter, hoc honeste fit. bona ista aut mala non efficit materia, sed virtus. haec ubicumque adparuit, omnia eiusdem mensurae ac pretii sunt. In 22 oculos nunc mihi manus intentat ille, qui omnium animum aestimat ex suo, quod dicam paria bona esse adversa fortiter portantis et prospera honeste iudicantis, quod dicam paria bona esse eius, qui triumphat et eius, qui ante currum vehitur invictus animo. non putant enim fieri, quicquid facere non possunt: ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam. Quid miraris, si uri, volnerari, 23 occidi, adligari iuvat, aliquando etiam libet? Luxurioso frugalitas poena est. pigro supplicii loco labor est. delicatis miseria est industria. desidioso studere torqueri est: eodem modo haec, ad quae omnes inbecilli sumus, dura atque intoleranda credimus, oblitum, quam multis tormentum sit vino carere aut prima luce excitari. non ista difficilia sunt natura, sed nos fluidi et enerves. Magno animo de rebus magnis iudicandum est: alioquin 24 videbitur illarum vitium esse, quod nostrum est. Sic quaedam rectissima, cum in aquam demissa sunt, speciem curvi praefractique visentibus reddunt. non tantum quid videas, sed quemadmodum, refert: animus noster ad vera perspicienda caligat. Da mihi adulescentem in- 25

corruptum et ingenio vegetum: dicet fortunatiorem sibi
 videri, qui omnia rerum adversarum onera rigidâ cer-
 vice sustollat, qui supra fortunam existat. Non mirum
 est in tranquillitate non concuti: illud mirare, ibi extolli
 aliquem, ubi omnes deprimuntur, ibi stare, ubi omnes
 26 iacent. Quid est in tormentis, quid est in aliis, quae ad-
 versa adpellamus, mali? [hoc,] ut opinor, succidere
 mentem et incurvari et succumbere, quorum nihil sa-
 pienti viro poterit evenire: stat rectus sub quolibet pon-
dere. nulla illum res minorem facit. nihil illi eorum,
 quae ferenda sunt, displicet. nam quicquid cadere in
 hominem potest, in se cecidisse non queritur. vires suas
 27 novit. scit se esse oneri ferendo. Non edūco sapientem
 ex hominum numero nec dolores ab illo sicut ab aliqua
 rupe nullum sensum admittente submoveo. memini ex
 duabus illum partibus esse compositum: altera est inra-
 tionalis. haec mordetur, uritur, dolet: altera rationalis.
 haec inconcussas opiniones habet, intrepida est et indo-
 mita. in hac positum est summum illud hominis bonum:
 antequam impleatur, incerta mentis volutatio est: cum
 28 vero perfectum est, immota illa stabilitas est. Itaque in-
choatus et ad summa procedens cultorque virtutis, etiamsi
adpropinquat perfecto bono, sed ei nondum summam ma-
num inposuit, ibi interim cessabit et remittet aliquid ex
intentione mentis. nondum enim incerta transgressus est.
etiam nunc versatur in lubrico: beatus vero et virtutis
 exactae tunc se maxime amat, cum fortissime expertus
 est, et metuenda ceteris, si alicuius honesti officii pretia
 sunt, non tantum fert, sed amplexatur multoque audire
 29 mavult: tanto melior quam [tanto] felicior. Venio
 nunc illo, quo me vocat expectatio tua. Ne extra rerum
 naturam vagari virtus nostra videatur, et tremet sapiens
 et dolebit et expallescet. hi enim omnes corporis sensus
 sunt. ubi origo calamitatis? ubi illud malum verum est?
 illic scilicet, si ista animum detrahunt, si ad confessionem
 30 servitutis adducunt, si illi poenitentiam sui faciunt. Sa-
 piens quidem vincit virtute fortunam, at multi professi
 sapientiam levissimis nonnumquam minis exterriti sunt.

Hoc loco vitium nostrum est, qui idem a sapiente
exigimus et a proficiente. Suadeo adhuc mihi ista,
 quae laudo, nondum persuadeo. etiamsi persuasissem,
nondum tam parata haberem aut tam exercitata, ut ad
omnes casus procurrent. Quemadmodum lana quos-31
 dam colores semel ducit, quosdam nisi saepius macerata
 et recocta non perbibit, sic alias disciplinas ingenia, cum
 acceperere, prolinus praestant: haec, nisi alte descendit
et diu sedit et animum non coloravit, sed infecit, nihil ex
his, quae promiserat, praestat. Cito hoc potest tradi et32
paucissimis verbis: unum bonum esse virtutem, nullum
certe sine virtute, et ipsam virtutem in parte nostri me-
fiore, id est rationali, positam. Quid erit haec virtus?
iudicium verum et innotum. ab hoc enim inpetus venient
 mentis, ab hoc omnis species, quae inpetum movet, re-
 digetur ad liquidum. Huic iudicio consentaneum erit33
 omnia, quae virtute contacta sunt, et bona iudicare et
 inter se paria. corporum autem bona corporibus quidem
 bona sunt, sed in totum non sunt bona. his pretium qui-
 dem erit aliquod, ceterum dignitas non erit: magnis inter
 se intervallis distabunt: alia minora, alia maiora erunt.
 Et in ipsis sapientiam sectantibus magna dis-34
 crimina esse fateamur necesse est: alius iam
 in tantum profecit, ut contra fortunam audeat adtollere
 oculos, sed non pertinaciter: cadunt enim nimio splen-
 dore praerecti. alius in tantum, ut possit cum illa con-
 ferre voltum, si iam pervenit ad summum et fiduciae ple-
 nus est. Imperfecta necesse est labent et modo prodeant,35
 modo sublabantur aut succidant. sublabentur autem,
nisi ire et niti perseveraverint: si quicquam ex stu-
dio et fideli intentione laxaverint, retro eun-
dum est. nemo profectum mihi invenit, ubi reli-
querat. In stemus itaque et perseveremus. plus,36
 quam profligavimus, restat: sed magna pars est pro-
fectus: velle proficere. huius rei conscius mihi sum: volo
 et mente tota volo. te quoque instinctum esse et magno
 ad pulcherrima properare inpetu video: properemus:
 ita demum vita beneficium erit: alioquin mora est, et

quidem turpis, inter foeda versantibus. id agamus, ut nostrum omne tempus sit. non erit autem, nisi prius nos
 37 nostri esse coeperimus. Quando continget contemnere utramque fortunam? quando continget omnibus obpressis adfectibus et sub arbitrium suum adductis hanc vocem emittere: vici? Quem vicerim quaeris? non Persas nec extrema Medorum nec si quid ultra Dahas bellicosum iacet, sed avaritiam, sed ambitionem, sed metum mortis, qui victores gentium vicit. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER IX.

EPISTULA I. (72.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1. Quod quaeris a me, liquebat mihi, si rem edicerem per se. sed diu non retemptavi memoriam meam, itaque non facile me sequitur. quod evenit libris situ cohaerentibus, hoc evenisse mihi sentio: explicandus est animus et quaecumque apud illum deposita sunt, subinde excuti debent, ut parata sint, quotiens usus exegerit. ergo hoc in praesentiâ differamus. multum enim operae, multum diligentiae poscit. cum primum longiorem eodem loco
 2 speravero moram, tunc istud in manus sumam. Quaedam enim sunt, quae possis et in cisio' scribere. quaedam lectum et otium et secretum desiderant. nihilominus his quoque occupatis diebus agatur aliquid et quidem totis. numquam enim non succedent occupationes novae: serimus illas, itaque ex una exeunt plures. deinde ipsi nobis dilationem damus: „cum hoc peregero, toto animo

incumbam.“ et „si hanc rem molestam conposuero, studio me dabo.“ Non cum vacaveris, philosophandum est: omnia alia negligenda sunt, ut huic 3
 adsideamus, cui nullum tempus satis magnum est, etiamsi a pueritia usque ad longissimos humani aevi terminos vita producitur. non multum refert, utrum omittas philosophiam an intermittas. non enim ubi interrupta est, manet, sed eorum more, quae intenta dissiliunt, usque ad initia sua recurrit, quod a continuatione discessit. Resistendum est occupationibus nec explicandae, sed submovendae sunt. tempus quidem nullum parum est idoneum studio salutari: atqui multi inter illa non student, propter quae studendum est. „Incidet aliquid, 4
 quod inpediat.“ non quidem eum, cuius animus in omni negotio laetus atque alacer est: imperfectis adhuc inter-scinditur laetitia, sapientis vero contexitur gaudium, nullâ causâ rumpitur, nullâ fortunâ, semper et ubique tranquillus est. non enim ex alieno pendet nec favorem fortunae aut hominis exspectat. domestica illi felicitas est. exiret ex animo, si intraret: ibi nascitur. Aliquando 5
 extrinsecus, quo admoneatur mortalitatis, intervenit, sed id leve et quod summam cutem stringat. aliquo, inquam, incommodo adflatur maximus is: illud bonum est fixum. ita dico, extrinsecus aliqua sunt incommoda, velut in corpore interdum robusto solidoque eruptiones quaedam pustularum et ulcuscula, nullum in alto malum est. Hoc, 6
 inquam, interest inter consummatae sapientiae virum et alium procedentis, quod inter sanum et ex morbo gravi ac diutino emergentem, cui sanitatis loco est levior accessio: hic nisi attendit, subinde gravatur et in eadem revolvitur: sapiens recidere non potest, ne incidere quidem amplius. corpori enim ad tempus bona validudo est, quam medicus, etiamsi reddidit, non praestat. saepe ad eundem, qui advocaverat, excitatur: [*animus*] semel in totum sanatur. Dicam, quomodo intellegas sanum: si se 7
ipso contentus est, si confidit sibi, si scit omnia vota mortalium, omnia beneficia, quae dantur petunturque, nullum in beata vita habere momentum. nam cui aliquid

accedere potest, id imperfectum est. cui aliquid absce-
 dere potest, id inperpetuum est: cuius perpétua futura
 laetitia est, is sūo gaudeat. omnia autem, quibus vol-
 gus .nhiat, ultro citroque fluunt. nihil dat fortuna mancipio.
 sed haec quoque fortūita tunc delectant, cum illa ratio
 temperavit ac miscuit: haec est, quae etiam externa com-
 8 mendet, quorum avidis usus ingratus est. Solebat Atta-
 lus hac imagine uti: „vidisti aliquando canem missā a
 domino frustā panis aut carnis aperto ore captantem?
 quicquid excepit, protinus integrum devorat et semper
 ad spem venturi hiat: idem evenit nobis: quicquid ex-
 spectantibus fortuna proiecit, id sine ulla voluptate de-
 mittimus statim, ad rapinam alterius erecti et adtoniti.“
 Hoc sapienti non evēnit: plenus est. etiam si quid ob-
 venit, secure excipit ac reponit. laetitiā fruitur maximā,
 9 continuā, suā. Habet aliquis bonam voluntatem, habet
 profectum, sed cui multum desit a summo: hic deprimitur
 alternis et extollitur ac modo in coelum adlevatur, modo
defertur ad terram. Inperitis ac rudibus nullus praeci-
 pitationis finis est: in Epicurēum illud chaos decidunt
 10 inane, sine termino. [Est] adhuc genus tertium eorum,
 qui sapientiae adludunt, quam non quidem contigerunt,
 in conspectu tamen et, ut ita dicam, sub ictu habent: hi
 non concutiuntur, ne defluunt quidem. nondum in sicco,
 11 iam in portu sunt. Ergo cum tam magna sint inter sum-
 mos imosque discrimina, cum medios quoque sequatur
 ingens periculum ad deteriora redeundi: non debemus
occupationibus indulgere. excludendae sunt: si semel in-
 traverint, in locum suum alias substituent: principiis illa-
 rum obstemus. melius non incipient, quam desinent. Vale.

EPISTULA II. (73.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1. Errare mihi videntur, qui existimant phi-
 losophiae fideliter deditos contumaces esse
 ac refractarios, [et] contemptores magistra-
 tum ac regum eorumve, per quos publica ad-
 ministrantur. e contrario enim nulli adversus illos

gratiores sunt: nec inmerito. nullis enim plus praestant quam quibus frui tranquillo otio licet. Itaque ii, quibus ² *multum* ad propositum bene vivendi confert securitas publica, necesse est auctorem huius boni ut parentem colant, multo quidem magis quam illi inquieti et in medio positi, qui multa principibus debent, sed multa et imputant, quibus numquam tam plene occurrere ulla liberalitas potest, ut cupiditates illorum, quae crescunt, dum implentur, exsatiat. quisquis autem de accipiendo cogitat, oblitus accepti est. nec ullum habet malum cupiditas maius, quam quod ingrata est. Adice nunc, quod ³ nemo eorum, qui in republica versantur, quot vincat, sed a quibus vincatur, adspicit. et illis non tam iucundum est multos post se videre quam grave, aliquem ante se. habet hoc vitium omnis ambitio: non respicit. nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas omnis, quia incipit semper a fine. At ille vir sincerus ac purus, ⁴ qui relinquit et curiam et forum et omnem administrationem reipublicae, ut ad ampliora secederet, diligit eos, per quos hoc ei facere tuto licet solusque illis gratuitum testimonium reddit et magnam rem nescientibus debet. quemadmodum praeceptores suos veneratur ac suspicit, quorum beneficio illis inviis exiit, sic et hos, sub quorum tutela positus exercet artes bonas. „Verum alios ⁵ quoque rex viribus suis protegit.“ Quis negat? sed quemadmodum Neptuno plus debere se iudicat ex his, qui eadem tranquillitate usi sunt, qui plura et pretiosiora illo mari vexit, animosius a mercatore quam a vectore solvitur votum, et ex ipsis mercatoribus effusius gratus est, qui odores ac purpuras et auro pensanda portabat quam qui vilissima quaeque et saburrae loco futura con-gesserat: sic huius pacis beneficium ad omnes pertinentis altius ad eos pervenit, qui illa bene utuntur. multi ⁶ enim sunt ex his togatis, quibus pax operosior bello est: an idem existimas pro pace debere eos, qui illam ebrietati aut libidini inpendunt aut aliis vitiis, quae vel bello rumpenda sunt? nisi forte tam iniquum putas esse sapientem, ut nihil viritim se debere pro communibus bo-

nis iudicet. soli Iunaeque plurimum debeo, et non uni mihi oriuntur. anno temperantique annum deo privatim obligatus sum, quamvis nihil in meum honorem descripta
 7 sint. [et] stulta avaritia mortalium-possessionem proprietatemque discernit nec quicquam suum credit esse, quod publicum est: at ille sapiens nihil iudicat suum magis quam cuius illi cum humano genere consortium est. nec enim essent ita communia, nisi pars illorum pertineret ad singulos: socium efficit etiam quod ex minima por-
 8 tione commune est. Adice nunc, quod magna et vera bona non sic dividuntur, ut exiguum in singulos cadat: ad unumquemque tota perveniunt. Ex congiario tantum ferunt homines, quantum in capita promissum est. epulum et visceratio et quicquid aliud manu capitur, discedit in partes: at haec individua bona, pax et libertas, tam
 9 omnium tota quam singulorum sunt. Cogitat itaque [sapiens], per quem sibi horum usus fructusque contingat, per quem non ad arma illum nec ad servandas vigilias nec ad tuenda moenia et multiplex belli tributum publica necessitas vocet, agitque gubernatori suo gratias. Hoc docet philosophia praecipue, bene debere beneficia, bene
 10 solvere: interdum autem solutio est ipsa confessio. Confitebitur ergo multum se debere ei, cuius administratione ac providentia contingit illi pingue otium et arbitrium sui temporis et in-perturbata publicis occupationibus quies.

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit:

namque erit ille mihi semper deus.

11 Si illa quoque otia multum auctori suo debent, quorum munus hoc maximum est:

ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum

ludere, quae vellem, calamo permisit agresti:

12 quanti aestimamus hoc otium, quod inter deos agitur, quod deos facit? Ita dico, Lucili, et te in coelum compendiario voco. Solebat Sextius dicere, Iovem plus non posse quam bonum virum: plura Iupiter habet, quae praestet hominibus, sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior, non magis quam inter duos, qui-

bus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris, cui maius speciosiusque navigium est. Iupiter¹³ quo antecedit virum bonum? diutius bonus est: sapiens nihilo se minoris aestimat, quod virtutes eius spatio brevioris cluduntur. Quemadmodum ex duobus sapientibus qui senior decessit, non est beator eo, cuius intra pauciores annos terminata virtus est: sic deus non vincit sapientem felicitate, etiamsi vincit aetate. Non est virtus maior, quae longior. Iupiter omnia habet, sed nempe¹⁴ aliis tradidit habenda: ad ipsum hic unus usus pertinet, quod utendi omnibus causa est: sapiens tam aequo animo omnia apud alios videt contemnitque quam Iupiter et hoc se magis suspicit, quod Iupiter uti illis non potest, sapiens non vult. Credamus itaque Sextio monstranti¹⁵ pulcherrimum iter et clamanti:

„hac itur ad astra:

hac secundum frugalitatem, hac secundum temperantiam, hac secundum fortitudinem.“ Non sunt di fastidiosi, non invidi: admittunt et adscendentibus manum porrigunt. Miraris hominem ad deos ire? deus ad ho-¹⁶ mines venit, immo, quod est propius, in homines venit: nulla sine deo mens bona est. semina in corporibus humanis divina dispersa sunt, quae si bonus cultor excipit, similia origini prodeunt et paria his, ex quibus orta sunt, surgunt: si malus, non aliter quam humus sterilis ac palustris necat ac deinde creat purgamenta pro frugibus. Vale.

EPISTULA III. (74.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Epistula tua delectavit me et marcentem excitavit, ¹memoriam quoque meam, quae iam mihi segnis ac lenta est, evocavit. Quidni tu, mi Lucili, maximum putes instrumentum beatae vitae hanc persuasionem, unum bonum esse, quod honestum est? nam qui alia bona iudicat, in fortunae venit potestatem, alieni arbitrii fit: qui omne bonum honesto circumscripsit, intra se felix est. Hic amissis liberis moestus, hic solli- 2

citus aegris, hic turpibus et aliquam passis infamiam
 tristis. illum videbis alienae uxoris amore cruciari, il-
 lum suae. non deerit, quem repulsa distorqueat. erunt,
 3 quos ipse honor vexet. illa vero maxima ex omni mor-
 talium populo turba miserorum, quam exspectatio mortis
 exagitat undique inpendens. nihil enim est, unde non
 subeat. itaque, ut in hostili regione versantibus, huc et
 illuc circumspiciendum est et ad omnem strepitum cir-
 cumagenda cervix: nisi hic timor e pectore eiectus est,
 4 palpitantibus praecordiis vivitur. Occurrenti in exilium
 et evoluti bonis. occurrent, quod genus egestatis gravis-
 simum est, in divitiis inopes. occurrent naufragi similiave
 naufragis passi, quos aut popularis ira aut invidia, perni-
 ciosum optimis telum, inopinantes securosque disiecit
 procellae more, quae in ipsa sereni fiducia solet emergere,
 aut fulminis subiti, ad cuius ictum etiam vicina tremuerunt.
 nam ut illic quisquis ab igne propior stetit, percusso si-
 milis obstupuit, sic in his per aliquam vim accidentibus
 5 unum calamitas obprimit, ceteros metus, paremque pas-
 sis tristitiam facit pati posse. Omnium animos mala aliena
 ac repentina sollicitant. quemadmodum aves etiam ina-
 nis fundae sonus territat, ita nos non ad ictum tantum
 exagitamur, sed ad crepitum. Non potest ergo quisquam
 beatus esse, qui huic se opinioni credit. non enim
 beatum est, nisi quod intrepidum: inter suspecta male
 6 vivitur. Quisquis se multum fortuitis dedit, ingentem sibi
 materiam perturbationis et inexplicabilem fecit: una haec
via est ad tuta vadenti, externa despiciere et honesto
contentum esse. nam qui aliquid virtute melius putat
 aut ullum praeter illam bonum, ad haec, quae a fortuna
 sparguntur, sinum expandit et sollicitus missilia eius
 7 [ex]spectat. Hanc enim imaginem animo tuo propone,
 ludos facere fortunam et in hunc mortalium coetum ho-
 nores, divitias, gratiam excutere, quorum alia inter di-
 ripientium manus scissa sunt, alia infida societate divisa,
 alia magno detrimento eorum, in quos devenerant,
 presa. ex quibus quaedam aliud agentibus inciderunt,
 quaedam, quia nimis captabantur, amissa et, dum avide

rapiuntur, expulsa sunt. nulli vero, etiam cui rapina feliciter cessit, gaudium rapti duravit in posterum. itaque prudentissimus quisque cum primum induci videt munuscula, a theatro fugit et scit magno parva constare: nemo manum conserit cum recedente, nemo exeuntem ferit: circa praemium rixa est. Idem in his evenit, quae 8 fortuna desuper iactat: aestuamus miseri, dstringimur, multas habere cupimus manus, modo in hanc partem, modo in illam respicimus: nimis tarde nobis mitti videntur, quae cupiditates nostras irritant ad paucos perventura, exspectata omnibus. ire obviam cadentibus cupimus. gaudemus, si quid invasimus, invadendique aliquos spes vana delusit: vilem praedam magno aliquo incommodo luimus aut de[cipimur] aut fallimur. secedamus itaque ab istis ludis et demus raptoribus locum: illi spectent bona ista pendentia et ipsi magis pendeant. Qui-10 cumque beatus esse constituet, unum esse bonum putet, quod honestum est. nam si ullum aliud esse existimat, primum male de providentia iudicat, quia multa incommoda iustis viris accidunt et quia, quicquid nobis dedit, breve est et exiguum, si comparas mundi totius aevo. Ex 11 hac deploratione nascitur, ut ingrati divinorum interpretes simus: querimur, quod non semper, quod et pauca nobis et incerta et abitura contingant. inde est, quod nec vivere nec mori volumus: vitae nos odium tenet, timor mortis. natat omne consilium nec implere nos ulla felicitas potest. causa autem est, quod non pervenimus ad illud bonum immensum et insuperabile, ubi necesse est resistat voluntas nostra, quia ultra summum non est locus. Quaeris, quare virtus nullo egeat? praesentibus 12 gaudet, non concupiscit absentia. nihil non illi magnum est, quod satis. Ab hoc discede iudicio: non pietas constabit, non fides. multa utramque praestare cupienti patienda sunt ex his, quae mala vocantur. multa inpendenda ex his, quibus indulgemus tamquam bonis. perit, 13 fortitudo, quae periculum facere debet sui. perit magnanimitas, quae non potest eminere, nisi omnia velut minuta contempsit, quae pro maximis volgus optat. perit

- gratia et relatio gratiae, si timemus laborem, si quicquam pretiosius fide novimus, si non optima spectamus.
- 14 Sed ut illa praeteream, aut ista bona non sunt, quae vocantur, aut homo felicior deo est, quoniam quidem quae parata nobis sunt, non habet in usu deus. nec enim libido ad illum nec epularum lautitiae nec opes nec quicquam ex his hominem inescantibus¹ et vili voluptate ductentibus pertinet. ergo aut credibile est bona deo deesse aut hoc ipsum argumentum est bona non esse, quae deo
- 15 desunt. Adice, quod multa, quae bona videri volunt, animalibus quam homini pleniora contingunt: illa cibo avidius utuntur. venere non aequae fatigantur. virium illis maior est et aequabilior firmitas: sequitur, ut multo feliciora sint homine. nam sine nequitia, sine fraudibus degunt. fruuntur voluptatibus, quas et magis capiunt et
- 16 ex facili sine ullo pudoris aut poenitentiae metu. Considera tu itaque, an id bonum vocandum sit, quo deus ab homine vincitur. Summum bonum in animo contineamus: obsolescit, si ab optima nostri parte ad pessimam transit et transfertur ad sensus, qui agiliores sunt animalibus mutis. Non est summa felicitatis nostrae in carne ponenda: bona illa sunt vera, quae ratio dat, solida ac sempiterna, quae cadere non possunt, ne decre-
- 17 scere quidem aut minui: cetera opinione bona sunt et nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non est. itaque commoda vocentur et, ut nostra lingua loquar, producta. ceterum sciamus mancipia nostra esse, non partes: et sint apud nos, sed ita, ut meminerimus extra nos esse. etiamsi apud nos sint, inter subiecta numerentur et humilia, propter quae nemo se ad tollere debeat. quid enim stultius quam aliquem eo
- 18 sibi placere, quod ipse non fecit? Omnia ista nobis accedant, non haereant, ut, si abducantur, sine ulla nostri laceratione discedant. utamur illis, non gloriemur, et utamur parce tamquam depositis apud nos et abituris. quisquis illa sine ratione possedit, non diu tenuit. ipsa enim se felicitas, nisi temperatur, premit. si fugacissimis bonis creditur, cito deseritur et, ut *non* deseratur,

adfligitur. paucis deponere felicitatem molliter licuit. ceteri cum iis, inter quae eminere, labuntur et illos degravant ipsa, quae extulerant. Ideo adhibebitur prudentia, quae modum illis aut parsimoniam inponat, quoniam quidem licentia opes suas praecipitat atque urget. nec umquam inmodica durarunt, nisi illa moderatrix ratio conpescuit. hoc multarum tibi urbium ostendet eventus, quarum in ipso flore luxuriosa imperia ceciderunt et quicquid virtute partum erat, intemperantiâ conruit. Adversus hos casus muniendi sumus. nullus autem contra fortunam inexpugnabilis murus est: intus instruamur. si illa pars tuta est, pulsari homo potest, capi non potest. Quod sit hoc instrumentum, scire desideras? Nihil 20 indignetur sibi accidere sciatque illa ipsa, quibus laedi videtur, ad conservationem universi pertinere et ex iis esse, quae cursum mundi officiumque consummant. Placeat homini, quicquid deo placuit: ob hoc ipsum se suaque miretur, quod non potest vinci, quod mala ipsa sub se tenet, quod ratione, qua valentius nihil est, casum doloremque et iniuriam subigit. Ama rationem! huius te 21 amor contra durissima armabit. catulorum amor in venabula inpingit *feras* et inconsultus inpetus praestat indomitas. iuvenilia nonnumquam ingenia cupido gloriae in contemptum tam ferri quam ignium misit. species quosdam atque umbra virtutis in mortem voluntariam trudit: quanto his omnibus fortior ratio est, quanto constantior, tanto vehementius per metus ipsos et pericula exhibit. „Nihil agitis, inquit, quod negatis ul- 22 lum esse aliud honesto bonum: non faciet vos haec munitio tutos a fortuna et inermes. dicitis enim inter bona esse liberos pios et bene moratam patriam et parentes bonos: horum pericula non potestis spectare securi. perturbabit vos obsidio patriae, liberorum mors, parentum servitus.“ Quid adversus hos 23 pro nobis responderi soleat, ponam: deinde tunc adiciam, quid praeterea respondendum putem. Alia condicio est in iis, quae ablata in locum suum aliquid incommodi substituunt: tamquam bona va-

litudo vitiata in malam transfertur. acies oculorum ex-
 stincta caecitate nos adficit. non tantum velocitas perit
 poplitibus incisus, sed debilitas pro illa subit. hoc non
 est periculum in iis, quae paulo ante retulimus. quare?
 si amicum bonum amisi, non est mihi pro illo perfidia
 24 patienda, nec si bonos liberos extuli, in illorum locum in-
 pietas succedit. Deinde non amicorum ille aut liberorum
 interitus, sed corporum est. bonum autem uno modo
 perit, si in malum transit: quod natura non patitur, quia
 omnis virtus et opus omne virtutis inconruptum manet.
 Deinde etiamsi amici perierunt, etiamsi probati respon-
 dentesque voto patris liberi, est quod illorum expleat lo-
 cum. quid sit quaeris? quod illos [quoque] bonos fecerat,
 25 virtus. haec nihil vacare patitur loci, totum animum tenet,
 desiderium omnium tollit, sola satis est: omnium enim
 bonorum vis et origo in ipsa est. quid refert, an aqua
 decurrens intercipiatur atque abeat, si fons, ex quo fluxe-
 rat, salvus est? Non dices vitam iustiolem salvis liberis
 quam amissis nec ordinatiolem nec prudentiolem nec
 honestiolem: ergo ne meliolem quidem. non facit ad-
 lectio amici sapientiolem, non facit stultiolem detractio,
 ergo nec beatiolem aut miseriolem. quamdium virtus salva
 26 fuerit, non senties, quid abscesserit. „Quid ergo? non
 est beatiolem amicorum et liberorum turba subcinctus?“
 Quidni non sit? summum enim bonum nec infringitur nec
 augetur: in suo modo permanet, utcumque se fortuna
gessit. sive illi senectus longa contigit sive citra senectu-
 tem finitus est, eadem mensura summi boni est, quamvis
 27 aetatis diversa sit. Utrum maiolem an minolem circulum
 scribas, ad spatium eius pertinet, non ad formam: licet
 alter diu manserit, alterum statim obduxeris et in eum, in
 quo scriptus est, pulverem solveris, in eadem uterque
 forma fuit. quod rectum est, nec magnitudine aestimatur
 nec numero nec tempore: non magis produci quam con-
 trahi potest. honestam vitam ex centum annorum numero
 in quantum voles corripe et in unum diem coge: aequo
 28 honesta est. Modo latius virtus funditur, regna, urbes,
 provincias temperat, fert leges, colit amicitias, inter pro-

pinquos liberosque dispensat officia. modo arto fine con-
 cluditur paupertatis, exilii, orbitatis: non tamen minor
 est, si ex altiore fastigio in privatum, ex regio in humile
 subducitur, ex publico et spatioso iure in angustias domus
 vel anguli coit. aequae magna est, etiamsi in se recessit 29
 undique exclusa. nihilominus enim magni spiritus est et
 erecti, exactae prudentiae, indeclinabilis iustitiae. ergo
 aequae beata est. beatum enim illud in uno loco positum
 est, in ipsa mente, grande, stabile, tranquillum, quod sine
 scientia divinorum humanorumque non potest effici. Se- 30
 quitur illud, quod me responsurum esse dicebam. Non
adfligitur sapiens liberorum amissione, non amicorum.
 eodem enim animo fert illorum mortem, quo suam ex-
 spectat. non magis hanc timet quam illam dolet. virtus
enim convenientia constat: omnia opera eius cum ipsa
concordant et congruunt. haec concordia perit, si animus,
quem excelsum esse oportet, luctu aut desiderio submit-
titur. Inhonesta est omnis trepidatio et sollicitudo et in
 ullo actu pigritia. honestum enim securum et expeditum
 est, interritum est, in procinctu stat. Quid ergo? non 31
 aliquid perturbationi simile patietur? non et color eius
 mutabitur et voltus agitabitur et artus refrigescant? et
 quicquid aliud non ex imperio animi, sed inconsulto quo-
 dam naturae inpetu geritur. fateor. sed manebit illi per-
suasio eadem, nihil illorum malum esse nec dignum, ad
quod mens sana deficiat. omnia, quae facienda erunt,
audacter facit et prompte. hoc enim stultitiae proprium 32
 quis dixerit, ignave et contumaciter facere, quae faciat,
 et alio corpus inpellere, alio animum distrahique inter
 diversissimos motus. nam propter illa ipsa, quibus ex-
 tollit se miraturque, contempta est et ne illa quidem, qui-
 bus gloriatur, libenter facit. si vero aliquod timetur ma-
 lum, eo perinde, dum exspectat, quasi venisset, urgetur
 et quicquid ne patiatur timet, iam metu patitur. Quemad- 33
 modum in corporibus languoris signa praecurrunt. quae-
 dam enim segnitia enervis est et sine labore ullo lassitudo
 et oscitatio et horror membra percurrens: sic infirmus
 animus multo ante quam obprimatur malis quatitur. prae-

sumit illa et ante tempus cadit. quid autem dementius quam angere futuris nec se tormento reservare, sed accersere sibi miseras et admovere? quas differre optimum est, si discutere non possis. Vis scire futuro neminem debere torqueri? quicumque audierit post quinquagesimum annum sibi patienda supplicia, non perturbatur, nisi si medium spatium transsiluerit et se in illam seculo post futuram sollicitudinem in miserit: eodem modo fit, ut animos libenter aegros et captantes causas doloris vetera atque oblitterata contristant. Et quae praeterierunt et quae futura sunt, absunt. neutra sentimus. non est autem nisi ex eo, quod sentias, dolor. Vale.

EPISTULA IV. (75.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Minus tibi accuratas a me epistulas mitti quereris. quis enim accurate loquitur, nisi qui vult putide loqui? qualis sermo meus esset, si una sederemus aut ambularem, inlaboratus et facilis, tales esse epistulas meas volo, quae nihil habeant accersitum nec
- 2 fictum. Si fieri posset, quid sentiam, ostendere quam loqui mallet. etiamsi disputarem, nec subploderem pedem nec manum iactarem nec adtollerem vocem, sed ista oratoribus reliquisset, contentus sensus meos ad te per-
- 3 tulisse, quos nec exornassem nec abiecissem. hoc unum plane tibi adprobare vellem, omnia me illa sentire, quae dicerem nec tantum sentire, sed amare. Aliter homines amicam, aliter liberos osculantur: tamen in hoc quoque amplexu tam sancto et moderato satis adparet adfectus. Non mehercules ieiuna esse et arida volo, quae de rebus renuntiat. multum tamen operae inpendi verbis non oportet. haec sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus:
- 4 concordet sermo cum vita. ille promissum suum inplevit, qui, et cum videas illum et cum audias, idem
- 5 est. videbimus, qualis sit, quantus sit, unde sit. Non delectent verba nostra, sed prosint. si tamen contingere

eloquentia non sollicito potest, si aut parata est aut parvo constat, adsit et res pulcherrimas prosequatur. sit talis, ut res potius quam se ostendat. aliae artes ad ingenium totae pertinent, hic animi negotium agitur. Non quaerit 6 aeger medicum eloquentem, sed, si ita conpetit, ut idem ille, qui sanare potest, compte de iis, quae facienda sunt, disserat, boni consulet. non tamen erit, quare gratuletur sibi, quod inciderit in medicum etiam disertum. hoc enim tale est, quale si peritus gubernator etiam formosus est. Quid aures meas scabis? quid oblectas? aliud agitur: 7 urendus, secandus, abstinendus sum. ad haec adhibitus es. curare debes morbum veterem, gravem, publicum. tantum negotii habes, quantum in pestilentia medicus. Circa verba occupatus es? iamdudum gaude, si sufficis rebus: quando, quae multa [*discere debes,*] disces? quando, quae didiceris, adfiges tibi ita, ut excidere non possint? quando illa experieris? non enim, ut cetera, memoriae tradidisse satis est: in opere temptanda sunt. non est beatus, qui scit illa, sed qui facit. „Quid ergo? 8 infra illum nulli gradus sunt? statim a sapientia praeceptus est?“ Non, ut existimo. nam qui proficit, in numero quidem stultorum est, magno tamen intervallo ab illis diducitur. Inter ipsos quoque proficientes sunt magna discrimina: in tres classes, ut quibusdam placet, dividuntur: primi sunt, qui sapientiam non- 9 dum habent, sed iam in vicinia eius constiterunt. tamen etiam quod prope est, extra est. Qui sint hi quaeris? qui omnes iam adfectus ac vitia posuerunt, quae erant conplectenda, didicerunt, sed illis adhuc inexperta fiducia est. bonum suum nondum in usu habent, iam tamen in illa, quae fugerunt, decidere non possunt. iam ibi sunt, unde non est retro lapsus, sed hoc illis de se nondum liquet: quod in quadam epistula scripsisse me memini, „scire se nesciunt.“ iam contigit illis bono suo frui, nondum confidere. Quidam hoc proficientium genus, de 10 quo locutus sum, ita conplectuntur, ut illos dicant iam effugisse morbos animi, adfectus nondum, et adhuc in lubrico stare, quia nemo sit extra periculum malitiae, nisi

qui totam eam excussit: nemo autem illam excussit, nisi
 11 qui pro illa sapientiam adsumpsit. Quid inter morbos
 animi intersit et adfectus, saepe iam dixi. nunc quoque
 te admonebo: morbi sunt inveterata vitia et dura, ut
 avaritia, ut ambitio nimia. *altius* haec animum implicue-
 runt et perpetua eius mala esse coeperunt. Ut breviter
 finiam, morbus est iudicium in pravo pertinax, tamquam
 valde expetenda sint, quae leviter expetenda sunt, vel, si
 mavis, ita finiamus: nimis inminere leviter petendis vel
 ex toto non petendis aut in magno pretio habere in aliquo
 12 habenda vel in nullo. Adfectus sunt motus animi impro-
 bables, subiti et concitati, qui frequentes neglectique fe-
 cere morbum, sicut distillatio una nec adhuc in morem
 adducta tussim facit, adsidua et vetus phthisin. itaque
 qui plurimum profecere, extra morbos sunt: adfectus ad-
 13 huc sentiunt perfecto proximi. Secundum genus est
 eorum, qui et maxima animi mala et adfectus deposuerunt,
 sed ita, ut non sit illis securitatis suae certa possessio.
 14 possunt enim in eadem relabi. Tertium illud genus
 extra mala multa et magna est, sed non extra omnia: effu-
 git avaritiam, sed iram adhuc sentit. iam non sollicitatur
 libidine, etiamnunc ambitione. iam non concupiscit, sed
 adhuc timet. et in ipso metu ad quaedam satis firmus
 est, quibusdam cedit. mortem contemnit, dolorem refor-
 15 midat. De hoc loco aliquid cogitemus: bene nobiscum
 agetur, si in hunc admittimur numerum. Magna felicitate
 naturae magnaue et adsidua intentione studii secundus
 occupatur gradus: sed ne hic quidem contemnendus est
 color tertius. Cogita, quantum circa te videas malorum,
 adspice, quam nullum sit nefas sine exemplo, quantum
 cotidie nequitia proficiat, quantum publice privatimque
 peccetur: intelleges satis nos consequi, si inter pessimos
 16 non sumus. „Ego vero, inquis, spero me posse et am-
 plioris ordinis fieri.“ Optaverim hoc nobis magis quam
 promiserim: praeoccupati sumus. ad virtutem contendi-
 mus inter vitia districti. pudet dicere, honesta colimus,
 quantum vacat: at quam grande praemium exspectat, si
 occupationes nostras et mala tenacissima abrumpimus!

non cupiditas, non timor nos pellet. inagitati terroribus, 17
 incorrupti voluptatibus nec mortem horrebimus nec deos:
 sciemus mortem malum non esse, deos malos non esse:
 tam inbecillum [est], quod nocet quam cui nocetur: op-
 tima vi noxia carent. Expectant nos, si ex hac ali- 18
 quando faece in illud evadimus sublime et excelsum,
 tranquillitas animi et expulsis erroribus absoluta libertas.
 Quaeris quae sit ista? non homines timere, non deos.
nec turpia velle nec nimia. in se ipsum habere maximam
potestatem: inaestimabile bonum est suum fieri. Vale.

EPISTULA V. (76.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Ininicitias mihi denuntias, si quicumque ex iis, quae 1
 cotidie facio, ignoraveris: vide, quam simpliciter tecum
 vivam: hoc quoque tibi committam. Philosophum audio
 et quidem quintum iam diem habeo, ex quo in scholam
 eo et ab octava disputantem audio. „bona, inquis, aetate.“
 quidni bona? quid autem stultius est quam, quia diu non
 didiceris, non discere? Quid ergo? idem faciam, quod 2
 trossuli et iuvenes? bene mecum agitur, si hoc unum se-
 nectutem meam *dedecet*. omnis aetatis homines haec
 schola admittit. in hoc senescamus, ut iuvenes sequamur.
 In theatrum senex ibo et in circum deferar et nullum par
 sine me depugnabit: ad philosophum ire erubescam?
 Tamdiu discendum est, quamdiu nescias: si proverbio 3
 credimus, „quamdiu vivis.“ nec ulli hoc rei magis con-
 venit quam huic: tamdiu discendum est, quemadmodum
vivas, quamdiu vivis. Ego tamen illic aliquid et doceo.
 quaeris, quid doceam? etiam seni esse discendum. Pudet 4
 autem me generis humani, quotiens scholam intravi.
 praeter ipsum theatrum Neapolitanorum, ut scis, transe-
 undum est Metronactis petentibus domum: illud quidem
 fartum est et ingenti studio, quis sit pythaulus bonus,
 iudicatur: habet tubicen quoque Graecus et praeco con-
 cursum: at in illo loco, in quo vir bonus quaeritur, in
 quo vir bonus discitur, paucissimi sedent, et hi plerisque

videntur nihil boni negotii habere, quod agant: inepti et inertes vocantur. Mihi contingat iste derisus: aequo animo audienda sunt inperitorum convicia et ad honesta
 5 vadenti contemnendus est ipse contemptus. Perge, Lucili, et propera, ne tibi accidat, quod mihi, ut senex discas: immo ideo magis propera, quoniam id nunc adgressus es, quod perdiscere vix senex possis. „Quantum, inquis,
 6 proficiam?“ quantum temptaveris. Quid exspectas? nulli sapere casu obtigit: pecunia veniet ultro. honor offeretur. gratia ac dignitas fortasse ingerentur tibi: virtus in te non incidet. ne levi quidem opera aut parvo labore cognoscitur: sed est tanti laborare omnia bona semel occupaturo. unum est enim bonum, quod honestum: in illis nihil in-
 7 venies veri, nihil certi, quaecumque famiae placent. Quare unum sit bonum, quod honestum, dicam, quoniam parum me exsecutum priori epistula iudicas magisque hanc rem tibi laudatam quam probatam putas, et in artum, quae dicta sunt, contraham.

8 Omnia suo bono constant: vitem fertilitas commendat et sapor vinum, velocitas cervum. quam fortia dorso iumenta sint quaeris, quorum hic unus est usus, sarcinam ferre. in cane sagacitas prima est, si investigare debet feras, cursus, si consequi, audacia, si mordere et invadere: id in quoque optimum esse debet, cui nascitur,
 9 quo censetur. In homine optimum quid est? ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur. ratio ergo perfecta proprium bonum est, cetera illi cum animalibus satisque communia sunt: valet: et leones. formosus est: et pavones. velox est: et equi. Non dico, in his omnibus vincitur. non quaero, quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet: et arbores. habet inpetum ac motum voluntarium: et bestiae et vermes. habet vocem: sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilae, graviorem
 10 tauri, dulciorem mobilioremque luscinii? Quid in homine proprium? ratio. haec recta et consummata felicitatem hominis inplevit. ergo si omnis res, cum bonum suum perfecit, laudabilis est et ad finem naturae suae pervenit, homini autem suum bonum ratio est: si hanc perfecit,

laudabilis est et finem naturae suae tetigit. haec ratio perfecta virtus vocatur eademque honestum est. Id itaque 11 unum bonum est in homine, quod unum hominis est. nunc enim non quaerimus, quid sit bonum, sed quid sit hominis bonum. si nullum aliud est hominis quam ratio, haec erit unum eius bonum, sed pensandum cum omnibus. Si sit aliquis malus, puto improbabitur. si bonus, puto probabitur. id ergo in homine primum solumque est, quo et probabitur et improbabitur. Non dubitas, an hoc sit 12 bonum: dubitas an solum bonum sit. Si quis omnia alia habeat, valitudinem, divitias, imagines multas, frequens atrium, sed malus ex confesso sit: improbabis illum. item si quis nihil quidem illorum, quae retuli, habeat, deficiatur pecunia, clientium turba, nobilitate et avorum proavorumque serie, sed ex confesso bonus sit: probabis illum. Ergo hoc unum est bonum hominis, quod qui habet, etiamsi aliis destituitur, laudandus est. quod qui non habet, in omnium aliorum copia damnatur ac reicitur. Quae condicio rerum, eadem hominum est: navis bona 13 dicitur non quae pretiosis coloribus picta est nec cui argenteum aut aureum rostrum est nec cuius tutela ebore caelata est nec quae fiscis atque opibus regiis pressa est, sed stabilis et firma et iuncturis aquam excludentibus spissa, ad ferendum incursum maris solida, gubernaculo parens, velox et non sentiens ventum. gladium bonum 14 dices non cui auratus est balteus nec cuius vagina gemmis distinguitur, sed cui et ad secandum subtilis acies est et mucro munimentum omne rupturus. regula non quam formosa, sed quam recta sit quaeritur: eo quidque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est. Ergo 15 in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum aret. quantum feneret, et quam multis salutetur, quam pretioso incumbat lecto, quam perlucido poculo bibat, sed quam bonus sit: bonus autem est, si ratio explicita et recta est et ad naturae suae voluntatem adcommodata. Haec vo- 16 catur virtus, hoc est honestum et unicum hominis bonum. nam cum sola ratio perficiat hominem, sola ratio perfecta beatum facit: hoc autem unum bonum est, quo uno bea-

tus efficitur. Dicimus et illa bona esse, quae a virtute profecta contactaque sunt, id est opera eius omnia. sed
 17 ideo unum ipsa bonum est, quia nullum sine illa est. Si omne in animo bonum est, quicquid illum confirmat, extollit, amplificat, bonum est: validiorem autem animum et excelsiorem et ampliorem facit virtus. nam cetera, quae cupiditates nostras iritant, deprimunt quoque animum et labefaciunt et, cum videntur ad tollere, inflant ac multa vanitate deludunt. ergo unum id bonum est, quo
 18 melior animus efficitur. Omnes actiones totius vitae honesti ac turpis respectu temperantur: ad haec faciendi et non faciendi ratio dirigitur. quid sit hoc, dicam: vir bonus quod honeste se facturum putaverit, faciet, etiamsi laboriosum erit. faciet, etiamsi damnosum erit. faciet, etiamsi periculosum erit: rursus quod turpe erit, non faciet, etiamsi pecuniam adferet, etiamsi voluptatem, etiamsi potentiam. ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia
 19 nulla invitabitur. Ergo si honestum utique secuturus est, turpe utique vitaturus et in omni actu vitae spectaturus haec duo, nec aliud bonum quam honestum nec aliud malum quam turpe, si una indepravata virtus est et sola permanet tenoris sui: unum est bonum virtus, cui iam accidere, ne sit bonum, non potest. mutationis periculum effugit: stultitia ad sapientiam erepit. sapientia in
 20 stultitiam non revolvitur. Dixi, si forte meministi, concupita volgo et formidata inconsulto inpetu plerosque calcasse: inventus est, qui flammis inponeret manum, cuius risum non interrumperet tortor, qui in funere liberorum lacrimam non mitteret, qui morti non trepidus occurreret. amor et ira et cupiditas pericula depoposcerunt: quod potest brevis obstinatio animi aliquo stimulo excitata, quanto magis virtus, quae non ex inpetu nec subito,
 21 sed aequaliter valet, cui perpetuum robur est? Sequitur, ut, quae ab inconsultis saepe contemnantur, a sapientibus semper, ea nec bona sint nec mala. unum ergo bonum ipsa virtus est, quae inter hanc fortunam et illam superba
 22 incedit cum magno utriusque contemptu. Si hanc opinionem receperis, aliquid bonum esse praeter honestum,

nulla non virtus laborabit. nulla enim obtineri poterit, si quicquam extra se respexerit. quod si est, rationi repugnat, ex qua virtutes sunt, et veritati, quae sine ratione non est: quaecumque autem opinio veritati repugnat, falsa est. Virum bonum concedas necesse est summae pietatis erga deos esse. itaque quicquid illi accidit, aequo animo sustinebit. sciet enim id accidisse lege divina, qua universa procedunt. quod si est, unum illi bonum erit, quod honestum. in hoc enim positum est et parere dis nec excandescere ad subita nec deplorare sortem suam, sed patienter excipere fatum et facere imperata. Si ullum aliud est bonum quam honestum, sequetur nos aviditas vitae, aviditas rerum vitam *instruentium*, quod est intolerabile, infinitum, vagum. solum ergo bonum est honestum, cui modus est. Diximus futuram hominum felicior²³ vitam quam deorum, si ea bona sunt, quorum nullus dis usus est, tamquam pecunia, honores: adice nunc, quod, si modo solutae corporibus animae manent, felicior illis status restat quam est, dum versantur in corpore. atqui si ista bona sunt, quibus per corpora utimur, emissis erit peius, quod contra fidem est, feliciores esse liberis et in universum datis elusas et obsessas. Illud quoque dix²⁴ ram, si bona sunt ea, quae tam homini contingunt quam mutis animalibus, et muta animalia beatam vitam actura: quod fieri nullo modo potest. Omnia pro honesto pati²⁵ enda sunt: quod non erat faciendum, si esset ullum aliud bonum quam honestum. Haec quamvis latius exsecutus essem priori epistula, constrinxi et breviter percucurri. Numquam autem vera tibi²⁶ opinio talis videbitur, nisi animum adleves et te ipse interroges, si res exegerit, ut pro patria moriaris et salutem omnium civium tua redimas, an porrecturus sis cervicem non tantum patienter, sed etiam libenter: si hoc facturus es, nullum aliud bonum est. omnia enim relinquis, ut hoc habeas. Vide quanta vis honesti sit: pro republica morieris, etiamsi statim facturus hoc eris, cum scieris tibi esse faciendum. Interdum ex re pulcherrima magnum²⁸ gaudium etiam exiguo tempore ac brevi capitur, et quam-

vis fructus operis peracti nullus ad defunctum exemptumque rebus humanis pertineat, ipsa tamen contemplatio futuri operis iuvat et vir fortis et iustus, cum mortis suae pretia ante se posuit, libertatem patriae, salutem omnium, pro quibus dependit animam, in summa voluptate est et periculo suo fruitur. Sed ille quoque, cui hoc gaudium eripitur, quod tractatio operis maxime et ultime praestat, nihil cunctatus desiliet in mortem, facere recte pieque contentus. obpone etiam nunc illi multa quae dehortentur. dic: „factum tuum matura sequetur oblivio et parum grata existimatio civium.“ respondebit tibi: „ista omnia extra opus meum sunt. ego ipsum contemplor. hoc esse honestum scio. itaque quocumque ducit ac vocat, venio.“ Hoc ergo unum bonum est, quod non tantum perfectus animus, sed generosus quoque et indolis bonae sentit: cetera levia sunt, mutabilia. itaque sollicite possidentur: etiamsi favente fortuna in unum congesta sunt, dominis suis incumbunt gravia et illos semper premunt, aliquando et inlidunt. Nemo ex istis, quos purpuratos vides, felix est, non magis quam ex illis, quibus sceptrum et chlamyden in scena fabulae adsignant: cum praesente populo lati incesserunt et cothurnati, simul exierunt, excalceantur et ad staturam suam redeunt. nemo istorum, quos divitiae honoresque in altiore fastigio ponunt, magnus est. quare ergo magnus videtur? cum basi illum sua metiris. magnus * non est pumilio, licet in monte constiterit. colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, sic nobis inponitur, quod neminem aestimamus eo, quod est, sed adicimus illi et ea, quibus adornatus est: atqui cum voles veram hominis aestimationem inire et scire, qualis sit, nudum inspice: ponat patrimonium, ponat honores et alia fortunae mendacia, corpus ipsum exuat: animum intuere, qualis quantusque sit, alieno an suo magnus. Si rectis oculis gladios micantes videt et si scit sua nihil interesse, utrum anima per os an per iugulum exeat, beatum voca: si, cum illi denuntiata sunt corporis tormenta et quae casu veniunt et quae potentioris iniuria,

si vincula et exilia et vanas humanarum formidines mentium securus audit et dicit:

„Non ulla laborum,

o virgo, nova mi facies inopinave surgit:

omnia praecepi atque animo mecum ipse peregi.

tu hodie ista denuntias: ego semper denuntiavi mihi et hominem paravi et ad humana.“ Praecogitati mali mollis³⁴ ictus venit. at stultis et fortunae credentibus omnis videtur nova rerum et inopinata facies. magna autem pars est apud inperitos mali novitas: hoc ut scias, ea, quae putaverant aspera, fortius, cum adsuevere, patiuntur. Ideo sapiens adsuescit futuris malis et quae alii diu pati³⁵ tiendo levia faciunt, hic levia facit diu cogitando. Audimus aliquando voces inperitorum dicentium: „sciebam hoc mihi restare:“ sapiens scit sibi omnia restare. quicquid factum est, dicit: „sciebam.“ Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER X.

EPISTULA I. (77.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Subito nobis hodie Alexandrinae naves adparuerunt, 1 quae praemitti solent et nuntiare secuturae classis adventum: tabellarias vocant. gratus illarum Campaniae adspectus est: omnis in pilis Puteolorum turba consistit et ex ipso genere velorum Alexandrinas quamvis in magna turba navium intellegit. solis enim licet siparum intendere, quod in alto omnes habent naves. (nulla enim 2 res aequae adiuvat cursum quam summa pars veli: illinc

maxime navis urgetur. itaque quotiens ventus increbruit maiorque est quam expedit, antenna submittitur: minus habet virium flatus ex humili.) cum intravere Capreas et promontorium, ex quo

alta procelloso speculatur vertice Pallas,

ceterae velo iubentur esse contentae: siparum Alexandrinarum insigne [indicium] est. In hoc omnium discursu properantium ad litus magnam ex pigritia mea sensi voluptatem, quod epistulas meorum accepturus non properavi scire, quis illic esset rerum mearum status, quid adferrent: olim iam nec perit quicquam mihi nec acquiritur. Hoc, etiamsi senex non essem, fuerat sentiendum: nunc vero multo magis, quia quantulumcumque haberem, tamen plus iam mihi superesset vialici quam viac, praesertim cum eam viam simus ingressi, quam peragere non
4 est necesse. Iter imperfectum erit, si in media parte aut citra petitum locum steteris: vita non est imperfecta, si honesta est. ubicumque desines, si bene desinis, tota est. saepe autem et fortiter desinendum est et non ex maximis
5 causis. nam nec maximae sunt, quae nos tenent. Tullius Marcellinus, quem optime noveras, adulescens quietus et cito senex, morbo et non insanabili correptus, sed longo et molesto et multa imperante, coepit deliberare de morte. convocavit conplures amicos: unusquisque, aut quia timidus erat, id illi suadebat, quod sibi suasisset, aut quia adulator et blandus, id consilium dabat, quod deliberanti
6 gratius fore suspicabatur: amicus noster Stoicus, homo egregius et, ut verbis illum, quibus laudari dignus est, laudem, vir fortis ac strenuus, videtur mihi optime illum cohortatus. sic enim coepit: „Noli, mi Marcelline, torqueri, tamquam de re magna deliberes. non est res magna vivere: omnes servi tui vivunt, omnia animalia: magnum est honeste mori, prudenter, fortiter. Cogita, quamdiu iam idem facias: cibus, somnus, libido: per hunc circulum curritur. Mori velle non tantum prudens
7 aut fortis aut miser, etiam fastidiosus potest.“ Non opus erat suasore illi, sed adiutore: servi parere nolebant. Primum detraxit illis metum et indicavit tunc familiam

periculum adire, cum incertum esset, an mors domini voluntaria fuisset: alioquin tam mali exempli esse occidere dominum quam prohibere. Deinde ipsum Marcel- 8
linum admonuit non esse inhumanum, quemadmodum coena peracta reliquiae circumstantibus dividantur, sic peracta vita aliquid porrigi his, qui totius vitae ministri fuissent. erat Marcellinus facilis animi et liberalis, etiam cum de suo fieret: minutas itaque summulas distribuit flentibus servis et illos ultro consolatus est. Non fuit 9
illi opus ferro, non sanguine: triduo abstinuit et in ipso cubiculo poni tabernaculum iussit. solium deinde inlatum est, in quo diu iacuit et calda subinde subfusa paulatim defecit, ut aiebat, non sine quadam voluptate, quam adferre solet lenis dissolutio non inexperta nobis, quos aliquando liquit animus. In fabellam excessi non ingrati- 10
tibi. exitum enim amici tui cognosces non difficilem nec miserum. quamvis enim mortem sibi consciverit, tamen mollissime excessit et vitae elapsus est. sed ne inutilis quidem haec fabella fuerit: saepe enim talia exempla necessitas exigit. saepe debemus mori nec volumus: morimur nec volumus. Nemo tam inperitus est, ut nesciat 11
quandoque moriendum: tamen cum prope accessit, tergiversatur, tremit, plorat. Nonne tibi videbitur stultissimus omnium, qui flevit, quod ante annos mille non vixerat? aequè stultus est, qui flet, quod post annos mille non vivet. haec paria sunt: non eris nec fuisti. utrumque tempus alienum est. In hoc puncto coniectus es, quod 12
ut extendas, quousque extends? Quid fles? quid optas? perdis operam.

desine fata deum flecti sperare precando.

rata et fixa sunt et magna atque aeterna necessitate ducuntur. eo ibis, quo omnia eunt. quid tibi novi est? ad hanc legem natus es. hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc omnibus ante te, hoc omnibus post te. series invicta et nulla mutabilis ope inligavit ac trahit cuncta. Quantus te populus moriturorum sequetur? quan- 13
tus comitabitur? fortior, ut opinor, esses, si multa milia tibi commorerentur: atqui multa milia hominum et ani-

malium hoc ipso momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt. tu autem non putabas te aliquando ad id perventurum, ad quod semper ibas? Nul-
14 lum sine exitu iter est. Exempla nunc magnorum viro-
rum metibi iudicas relaturum? puerorum referam. Lacon ille memoriae traditur impubis adhuc, qui captus clamabat „*non serviam*“ sua illa Dorica lingua, et verbis fidem imposuit: ut primum iussus est servili fungi et contumelioso ministerio, adferre enim vas obscoenum iubebatur, inlissum
15 parieti caput rupit. Tam prope libertas est: et servit aliquis? ita non sic perire filium tuum malles quam per inertiam senem fieri? quid ergo est, cur perturberis, si mori fortiter etiam puerile est? puta nolle te sequi: duceris. Fac tui iuris, quod alieni est. non sumes pueri spiritum, ut dicas „non servio“? Infelix, servis hominibus, servis rebus, servis vitae. nam vita, si moriendi
16 virtus abest, servitus est. Ecquid habes, propter quod
exspectes? voluptates ipsas, quae te morantur ac retinent,
consumpsisti. nulla tibi nova est, nulla non iam odiosa
ipsa satietate: quis sit vini, quis mulsi sapor, scis. nihil
interest, centum per vesicam tuam an mille amphorae
transeant: saccus es. quid sapiat ostreum, quid mullus,
optime nosti: nihil tibi luxuria tua in futuros annos re-
servavit intactum: atqui haec sunt, a quibus invitus di-
17 velleris. Quid est aliud, quod tibi eripi doleas? *amicus est et patria?* tanti enim illam putas, ut tardius coenes? solem quoque, si posses, exstingueres. quid enim unquam fecisti luce dignum? confitere non curiae te, non fori, non ipsius rerum naturae desiderio tardio rem ad moriendum fieri: invitus relinquis macellum, in quo nihil
18 reliquisti. Mortem times: at quomodo illam media oblectatione contemnis? vivere vis: scis enim? mori times: quid porro? ista vita non mors est? Caesar, cum illum transeuntem per Latinam viam unus ex custodiarum agmine demissa usque in pectus vetere barba rogaret mortem: „*nunc enim, inquit, vivis?*“ Hoc istis respondendum est, quibus succursura mors est: mori times:
19 nunc enim vivis? „Sed ego, inquit, vivere volo, qui

multa honeste facio. invitus relinquo officia vitae, quibus fideliter et industrie fungor.“ Quid? tu nescis unum esse ex vitae officiis et mori? nullum officium relinquis. non enim certus numerus, quem debeas explere, finitur. Nulla vita est non brevis. nam si ad naturam rerum respexeris, etiam Nestoris et Statiziae brevis est, quae inscribi monumento suo iussit annis se nonaginta novem vixisse. vides aliquem gloriari senectute longa. quis illam ferre potuisset, si contigisset centesimum implere? Quomodo fabula, sic vita non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. nihil ad rem pertinet, quo loco desinas. quocumque voles desine: tantum bonam clausulam impone. Vale.

EPISTULA II. (78.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Vexari te distillationibus crebris ac febriculis, quae longas distillationes et in consuetudinem adductas sequuntur, eo molestius mihi est, quia expertus sum hoc genus valitudinis, quod inter initia contempsi: poterat adhuc adulescentia iniurias ferre et se adversus morbos contumaciter gerere. deinde subcubui et eo perductus sum, ut ipse distillarem ad summam maciem deductus. Saepe inpetum cepi abrumpendae vitae: patris me gentissimi senectus retinuit. cogitavi enim non quam fortiter ego mori possem, sed quam ille fortiter desiderare non posset. itaque imperavi mihi, ut viverem. aliquando enim et vivere fortiter facere est. Quae mihi tunc fuerint solatio dicam, si prius hoc dixero, haec ipsa, quibus adquiescebam, medicinae vim habuisse. in remedium cedunt honesta solatia: et quicquid animum erexit, etiam corpori prodest: studia mihi nostra saluti fuerunt. philosophiae acceptum fero, quod surrexi, quod convalui. illi vitam debeo et nihil [illi] minus debeo**. Multum mihi contulerunt ad bonam valitudinem amici, quorum adhortationibus, vigiliis, sermonibus adlevabar. Nihil aequae, Lucili, virorum optime, aegrum reficit atque adjuvat quam amicorum adfectus. nihil aequae exspecta-

tionem mortis ac metum subripit: non iudicabam me, cum illos superstites relinquerem, mori. putabam, inquam, me victurum non cum illis, sed per illos. non effundere mihi spiritum videbar, sed tradere. Haec mihi dederunt voluntatem adiuvandi me et patiendi omne tormentum: alioquin miserrimum est, cum animum moriendi proieceris, non habere vivendi. Ad haec ergo remedia te confer. medicus tibi quantum ambules, quantum exercearis, monstrabit. ne indulgeas otio, ad quod vergit iners validudo. ut legas clarius et spiritum, cuius iter ac receptaculum laborat, exerceas. ut naviges et viscera molli iactatione concutias. quibus cibis utaris. vinum quando virium causa advoces, quando intermittas, ne iritet et exasperet tussim: ego tibi illud praecipio, quod non tantum huius morbi, sed totius vitae remedium est: contemne mortem. nihil triste est, cum huius metum effugimus. Tria haec in omni morbo gravia sunt: metus mortis, dolor corporis, intermissio voluptatum. De morte satis dictum est: hoc unum dicam, non morbi hunc esse, sed naturae metum. multorum mortem distulit morbus et saluti illis fuit videri perire. Morieris, non quia aegrotas, sed quia vivis. ista te res et sanatum manet: cum convalueris, non mortem, sed validudinem effugies. Ad illud nunc proprium incommodum revertamur: magnos cruciatus habet morbus. sed hos tolerabiles intervalla faciunt. nam summi doloris intentio invenit finem. nemo potest valde dolere et diu: sic nos amantissima nostri natura disposuit, ut dolorem aut tolerabilem aut brevem faceret. Maximi dolores in macerrimis consistunt corporis partibus: nervi articuli que et quicquid aliud exile est, acerrime saevit, cum in arto vitia concepit. sed cito hae partes obstupescunt et ipso dolore sensum doloris amittunt, sive quia spiritus naturali prohibitus cursu et mutatus in peius vim suam, qua viget admonetque nos, perdit, sive quia corruptus humor, cum desiit habere, quo confluat, ipse se elidit et iis, quae nimis inplevit, excutit sensum.

9 Sic podagra et chiragra et omnis vertebrarum dolor et ner-

vorum interquiescit, cum illa, quae torquebat, hebetavit: omnium istorum prima verminatio vexat, inpetus mora exstinguitur et finis dolendi est obtorpuisse. Dentium, oculorum, aurium dolor ob hoc ipsum acutissimus est, quod inter angusta corporis nascitur, non minus, mehercules, quam capitis ipsius: sed si incitator est, in alienationem soporemque convertitur. Hoc itaque solatium vasti doloris est, quod necesse est desinas illum sentire, si nimis senseris. illud autem est, quod inperitos in vexatione corporis male habet: non adsueverunt animo esse contenti. multum illis cum corpore fuit. Ideo vir magnus ac prudens animum diducit a corpore et multum cum meliore ac divina parte versatur: cum hac querula et fragili, quantum necesse est. „Sed molestum est, inquit, carere adsuetis voluptatibus, abstinere cibo, sitire, esurire.“ Haec prima abstinentia gravia sunt. deinde cupiditas relanguescit ipsis per [se,] quae cupimus, fatigatis ac deficientibus: inde morosus est stomachus. inde quibus fuit aviditas, odium est. desideria ipsa moriuntur. non est autem acerbum carere eo, quod cupere desieris. Adice, quod nullus non intermittitur dolor aut certe remittitur. adice, quod licet et cavere venturum et obsistere imminenti remediis. nullus enim non signa praemittit, utique qui ex solito revertitur. Tolerabilis est morbi patientia, si contempseris id, quod extremum minatur. Noli mala tua facere tibi ipse graviora et te querelis onerare. levis est dolor, si nihil illi opinio adiecerit: contra, si exhortari te coeperis ac dicere: „nihil est“ aut certe „exiguum est. duremus: iam desinet“: levem illum, dum putas, facies. Omnia ex opinione suspensa sunt: non ambitio tantum ad illam respicit et luxuria et avaritia: ad opinionem dolemus. tam miser est quisque quam credidit. Detrahendas praeteritorum dolorum conquestiones puto et illa verba. „nulli umquam fuit peius. quos cruciatus, quanta mala pertuli! nemo me surrecturum putavit. quotiens deploratus sum a meis, quotiens a medicis relictus! in eculeum inpositi non sic distrahuntur.“ etiamsi sunt vera

ista, transierunt. quid iuvat praeteritos dolores retractare et miserum esse, quia fueris? Quid, quod nemo non multum malis suis adicit et sibi ipse mentitur? (Deinde quod acerbum fuit, retulisse iucundum est: naturale est mali sui fine gaudere.) Circumcidenda ergo duo sunt, et futuri timor et veteris incommodi memoria: hoc ad
 15 me iam non pertinet, illud nondum. In ipsis positus difficultatibus dicat:

forsan et haec olim meminisse iuvabit.

Toto contra illum pugnet animo: vincetur, si cesserit. vincet, si se contra dolorem suum intenderit: nunc hoc plerique faciunt, adtrahunt in se ruinam, cui obstandum est. Istud quod premit, quod inpendet, quod urget, si subducere te coeperis, sequetur et gravius incumbet: si
 16 contra steteris et obniti volueris, repelletur. Athletae quantum plagarum-ore, quantum toto corpore excipiunt? ferunt tamen omne tormentum gloriae cupiditate nec tantum, quia pugnant, ista patiuntur, sed ut pugnent. exercitatio ipsa tormentum est: nos quoque evincamus omnia, quorum praemium non corona nec palma est nec tubicen praedicationi nominis nostri silentium faciens, sed virtus et firmitas animi et pax in ceterum parta, si semel in
 17 aliquo certamine debellata fortuna est. „Dolorem gravem sentio.“ Quid ergo? non sentis, si illum muliebriter tuleris? Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus, sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti et averso. „Sed grave est.“ Quid? nos ad hoc fortes sumus, ut leviam portemus? Utrum vis longum esse morbum an concitatum et brevem? si longus est, habet intercaepidinem, dat refectioni locum, multum temporis donat, necesse est, ut exurgat, et desinat. brevis morbus ac praeceps alterutrum faciet: aut exstinguetur aut exstinguet. quid autem interest, non sit an non sim? in utro-
 18 que finis dolendi est. Illud quoque proderit, ad alias cogitationes avertere animum et a dolore discedere: cogita quid honeste, quid fortiter feceris. bonas partes tecum ipse tracta. memoriam in ea, quae maxime miratus es, sparge. tunc tibi fortissimus

quisque et victor doloris occurrat: ille, qui cum varices
exsecandas praeberet, legere librum perseveravit. ille,
 qui non desiit ridere, cum [ob] hoc ipsum irati tortores
 omnia instrumenta crudelitatis suae experirentur: non
 vincetur dolor ratione, qui victus est risu? Quicquid vis 19
 nunc licet dicas, distillationes et vim continuae tussis
 egerentem viscerum partes et febrem praecordia ipsa tor-
 rentem et sitim et artus in diversum articulis exeuntibus
 tortos: plus est flamma et eculeus et lamina et vulneri-
 bus ipsis intumescantibus quod illa renovaret et altius
 urgeret inpressum: inter haec tamen aliquis non gemuit.
 parum est: non rogavit. parum est: non respondit.
 parum est: risit et quidem ex animo: vis tu post haec
 dolorem deridere? „Sed nihil, inquit, agere sinit 20
morbis, qui me omnibus abduxit officiis.“
 Corpus tuum validudo tenet, non et animum. itaque cur-
 soris moratur pedes, sutoris aut fabri manus inpediet:
 si animus tibi esse in usu solet, suadebis, docebis, au-
 dies, disces, quaeres, recordaberis. quid porro? nihil
 agere te credis, si temperans aeger sis? ostendes mor-
 bum posse superari vel certe sustineri. Est, mihi 21
crede, virtuti etiam in lectulo locus. non tantum
 arma et acies dant argumenta alacris animi indomi-
 tique terroribus: et in vestimentis vir fortis adparet.
 habes, quod agas: bene luctare cum morbo. si nihil te
 eoegerit, si nihil exoraverit, insigne prodis exemplum.
 O quam magna erat gloriae materia, si spectaremur
 aegri! ipse te specta, ipse te lauda. Praeterea duo sunt 22
 genera voluptatum: corporales morbus inhibet, non ta-
 men tollit. immo, si verum aestimes, incitat: magis iuvat
 bibere sitientem. gratior est esurienti cibus. quicquid
 ex abstinentia contigit, avidius excipitur: illas vero animi
 voluptates, quae maiores certioresque sunt, nemo me-
 dicus aegro negat. has quisquis sequitur et bene intelle-
 git, omnia sensuum blandimenta contemnit. „O infelicem 23
 aegrum!“ Quare? quia non vino nivem diluit. quia non
 rigorem potionis suae, quam capaci scypho miscuit, re-
 novat fracta insuper glacie. quia non ostrea illi Lucrina

in ipsa mensa aperiuntur. quia non circa coenationem eius tumultus coquorum est ipsos cum obsoniis focos transferentium. hoc enim iam luxuria commenta est: ne quis intepescat cibus, ne quid palato iam calloso parum
 24 ferveat, coenam culina prosequitur. „O infelicem aegrum!“ Edet, quantum concoquat. non iacebit in conspectu aper ut vilis caro a mensa relegatus, nec in repositoio eius pectora avium (totas enim videre fastidium est) congesta ponentur: quid tibi mali factum est? coenabis tam-
 25 quam aeger, immo aliquando tamquam sanus. Sed omnia ista facile perferemus, sorbitionem, aquam calidam et quicquid aliud intolerabile videtur delicatis et luxu fluentibus magisque animo quam corpore morbidis: tantum mortem desinamus horrere. desinemus autem, si fines bonorum ac malorum cognoverimus: ita demum nec
 26 vita taedio erit nec mors timori. vitam enim occupare satietas sui non potest tot res varias, magnas, divinas percensentem: in odium illam sui adducere solet iners otium. rerum naturam peragranti numquam in fastidium veritas
 27 veniet: falsa satiabunt. Rursus si mors accedit et vocat, licet inmatura sit, licet mediam praecedat aetatem, perceptus longissime fructus est. cognita est illi ex magna parte natura. scit tempore honesta non crescere: his necesse est videri omnem vitam brevem, qui illam volu-
 28 ptatibus vanis et ideo infinitis metiuntur. His te cogitationibus recrea et interim epistulis nostris vacando. veniet aliquod tempus, quod nos iterum iungat ac misceat: quantumlibet sit illud, longum faciet scientia utendi. nam, ut Posidonius ait, „unus dies hominum eruditorum plus patet quam inperitis longissima aetas.“ Interim hoc tene, hoc morde: adversis non succumbere, laetis non credere, omnem fortunae licentiam in oculis habere, tamquam quicquid potest facere, factura sit. Quicquid exspectatum est diu, levius accedit. Vale.

EPISTULA III. (79.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Exspecto epistulas tuas, quibus indices

mihi, circumitus Siciliae totius quid tibi novi
 ostenderit, et omnia de ipsa Charybdi cer-
 tiora. nam Scyllam saxum esse et quidem non terribile
 navigantibus optime scio: Charybdis an respondeat fabu-
 lis, perscribi mihi desidero et, si forte observaveris, di-
 gnum est autem, quod observes, fac nos certiores, utrum
 uno tantum vento agatur in vortices an omnis tempestas
 aequè mare illud contorqueat, et an verum sit, quicquid
 illo freti turbine adreptum est, per multa milia trahi con-
 ditum et circa Tauromenitanum litus emergere. Si haec 2
 mihi perscripseris, tunc tibi audebo mandare, ut
 in honorem meum Aetnam quoque adscendas,
 quam consumi et sensim subsidere ex hoc colligunt qui-
 dam, quod aliquando longius navigantibus solebat ostendi.
 potest hoc accidere, non quia montis altitudo descendit,
 sed quia ignis evanuit et minus vehemens ac largus effertur,
 ob eandem causam fumo quoque per diem signiore.
 neutrum autem incredibile est, nec montem, qui devoretur
 cotidie, minui nec ignem non manere eundem, qui non
 ipsum exest, sed in aliqua inferna valle conceptus exae-
 stuat et aliis pascitur, in ipso monte non alimentum habet,
 sed viam. In Lycia regio notissima est, Hephaestion in- 3
 colae vocant, foratum pluribus locis solum, quod sine
 ullo nascentium damno ignis innoxius circumit. laeta
 itaque regio est et herbida nil flammis adolentibus, sed
 tantum vi remissa ac languida refulgentibus. Sed reser- 4
 venus ista tunc quaesituri, cum tu mihi scripseris, quan-
 tum ab ipso ore montis nives absint, quas ne aestas qui-
 dem solvit: adeo tutae sunt ab igne vicino. Non est autem
 quod istam curam inputes mihi. morbo enim tuo daturus
 eras, etiamsi nemo mandaret tibi. [do]nec [pudor obstet, 5
 ne] Aetnam describas in tuo carmine et hunc
 solemnem omnibus poetis locum adtingas:
 quem quo minus Ovidius tractaret, nihil obstitit, quod
 iam Vergilius inpleverat. ne Severum quidem Cornelium
 uterque deterruit. omnibus praeterea feliciter hic locus
 se dedit et qui praecesserant, non praeripuisse mihi vi-
 dentur, quae dici poterant, sed aperuisse. Sed multum 6

interest, utrum ad consumptam materiam an ad subactam
 accedas: crescit in dies et inventuris inventa non obstant.
 Praeterea condicio optima est ultimi: parata verba inven-
 nit, quae aliter instructa novam faciem habent. nec illis
 manus incit tamquam alienis. sunt enim publica. iuris-
 7 consulti negant quicquam publicum usucapi. Aut ego
 te non novi aut Aetna tibi salivam movet. iam cupis
 grande aliquid et par prioribus scribere. plus enim spe-
 rare modestia tibi tua non permittit, quae tanta in te est,
 ut videaris mihi retracturus ingenii tui vires, si vincendi
 8 periculum sit: tanta tibi priorum reverentia est. Inter
 cetera hoc habet boni sapientia: non potest
 vinci. Nemo ab altero potest vinci, nisi dum adscendi-
 tur. cum ad summum perveneris, paria sunt, non est
 incremento locus, statur: numquid sol magnitudini suae
 adicit? numquid ultra quam solet, luna procedit? ma-
 ria non crescunt. mundus eundem habitum ac modum
 9 servat. Extollere se, quae iustam magnitudinem imple-
 vere, non possunt: quicumque fuerint sapientes, pares
 erunt et aequales. Habebit unusquisque ex his proprias
 dotes: alius erit affabilior, alius expeditior, alius prom-
 ptior in eloquendo, alius facundior: illud, de quo agitur,
 10 quod beatum facit, aequale in omnibus. An Aetna tua
 possit sublabi et in se ruere, an hoc excelsum cacumen
 et conspicuum per vasti maris spatia detrahat adsidua
 vis ignium, nescio: virtutem non flamma, non
 ruina inferius adducet. haec una maiestas deprimi
 nescit. nec proferri ultra nec referri potest. sic huius,
 ut coelestium, statuta magnitudo est. ad hanc nos co-
 11 nemur educere. Iam multum operis effecti est: immo,
 si verum fateri volo, non multum. nec enim bonitas
 est pessimis esse meliorem: quis oculis gloriatur, qui
 suspicetur diem, cui sol per caliginem splendet? licet
 contentus interim sit effugisse tenebras, adhuc non fruitur
 12 bono lucis. Tunc animus noster habebit, quod gratuletur
 sibi, cum emissus his tenebris, in quibus volutatur, non
 tenui visu clara prospexerit, sed totum diem admiserit
 et coelo redditus suo fuerit, cum receperit locum, quem

occupavit sorte nascendi. sursum illum vocant initia sua. erit autem illic etiam antequam hac custodia exsolvatur, cum vitia disiecerit purusque ac levis in cogitationes divinas emicuerit. Hoc nos agere, Lucili carissime, in hoc **13** ire inpetu toto, licet pauci sciant, licet nemo, iuvat. Gloria umbra virtutis est: etiam invitam comitabitur. sed quemadmodum umbra aliquando antecedit, aliquando [sequitur vel] a tergo est, ita gloria aliquando ante nos est visendamque se praebet, aliquando in averso est maiorque quo serior, ubi invidia secessit. Quamdiu **14** videbatur furere Democritus! vix recepit Socratem fama. quamdiu Catonem civitas ignoravit! respuit nec intellexit, nisi cum perdidit. Rutilii innocentia ac virtus lateret, nisi accepisset iniuriam: dum violatur, effulsit. numquid non sorti suae gratias egit et exilium suum complexus est? De his loquor, quos illustravit fortuna, dum vexat: quam multorum profectus in notitiam evasere post ipsos? quam multos fama non excepit, sed eruit? Vides Epicu- **15** rum quanto opere non tantum eruditiores, sed haec quoque inperitorum turba miretur: hic ignotus ipsis Athenis fuit, circa quas delituerat. multis itaque iam annis Metrodoro suo superstes in quadam epistula, cum amicitiam suam et Metrodori grata commemoratione cecinisset, hoc novissime adiecit: „nihil sibi et Metrodoro inter bona tanta nocuisse, quod ipsos illa nobilis Graecia non ignotos solum habuisset, sed paene inauditos.“ Numquid **16** ergo non postea quam esse desierat, inventus est? numquid non opinio eius enituit? Hoc Metrodorus quoque in quadam epistula confitetur, „se et Epicurum non satis enituisse: sed post se et Epicurum magnum paratumque nomen habituros apud eos, qui voluissent per eadem ire vestigia.“ Nulla virtus latet, et latuisse non ipsius est **17** damnum: veniet, qui conditam et seculi sui malignitate compressam dies publicet. paucis natus est, qui populum aetatis suae cogitat: multa annorum milia, multa populorum supervenient: ad illa respice. etiamsi omnibus tecum viventibus silentium livor indixerit, venient, qui sine offensa, sine gratia iudicent. si quod est pretium

virtutis ex fama, nec hoc interit. ad nos quidem nihil pertinebit posterorum sermo: tamen etiam non sentientes colet ac frequentabit. Nulli non virtus et vivo et mortuo retulit gratiam, si modo illam bona secutus est fide, si se non exornavit et pinxit, sed idem fuit, sive ex denunciato videbatur, sive inparatus ac subito. Nihil simulatio proficit. paucis inponit leviter extrinsecus inducta facies: veritas in omnem sui partem eadem est. Quae decipiunt, nihil habent solidi. tenue est mendacium: per lucet, si diligenter inspexeris. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER XI.

EPISTULA I. (80.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

I. Hodierno die non tantum meo beneficio mihi vaco, sed spectaculi, quod omnes molestos ad sphaeromachian avocavit. nemo inrumpit, nemo cogitationem meam impedit, quae hac ipsa fiducia procedit audacius. Non crepuit subinde ostium, non adlevabitur velum: licebit uno vadere, quod magis necessarium est per se eunti et suam sequenti viam: non ergo sequor priores? facio, sed permitto mihi et invenire aliquid et mutare et relinquere. non servio illis, sed adsentior. Magnum tamen verbum dixi, qui mihi silentium promittebam et sine interpellatore secretum: ecce ingens clamor ex stadio profertur et me non excutit mihi, sed in huius ipsius rei contentionem transfert. cogito mecum, quam multi corpora exerceant, ingenia quam pauci. quantus ad spectaculum

non fidele et lusorium fiat concursus, quanta sit circa artes bonas solitudo. quam inbecilli animo sint, quorum lacertos humerosque miramur. Illud maxime revolvo me-³ cum: si corpus perduci exercitatione ad hanc patientiam potest, qua et pugnos pariter et calces non unius hominis ferat, qua solem ardentissimum in ferventissimo pulvere sustinens aliquis et sanguine suo madens diem ducat: quanto facilius animus corroborari possit, ut fortunae ictus invictus excipiat, ut proiectus, ut conculcatus exsurgat? corpus enim multis eget rebus, ut valeat: animus ex se crescit, se ipse alit, se exercet. illi multo cibo, multa potionem opus est, multo oleo, longa denique opera: tibi continget virtus sine adparatu, sine impensa. quicquid facere te potest bonum, tecum est. Quid tibi⁴ opus est, ut sis bonus? velle. quid autem melius potes velle quam eripere te huic servituti, quae omnes premit, quam mancipia quoque condicionis extremae et in his sordibus nata omni modo exuere conantur? peculium suum, quod conparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant: tu non concupisces quanticumque ad libertatem pervenire, qui te in illa putas natum? Quid ad ar-⁵ cam tuam respicis? emi non potest. itaque in tabulas vanum conicitur nomen libertatis, quam nec qui emerunt, habent, nec qui vendiderunt: tibi des oportet istud bonum, a te petas. Liberate primum metu mortis: illa nobis iugum inponit. deinde metu paupertatis. Si vis scire, quam nihil in illa mali sit, conpara inter se⁶ pauperum et divitum voltus: saepius pauper et fidelius ridet. nulla sollicitudo in alto est. etiam si qua incidit cura, velut nubes levis transit: horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est aut gravis et subpurata tristitia, eo quidem gravior, quia interdum non licet palam esse miseros, sed inter aerumnas cor ipsum exedentes ne-⁷ cesse est agere felicem. Saepius hoc exemplo mihi utendum est, nec enim ullo efficacius exprimitur hic humanae vitae mimus, qui nobis partes, quas male agamus, adsignat: ille, qui in scena latus incedit et haec resupinus dicit:

*En impero Argis: regna mihi liquit Pelops,
qua ponto ab Helles atque ab Ionio mari
urgetur Isthmos,*

servus est: quinque modios accipit et quinque denarios.
8 Ille qui superbus atque inpotens et fiducia virium tumidus ait:

quod nisi quieris, Menelae, hac dextra occides,
diurnum accipit, in centunculo dormit. Idem de istis licet omnibus dicas, quos supra capita hominum supraque turbam delictos lectica suspendit: omnium istorum personata felicitas est. contemnes illos, si despoliaveris.
9 Equum empturus solvi iubes stratum. detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem involutum aestimas? mangones quicquid est, quod displiceat, aliquo lenocinio abscondunt: itaque ementibus ornamenta ipsa suspecta sunt: sive crus adligatum sive brachium adspiceres, nudari iuberet et ipsum tibi cor-
10 pus ostendi. Vides illum Scythiae Sarmatiaeve regem insigni capitis decorum? si vis illum aestimare totumque scire, qualis sit, fasciam solve: multum mali sub illa latet. Quid de aliis loquor? si perpendere te voles, sepone pecuniam, domum, dignitatem: intus te ipse considera: nunc qualis sis, aliis credis. Vale.

EPISTULA II. (81.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Quereris incidisse te in hominem ingratum: si hoc nunc primum, age aut fortunae aut diligentiae tuae gratias. sed nihil facere hoc loco diligentia potest nisi te malignum. nam si hoc periculum vitare volueris, non dabis beneficia: ita ne apud alium pereant, apud te peribunt. Non respondeant potius quam non dentur: et post malam segetem serendum est. saepe quicquid perierat adsidua infelicis soli sterilitate, unius anni restituit ubertas. Est tanti, ut gratum invenias, experiri et ingratos. nemo habet tam certam in beneficiis manum, ut non saepe fallatur: aberrent, ut aliquando haereant: post naufragium maria temptantur. feneratorum non fugat a

foro [*de*]coctor. Cito inerti otio vita torpebit, si relinquendum est, quicquid offendit: te vero benigniorem haec ipsa res faciat. nam cuius rei eventus incertus est, 'd ut aliquando procedat, saepe temptandum est. Sed de ³ his satis multa in iis libris locuti sumus, qui de Beneficiis inscribuntur: illud magis quaerendum videtur, quod non satis, ut existimo, explicatum est, an is, qui profuit nobis, si postea nocuit, paria fecerit et nos debito solverit? adice, si vis, et illud: multo plus postea nocuit quam ante profuerat. Si rectam illam rigidi iudicis sententiam quaeris, ⁴ alterum ab altero absolvet et dicet: „quamvis iniuriae praeponderent, tamen beneficiis donetur, quod ex iniuria superest.“ Plus nocuit: sed prius profuit. itaque habeatur et temporis ratio. Iam illa manifestiora sunt, quam ⁵ ut admoneri debeas, quaerendum esse, quam libenter profuerit, quam invitus nocuerit, quoniam animo et beneficia et iniuriae constant. „Nolui beneficium dare: victus sum aut verecundia aut instantis pertinacia aut spe.“ Eo animo quidque debetur, quo datur, nec quantum sit, ⁶ sed a quali profectum voluntate, perpenditur: nunc coniectura tollatur: et illud beneficium fuit et hoc, quod modum beneficii prioris excessit, iniuria est. Vir bonus utrosque calculos sic ponit, ut se ipse circumscribat beneficio adicit, iniuriae demit. alter ille remissior iudex, quem esse me malo, iniuriae oblivisci debet, officii meminisse. „Hoc certe, inquis, iustitiae convenit, suum ⁷ cuique reddere, beneficio gratiam, iniuriae talionem aut certe malam gratiam.“ Verum erit istud, cum alius iniuriam fecerit, alius beneficium dederit: nam si idem est, beneficio vis iniuriae exstinguitur. nam cui, etiamsi merita non antecessissent, oportebat ignosci, post beneficia laedenti plus quam venia debetur. Non pono utrique par ⁸ pretium. pluris aestimo beneficium quam iniuriam: non omnes grati sciunt debere beneficium: potest etiam imprudens et rudis et unus e turba, utique dum prope est ab accepto: ignorat autem, quantum debeat. uni sapienti notum est, quanti res quaeque taxanda sit: nam ille, de

- quo loquebar modo, stultus, etiamsi bonae voluntatis est, aut minus quam debet aut tempore aut quo non debet loco reddit. id quod referendum est, effundit atque abicit.
- 9 Mira in quibusdam rebus verborum proprietates est et consuetudo sermonis antiqui quaedam efficacissimis et officia docentibus notis signat. sic certe solemus loqui: „ille illi gratiam retulit.“ referre est ultro, quod debeas, adferre. non dicimus gratiam reddidit. reddunt enim et qui reposituntur et qui invitati et qui ubilibet et qui per alium. non dicimus repositit beneficium aut solvit. nullum enim nobis placuit, quod aeri alieno con-
- 10 venit, verbum. Referre est: ad eum, a quo acceperis, rem ferre: haec vox significat voluntariam relationem: qui retulit, ipse se adpellavit. Sapiens omnia examinabit secum: quantum acceperit, a quo, quando, ubi, quemadmodum. itaque negamus quemquam scire gratiam referre nisi sapientem: non magis quam beneficium dare quisquam scit nisi sapiens, hic scilicet, qui magis dato gaudet
- 11 quam alius accepto. Hoc aliquis inter illa numerat, quae videmur inopinata omnibus dicere (*παράδοξα* Graeci vocant) et ait: „nemo ergo scit praeter sapientem referre gratiam? ergo nec, quod debet, creditori suo reponere quisquam scit alius? nec, cum emit aliquam rem, pretium venditori persolvere?“ Ne nobis fiat invidia, scito idem dicere Epicurum: Metrodorus certe ait „solum sapientem
- 12 referre gratiam scire.“ Deinde idem admiratur, cum dicimus: „solus sapiens scit amare. solus sapiens amicus est.“ atqui et amoris et amicitiae pars est referre gratiam: immo hoc magis volgare est et in plures cadit quam vera amicitia. Deinde idem admiratur, quod dicimus „fidem nisi in sapiente non esse,“ tamquam non ipse idem dicat: an tibi videtur fidem habere, qui referre gratiam nescit?
- 13 Desinant itaque infamare nos tamquam incredibilia iactantes et sciant apud sapientem esse ipsa honesta, apud vulgum simulacra rerum honestarum et effigies. Nemo referre gratiam scit nisi sapiens. Stultus quoque, utcumque scit et quemadmodum potest, referat: scientia
- 14 illi potius quam voluntas desit: velle non discitur. Sapiens

inter se omnia comparabit: maius enim aut minus fit, quamvis idem sit, tempore, loco, causa. saepe enim hoc non potuere divitiae in domum infusae, quod opportune dati mille denarii. multum enim interest, donaveris an succurreris, servaverit illum tua liberalitas an instruxerit. saepe quod datur, exiguum est, quod sequitur ex eo, magnun. quantum autem existimas interesse, utrum aliquis, quod deerat, a se [et] quod praesto erat, sumpserit an beneficium acceperit ut daret? Sed ne in eadem, quae satis scrutati 15 sumus, revolvamur: in hac comparatione beneficii et iniuriae vir bonus iudicabit quidem quod erit aequissimum, sed beneficio favebit: in hanc erit partem proclivior. Plu- 16 rimum autem momenti persona solet adferre in rebus eiusmodi: „dedisti mihi beneficium in servo, iniuriam fecisti in patre. servasti mihi filium, sed patrem abstulisti.“ alia deinceps, per quae procedit omnis conlatio, prosequetur et, si pusillum erit, quod intersit, dissimulabit. etiamsi multum fuerit, sed si id donari salva pietate ac fide poterit, remittet: id est, si ad ipsum tota pertinebit iniuria. Summa rei haec est: facilis erit in commutando. 17 patietur plus inputari sibi. invitus beneficium per compensationem iniuriae solvet. in hanc partem inclinabit, huc verget, ut cupiat debere gratiam, cupiat referre. errat enim, si quis beneficium accipit libentius quam reddit. quanto hilarior est, qui solvit quam qui mutuatur, tanto debet laetior esse, qui se maximo aere alieno accepti beneficii exonerat, quam qui cum maxime obligatur. Nam 18 in hoc quoque falluntur ingrati, quod creditori quidem praeter sortem extra ordinem numerant, beneficiorum autem usum esse gratuitum putant: et illa crescunt mora tantoque plus solvendum est, quanto tardius. ingratus est, qui beneficium reddit sine usura. itaque huius quoque rei habebitur ratio, cum conferentur accepta et expensa. Omnia facienda sunt, ut quam gratissimi simus. 19 nostrum enim hoc bonum est, quemadmodum iustitia non est, ut volgo creditur, ad alios pertinens: magna pars eius in se redit. nemo non, cum alteri prodest, sibi profuit, non eo nomine dico, quod volet adjuvare adiutus,

protegere defensus, quod bonum exemplum circuitu ad
 facientem revertitur, sicut mala exempla recidunt in aucto-
 res nec ulla miseratio contingit iis, qui patiuntur iniurias,
 quas posse fieri faciendo docuerunt: sed quod virtutum
 omnium pretium in ipsis est. non enim exercentur ad
 20 praemium: recte facti fecisse merces est. Gratus sum,
 non ut alius mihi libentius praestet priori inritatus exem-
 plo, sed ut rem iucundissimam ac pulcherrimam faciam.
 gratus sum, non quia expedit, sed quia iuvat: hoc ut scias
 ita esse, si gratum esse non licebit, nisi ut videar ingra-
 tus, si reddere beneficium non aliter quam per speciem
 iniuriae potero: aequissimo animo ad honestum consilium
 per mediam infamiam tendam. Nemo mihi videtur plaris
 aestimare virtutem, nemo illi magis esse devotus quam
 qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet.
 21 Itaque, ut dixi, maiori tuo quam alterius bono gratus es.
 illi enim vulgaris et cotidiana res contigit, recipere, quod
 dederat: tibi magna et ex beatissimo animi statu profecta,
 gratum fuisse. Nam si malitia miseros facit, virtus bea-
 tos, gratum autem esse virtus est: rem usitatam reddi-
 disti, inaestimabilem consecutus es, conscientiam grati,
 quae nisi in animum divinum fortunatumque non perve-
 nit. in contrarium autem huic adfectum summa infelicitas
 urget: nemo sibi gratus est, qui alteri non fuit. hoc me
 putas dicere: qui ingratus est, miser erit? non differo
 22 illum: statim miser est. Itaque ingrati esse vitemus, non
 aliena causa, sed nostra. minimum ex nequitia levissi-
 mumque ad alios redundat: quod pessimum ex illa est et,
 ut ita dicam, spississimum, domi remanet et premit ha-
 bentem, quemadmodum Atталus noster dicere solebat:
 „malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit.“ Illud
 venenum, quod serpentes in alienam perniciem profe-
 runt, sine sua continent, non est huic simile: hoc haben-
 23 tibus pessimum est. Torquet ingratus se et macerat:
 odit, quae accepit, quia redditurus est, et extenuat, ini-
 urias vero dilatat atque auget. quid autem eo miserius,
 cui beneficia excidunt, haerent iniuriae? at contra sa-
 pientia exornat omne beneficium ac sibi ipsa commendat

et se adsidua eius commemoratione delectat. Malis una²⁴ voluptas est et haec brevis, dum accipiunt beneficia, ex quibus sapienti longum gaudium manet ac perenne. non enim illum accipere, sed accepisse delectat, quod immortale est et adsiduum: illa cōtemnit, quibus laesus est, nec obliviscitur per negligentiam, sed volens. Non vertit²⁵ omnia in peius nec quaerit, cui inputet casum, et peccata hominum ad fortunam potius refert. non calumniatur verba nec voltus: quicquid accidit, benigne interpretando levat. non offensae potius quam officii meminit. quantum potest, in priore ac meliore se memoria detinet nec mutat animum adversus bene meritos, nisi multum male facta praecedunt et manifestum etiam conniventis^x discrimen est: tunc quoque in hoc dumtaxat, ut talis sit post maiorem iniuriam qualis ante beneficium. nam cum beneficio par est iniuria, aliquid in animo benevolentiae remanet. Quemadmodum reus sententiis paribus absolvitur²⁶ et semper quicquid dubium est, humanitas inclinatur in melius: sic animus sapientis, ubi paria maleficiis merita sunt, desinet quidem debere, sed non desinit velle debere et hoc facit, quod qui post tabulas novas solvunt. Nemo²⁷ autem gratus esse potest, nisi contempserit ista, propter quae volgi insanit: si referre vis gratiam, et in exilium eundem est et effundendus sanguis et suscipienda egestas et ipsa innocentia saepe maculanda indignisque obicienda rumoribus. Non parvo sibi constat homo gratus. (Nihil²⁸ carius aestimamus quam beneficium, quamdiu petimus, nihil vilius, cum accepimus.) Quaeris, quid sit, quod oblivionem nobis acceptorum faciat? cupiditas accipientorum. cogitamus non quid inpetratum, sed quid petendum sit. abstrahunt a recto divitiae, honores, potentia et cetera, quae opinione nostra cara sunt, pretio suo vilia. Nescimus aestimare res, de quibus non cum fama,²⁹ sed cum rerum natura deliberandum est: nihil habent ista magnificum, quo mentes in se nostras trahant, praeter hoc, quod mirari illa consuevimus. non enim, quia concupiscenda sunt, laudantur, sed concupiscuntur, quia laudata sunt: et cum singulorum error publicum fecerit,

30 singulorum errorem facit publicus. Sed quemadmodum illa credidimus, sic et hoc eidem populo credamus, nihil esse grato animo honestius. omnes hoc urbes, omnes etiam ex barbaris regionibus gentes conclamabunt. in hoc
 31 bonis malisque conveniet. Erunt, qui voluptates laudent. erunt, qui labores malint. erunt, qui dolorem maximum malum dicant. erunt, qui ne malum quidem adpellent. divitias aliquis ad summum bonum admittet. alius illas dicet malo vitae humanae repertas, nihil esse eo locupletius, cui quod donet fortuna non invenit: in tanta iudiciorum diversitate referendam bene merentibus gratiam omnes tibi uno, quod aiunt, ore adfirmabunt. in hoc tam discors turba consentiet: cum interim iniurias pro beneficiis reddimus, et prima causa est, cur quis ingratus sit,
 32 si satis gratus esse non potuit. Eo perductus est furor, ut periculosissima res sit beneficia in aliquem magna conferre: nam quia putat turpe non reddere, non vult esse, cui reddat. Tibi habe, quod accepisti: non repeto, non exigo. profuisse tutum sit. Nullum est odium perniciosius quam e beneficii violati pudore. Vale.

EPISTULA III. (82.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Desii iam de te esse sollicitus. „Quem, inquis, deorum sponsorem accepisti?“ eum scilicet, qui neminem fallit, animi recti ac boni amatorem. In tuto pars tui melior est. Potest fortuna tibi iniuriam facere: quod ad rem magis pertinet, non timeo, ne tu facias tibi. I, qua ire coepisti et in isto te vitae habitu con-
 2 pone placide, non molliter. Male mihi esse malo quam molliter: [*hoc*] nunc sic excipe, quemadmodum [a] populo solet dici dure, aspere, laboriose. Audire solemus sic quorundam vitam laudari, quibus invidetur: „molliter vivit.“ hoc dicunt: „mollis est.“ paulatim enim effeminatur animus atque in similitudinem otii sui et pigritiae, in qua iacet, solvitur. quid ergo? viro non vel obrigescere satius est? deinde delicati idem timent mori, cui vitam suam fecere similem. Multum interest inter

otium et conditivum. „Quid ergo? inquis, non satius est 3
 vel sic iacere quam in istis officiorum verticibus volu-
 tari?“ Utraque res detestabilis est, et contractio et tor-
 por. puto, aequè qui in odoribus iacet, mortuus est quam
 qui rapitur unco. otium sine literis mors est et hominis
vivi sepultura. Quid deinde prodest secessisse? tam- 4
 quam non trans maria nos sollicitudinum causae perse-
 quantur. quae latebra est, in quam non intret
 metus mortis? quae tam emunita et in altum subducta
 vitae quies, quam non dolor territet? quocumque te
 abdidideris, mala humana circumstrepent. Multa
 extra sunt, quae circummeunt nos, quo aut fallant aut ur-
 geant, multa intus, quae in media solitudine exaestuant.
Philosophia circumdanda est: inexpugnabilis est 5
murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non
transit. in insuperabili loco stat animus, qui externa de-
 seruit, et arce se sua vindicat: infra illum omne telum
 cadit. Non habet, ut putamus, fortuna longas manus:
 neminem occupat nisi haerentem sibi. Itaque quantum 6
 possumus, ab illa resiliamus: quod sola praestabit sui
naturaeque cognitio. sciat, quo iturus sit, unde ortus,
 quod illi bonum, quod malum sit, quid petat, quid evi-
 tet, quae sit illa ratio, quae adpetenda ac fugienda discer-
 nat, qua cupiditatum mansuescit insania, timorum saeyi-
 tia conpescitur. Haec quidam putant ipsos etiam sine 7
 philosophia repressisse. sed, cum securos aliquis casus
 expertus est, exprimitur sera confessio. magna verba
 excidunt, cum tortor poposcit manum, cum mors propius
 accessit. possis illi dicere: facile provocabas mala ab-
 sentia: ecce dolor, quem tolerabilem esse dicebas, ecce
 mors, quam contra multa animose locutus es. sonant
 flagella, gladius micat:

nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.

Facit autem illud firmum adsidua meditatio, si 8
 non verba exercueris, sed animum, si contra
 mortem te praeparaveris, adversus quam non
 exhortabitur nec adtollet, qui cavillationibus
 tibi persuadere temptaverit mortem malum

- non esse. libet enim, Lucili virorum optime, ridere ineptias Graecas, quas nondum, quamvis mirer, excussi.
- 9 Zenon noster hac collectione utitur: „Nullum malum gloriosum est. mors autem gloriosa est: mors ergo non est malum.“ Profecisti: liberatus sum metu. post hoc non dubitabo porrigere cervicem. Non vis severius loqui nec morituro risum movere? non mehercules facile tibi dixerim, utrum ineptior fuerit, qui se hac interrogatione iudicavit mortis metum extinguere, an qui hoc, tamquam
- 10 ad rem pertineret, conatus est solvere. nam et ipse interrogationem contrariam obposuit ex eo natam, quod mortem inter indifferentia ponimus, quae ἀδιάφορα Graeci vocant. „Nihil, inquit, indifferens gloriosum est. mors autem gloriosum est: ergo mors non est indifferens.“ Haec interrogatio vides ubi obrepat: mors non est gloriosa, sed fortiter mori gloriosum est. et cum dicis: „indifferens nihil gloriosum est“, concedo tibi ita, ut dicam nihil gloriosum esse nisi circa indifferentia, tamquam [indifferentia esse dico, id est nec bona nec mala, scilicet]
- 11 morbum, dolorem, paupertatem, exilium, mortem. nihil horum per se gloriosum est, nihil tamen sine his. laudatur enim pauper voluntarius*, non paupertas, sed ille, quem paupertas non submittit, nec incurvat*. laudatur non exilium, sed ille Rutilius, qui fortior in exilium ire voluit quam misisset. laudatur non dolor, sed ille, quem nihil coegit dolor. nemo mortem laudat, sed eum, cuius
- 12 mors ante abstulit animum quam conturbavit. Omnia ista per se non sunt honesta nec gloriosa, sed quicquid ex illis virtus adiit tractavitque, honestum et gloriosum facit: illa in medio posita sunt. interest, utrum malitia illis an virtus manum admoverit. mors enim illa, quae in Catone gloriosa est, in Bruto statim turpis est et erubescenda. hic est enim Brutus, qui cum periturus mortis moras quaereret, ad exonerandum ventrem secessit et evocatus ad mortem iussusque praebere cervicem: „praebebo, inquit, ita vivam.“ Quae dementia est fugere, cum retro ire non possis? „Praebebo, inquit, ita vivam.“ paene adiecit: „vel sub Antonio.“ o hominem dignum,

qui vitae dederetur! Sed, ut coeperam dicere, vides ipsam mortem nec malum esse nec bonum: Cato illa honestissime usus est, turpissime Brutus. Omnis res quod non habuit decus, virtute addita sumit. Cubiculum lucidum dicimus. hoc idem obscurissimum est nocte: dies illi lucem infundit, nox eripit: sic istis, quae a nobis in-¹³ differentia ac media dicuntur, (divitiis, viribus, formae, honoribus, regno et contra morti, exilio, malae valitudini, doloribus quaeque alia aut minus aut magis pertinui-¹⁴ mus,) aut malitia aut virtus dat boni vel mali nomen. Massa per se nec calida nec frigida est: in fornacem coniecta concaluit, in aquam demissa refrixit. Mors honesta est per illud, quod honestum est, id est virtus et animus externa contemnens. Est et horum, Lucili, quae adpellamus me-¹⁵ dia, grande discrimen. non enim sic mors indifferens est, quomodo utrum capillos pares habeas: mors inter illa est, quae mala quidem non sunt, tamen habent mali speciem: sui amor est et permanendi conservandique se insita voluntas atque adspersio dissolutionis, quia videtur multa nobis bona eripere et nos ex hac, cui adsuevimus, rerum copiâ educere. illa quoque res morti nos alienat, quod haec iam novimus, illa, ad quae transituri sumus, nescimus, qualia sint, et horremus ignota. naturalis praeterea tenebrarum metus est, in quas adductura mors creditur. Itaque etiamsi indiffe-¹⁶ rens mors est, non tamen ea est, quae facile neglegi possit: magna exercitatione durandus est animus, ut conspectum eius accessumque patiatur. Mors contemni debet magis quam solet. multa enim de illa credimus. multorum ingeniis certatum est ad augendam eius infamiam. descriptus est carcer infernus et perpetua nocte obpressa regio, in qua

ingens ianitor orci

*ossa super recubans antro semesa cruento,
aeternum latrans exsanguis terreat umbras.*

Eliam cum persuaseris istas fabulas esse nec quicquam defunctis superesse, quod timeant, subit alius metus: aequae enim timent, ne apud inferos sint quam ne nū-

17 quam. His adversantibus, quae nobis obfundit longa persuasio, fortiter pati mortem quidni gloriosum sit et inter maxima opera mentis humanae? quae numquam ad virtutem exsurget, si mortem malum esse crediderit: exsurget, si putabit indifferens esse. Non recipit rerum natura, ut aliquis magno animo accedat ad id, quod malum iudicat: pigre veniet et cunctanter. non est autem gloriosum, quod ab invito et tergiversante fit: nihil facit
 18 virtus, quia necesse est. Adice nunc, quod nihil honeste fit, nisi cui totus animus incubuit adque adfuit, cui nulla parte sui repugnavit: ubi autem ad malum acceditur aut peiorum metu aut spe bonorum, ad quae pervenire tanti sit devorata unius mali patientia, dissident inter se iudicia facientis: hinc est, quod iubeat proposita perficere, illinc, quod retrahat et ab re suspecta ac periculosa fuget. igitur in diversa distrahitur: si hoc est, perit gloria. virtus enim concordii animo decreta peragit. non timet, quod facit.

*Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
 qua tua te fortuna sinet.*

19 Non ibis audentior, si mala illa esse credideris. eximendum hoc e pectore est: alioquin haesitabit inpetum moratura suspicio. trudetur in id, quod invadendum est. Nostri quidem videri volunt Zenonis interrogationem veram esse, fallacem autem alteram et falsam, quae illi obponitur: ego non redigo ista ad legem dialecticam et ad illos artificii veteranosissimi nodos: totum genus istuc exturbandum iudico, quo circumscribi se, qui interrogatur, existimat et ad confessionem perductus aliud respondet, aliud putat. pro veritate simplicius agendum est, contra
 20 metum fortius. Haec ipsa, quaevolvuntur ab illis, solve malum et expendere, ut persuadeam, non ut imponam. In aciem educturus exercitum pro coniugibus ac liberis mortem obiturum quomodo exhortabitur? do tibi Fabios totum reipublicae bellum in unam transferentes domum. Laconas tibi ostendo in ipsis Thermopylarum angustiis positos. nec victoriam sperant nec reditum. ille
 21 locus illis sepulcrum futurus est: quemadmodum exhor-

taris, ut totius gentis ruinam obiectis corporibus excipiant
 et vita potius quam loco cedant? dices: „quod malum
 est, gloriosum non est. mors gloriosa est: mors ergo non
 malum“? O efficacem concionem! quis post hanc dubi-
 tet se infestis ingerere mucronibus et stans mori! At ille
 Leonidas quam fortiter illos adlocutus est! „Sic, inquit,
 commilitones, prandete tamquam apud inferos coenaturi.“
 Non in ore crevit cibus, non haesit in faucibus, non
 elapsus est manibus: alacres et ad prandium illi promi-
 serunt et ad coenam. Quid? dux ille Romanus, qui ad 22
 occupandum locum milites missos, cum per ingentem
 hostium exercitum ituri essent, sic adlocutus est: „Ire,
 commilitones, illo necesse est, unde redire non est ne-
 cesse.“ Vides, quam simplex et imperiosa virtus sit:
 quem mortalium circumscriptiones vestrae fortiolem fa-
 cere, quem erectiolem possunt? frangunt animum, qui
 numquam minus contrahendus est et in minuta ac spinosa
 cogendus, quam cum aliquid grande componitur. Non 23
 trecentis, sed omnibus mortalibus mortis timor detrahi
 debet. quomodo illos doces malum non esse? quomodo
 opiniones totius aevi, quibus protinus infantia imbuitur,
 evincis? quod auxilium invenis? quid dicis inbecillitati
 humanae? quid dicis, quo inflammati in media pericula
 inruant? qua oratione hunc timendi consensum, quibus
 ingenii viribus obnixam contra te persuasionem humani
 generis avertis? verba mihi captiosa componis et interro-
 gatiunculas nectis? Magnis telis magna portenta feriuntur.
 Serpentem illam in Africa saevam et Romanis legionibus 24
 bello ipso terribiliorem frustra sagittis fundisque petie-
 runt. ne Pythio quidem vulnerabilis erat, cum ingens
 magnitudo pro vastitate corporis solida ferrum et quic-
 quid humanae torserant manus reiceret: molaribus de-
 mum fracta saxis est: et adversus mortem tu tam minuta
 iacularis? subulâ leonem excipis? Acuta sunt ista, quae
 dicis: nihil est acutius arista. Quaedam inutilia et ineffi-
caciam ipsa subtilitas reddit. Vale.

L. ANNAEI SENECAE
AD LUCILIUM
EPISTULARUM MORALIUM
LIBER XII.

EPISTULA I. (83.)
SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Singulos dies tibi meos et quidem totos indicari iubes: bene de me iudicas, si nihil esse in illis putas, quod abscondam. sic certe vivendum est, tamquam in conspectu vivamus. sic cogitandum, tamquam aliquis in pectus intimum inspicere possit: et potest. quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil deo clusum est. interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit: sic intervenit, dico, tanquam aliquando discedat. Faciam ergo, quod iubes, et quid agam et quo ordine, libenter tibi scribam. observabo me protinus et quod est utilissimum, diem meum recognosciam. Hoc nos pessimos facit, quod nemo vitam suam respicit. quid facturi simus cogitamus, et id raro: quid fecerimus, non cogitamus: atqui consilium futuri ex praeterito venit. Hodiernus dies solidus est. nemo ex illo quicquam mihi eripuit. totus inter stratum lectionemque divisus est. minimum exercitationi corporis datum, et hoc nomine ago gratias senectuti: non magno mihi constat: cum me movi, lassus sum. hic autem exercitationis etiam fortissimis finis. Progymnastas meos quaeris? unus mihi sufficit Earinus, puer, ut scis, amabilis: sed mutabitur. iam aliquem teneriorem quaero. hic quidem ait nos eandem crism habere, quia utrique dentes cadunt. sed iam vix illum adsequor currentem et intra paucissimos dies non potero: vide, quid exercitatio cotidiana proficiat: cito magnum intervallum fit inter duos itinere diverso euntes. eodem tempore ille adscendit, ego descendo. nec

ignoras, quanto ex his velocius alterum fiat: mentitus
 sum. iam enim aetas nostra non descendit, sed cadit.
 Quomodo tamen hodiernum certamen nobis cesserit quae- 5
 ris? quod raro cursoribus evenit, hie rā fecimus. Ab
 hac fatigatione magis quam exercitatione in frigidam de-
 scendi: hoc apud me vocatur parum calda. ille tantus
 psychrolutes, qui calendis Ianuariis euripum salutabam,
 qui anno novo quemadmodum legere, scribere, dicere
 aliquid, sic auspicabar in Virginem desilire, primum ad
 Tiberim transtuli castra, deinde ad hoc solium, quod, cum
 fortissimus sum et omnia bona fide fiunt, sol temperat:
 non multum mihi ad balneum superest. Panis deinde sic- 6
 cus et sine mensa prandium, post quod non sunt lavan-
 dae manus. dormio minimum. consuetudinem meam
 nosti: brevissimo somno utor et quasi interiungo. satis
 est mihi vigilare desiisse. aliquando dormisse me scio,
 aliquando suspicor. Ecce Circensium obstrepit clamor. 7
 subita aliqua et universa voce feriuntur aures meae. nec
 cogitationem excutiunt meam nec interrumpunt. fremitum
 quidem patientissime fero. multae voces et in unum con-
 fusae pro fluctu mihi sunt aut vento silvam verberante
 et ceteris sine intellectu sonantibus. Quid ergo est nunc, 8
 cui animum adiecerim? dicam. Superest ex hester-
 no mihi cogitatio, quid sibi voluerint pruden-
 tissimi viri, qui rerum maximarum probatio-
 nes levissimas et perplexas fecerunt, quae ut
 sint verae, tamen mendacio similes sunt. Vult nos ab 9
 ebrietate deterrere Zenon, vir maximus, huius
 sectae fortissimae ac sanctissimae conditor. audi ergo,
 quemadmodum colligat virum bonum non fu-
 turum ebrium: „Ebrio secretum sermonem nemo com-
 mittit, viro autem committit: ergo vir bonus ebrius
 non erit.“ Quemadmodum obposita interrogatione simili
 derideatur, adtende. satis est enim unam ponere ex mul-
 tis: „Dormienti nemo secretum sermonem committit, viro
 bono autem committit: vir bonus ergo non dormit.“ Quo 10
 uno modo potest, Posidonius Zenonis nostri causam
 agit, sed ne sic quidem, ut existimo, agi potest. ait enim

„ebrium duobus modis dici: altero, cum aliquis vino gravis est et impos sui. altero, si solet ebrius fieri et huic obnoxius vitio est. hunc a Zenone dici, qui soleat fieri ebrius, non qui est. huic autem neminem commissurum ar-

11 cana, quae per vinum eloqui possit.“ quod est falsum. prima enim illa interrogatio complectitur eum, qui est ebrius, non eum, qui futurus est. plurimum enim interesse concedes inter ebrium et ebriosum: potest et qui ebrius est, tunc primum esse nec habere hoc vitium, et qui ebriosus est, saepe extra ebrietatem esse. itaque id intellego, quod significari verbo isto solet, praesertim cum ab homine diligentiam professo ponatur et verba examinante. Adice nunc quod, si hoc intellexit Zenon et nos intellegere noluit, ambiguitate verbi quaesivit locum fraudi, quod fa-

12 ciendum non est, ubi veritas quaeritur. Sed sane hoc senserit: quod sequitur, falsum est, ei qui soleat ebrius fieri, non committi sermonem secretum. cogita enim, quam multis militibus non semper sobriis et imperator et tribunus et centurio tacenda mandaverint. De illa C. Caesaris caede, illius dico, qui superato Pompeio rempublicam tenuit, tam creditum est Tillio Cimbro quam C. Cassio. Cassius tota vita aquam bibit: Tillius Cimber et nimius erat in vino et scordalus. in hanc rem iocatus est ipse: *Ego, inquit, quemquam feram, qui vinum ferre non*

13 *possum?* Sibi quisque nunc nominet eos, quibus scit et vinum male credi et sermonem bene: unum tamen exemplum, quod occurrit mihi, referam, ne intercidad. instruenda est enim vita exemplis inlustribus. non semper con-

14 fugiamus ad vetera. L. Piso, urbis custos, ebrius ex quo semel factus est, fuit. maiorem partem noctis in convivio exigebat. usque in horam fere sextam dormiebat: hoc eius erat matutinum. officium tamen suum, quo tutela urbis continebatur, diligentissime administravit. huic et divus Augustus dedit secreta mandata, cum illum praeponeret Thraciae, quam perdomuit, et Tiberius proficiens in Campaniam, cum multa in urbe et suspecta re-

15 linqueret et invisa. Puto, quia bene cesserat illi Pisonis ebrietas, postea Cossum fecit urbis praefectum, virum

gravem, moderatum, sed mersum et vino madentem, adeo ut ex senatu aliquando, in quem e convivio venerat, oppressus inexcitabili somno tolleretur. huic tamen multa Tiberius manu sua scripsit, quae committenda ne ministris quidem suis iudicabat. nullum Cosso aut privatum secretum aut publicum elapsum est. Itaque declamatio-
 nes istas de medio removeamus: „Non est animus in sua potestate ebrietate devinctus. quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur et omne, quod in imo iacet, in summam partem vis caloris eiecat: sic vino exaestuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur et prodit in medium. onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita ne secretum quidem. quod suum alienumque est, pariter effundunt.“ Sed quamvis hoc so-
 leat accidere, ita et illud solet, ut cum his, quos sciamus libentius bibere, de rebus necessariis deliberemus. falsum ergo est hoc, quod patrocinii loco ponitur, ei qui solet ebrius fieri, non dari tacitum: quanto satius est aperte accusare ebrietatem et vitia eius exponere? quae etiam tolerabilis homo vitaverit, nedum perfectus ac sapiens, cui satis est sitim extinguere, qui, etiam si quando hortata est hilaritas aliena causa producta longius, tamen citra ebrietatem resistit. Nam de illo videbimus, an sa-
 pientis animus nimio vino turbetur et faciat ebriis solita: interim, si hoc colligere vis, virum bonum non debere ebrium fieri, cur syllogismis agis? dic, quam turpe sit plus sibi ingerere quam capiat et stomachi sui non nosse mensuram, quam multa ebrii faciant, quibus sobrii erubescant, nihil aliud esse ebrietatem quam voluntariam insaniam. extende in plures dies illum ebrii habitum: numquid de furore dubitabis? nunc quoque non est minor, sed brevior. Refer Alexandri Macedonis
 exemplum, qui Clitum, carissimum sibi ac fidelissimum, inter epulas transfodit et intellecto facinore mori voluit: certe decuit. Omne vitium ebrietas et incendit et detegit, obstantem malis conatibus verecundiam removet. plures enim pudore peccandi quam bona voluntate prohibitis abstinent. Ubi possedit animum nimia vis vini, quicquid 20

mali latebat, emergit. non facit ebrietas vitia, sed protra-
 hit: tunc libidinosus ne cubiculum quidem exspectat, sed
 cupiditatibus suis quantum petierunt, sine dilatione per-
 mittit. tunc inpudicus morbum confitetur ac publicat. tunc
 petulans non linguam, non manum continet. crescit in-
 solenti superbia, crudelitas saevo, malignitas livido. omne
 21 vitium laxatur et prodit. Adice illam ignorationem sui,
 dubia et parum explanata verba, incertos oculos, gradum
 errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia velut ali-
 quo turbine circumagente totam domum, stomachi tor-
 menta, cum effervescit merum ac viscera ipsa distendit.
 tunc tamen utcumque tolerabile est, dum illi vis sua est:
 quid, cum somno vitiatur et quae ebrietas fuit, cruditas
 22 facta est? Cogita, quas clades ediderit publica ebrietas:
 haec acerrimas gentes bellicosasque hostibus tradidit.
 haec multorum annorum pertinaci bello defensa moenia
 patefecit. haec contumacissimos et iugum recusantes in
 alienum egit arbitrium. haec invictos acie mero domuit.
 23 Alexandrum, cuius modo feci mentionem, tot itinera, tot
 praelia, tot hiemes, per quas victa temporum locorumque
 difficultate transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot
 maria tutum dimiserunt: intemperantia bibendi et ille Her-
 24 culaneus ac fatalis scyphus condidit. Quae gloria est ca-
 pere multum? cum penes te palma fuerit et propinationes
 tuas strati somno ac vomitantes recusaverint, cum super-
 stes toti convivio fueris, cum omnes viceris virtute magni-
 25 fica et nemo tam vini capax fuerit: vinceris a dolio. M.
 Antonium, magnum virum et ingenii nobilis, quae alia res
 perdidit et in externos mores ac vitia non Romana traiecit
 quam ebrietas nec minor vino Cleopatrae amor? haec
 illum res hostem reipublicae, haec hostibus suis inparem
 reddidit. haec crudelem fecit, cum capita principum civi-
 tatis coenanti referrentur, cum inter adparatissimas epu-
 las luxusque regales ora ac manus proscriptorum reco-
 gnosceret, cum vino gravis sitiret tamen sanguinem. Into-
 lerabile erat, quod ebrius fiebat, cum haec faceret: quanto
 26 intolerabilius, quod haec in ipsa ebrietate faciebat? Fere
 vinolentiam crudelitas sequitur. violatur enim exaspera-

turque sanitas mentis. quemadmodum ** difficilesque faciunt oculos diutini morbi etiam ad minimam radii solis offensionem, ita ebrietates continuæ efferant animos. nam cum sæpe apud se non sint, consuetudine insaniam duratâ vitia e vino concepta etiam sine illo valent. Dic²⁷ ergo, quare sapiens non debeat ebrius fieri. deformitatem rei et inopportunitatem ostende rebus, non verbis. quod facillimum est, proba istas, quæ voluptates vocantur, ubi transscenderint modum, poenas esse. Nam si illud argumentaberis, sapientem multo vino inebriari et retinere rectum tenorem, etiamsi temulentus sit: licet colligas nec veneno potio moriturum nec sopore sumpto dormiturum nec elleboro accepto, quicquid in visceribus hærebit, eiecturum deiecturumque. sed si temptantur pedes, lingua non constat: quid est, quare illum existimes in parte sobrium esse, in parte ebrium? Vale.

EPISTULA II. (84.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Itinera ista, quæ segnitiam mihi excutiunt, 1 et valitudini meæ prodesse iudico et studiis. Quare valitudinem adiuvent, vides: cum pigrum me et negligentem corporis literarum amor faciat, aliena opera exerceor: studiis quare prosint, indicabo: a lectionibus non recessi. sunt autem, ut existimo, necessariae, primum ne sim me uno contentus. deinde ut, cum ab aliis quaesita cognovero, tum et de inventis iudicem et cogitem de inveniendis. aliter lectio ingenium et studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit. Nec scri- 2 bere tantum nec tantum legere debemus: altera res contristabit, vires exhauriet (de stilo dico), altera solvet ac diluet. invicem huc et illo commeandum est et alterum altero temperandum, ut quicquid lectione collectum est, stilus redigat in corpus. Apes, ut aiunt, debemus 3 imitari, quæ vagantur et flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quicquid adtulere, disponunt ac per favos digerunt et, ut Vergilius noster ait,

*liquentia mella**stipant et dulci distendunt nectare cellas.*

- 4 De illis non satis constat, utrum succum ex floribus ducant, qui protinus mel sit, an quae collegerunt, in hunc saporem mixtura quadam et proprietate spiritus sui mutant. quibusdam enim placet non faciendi mellis scientiam esse illis, sed colligendi. aiunt inveniri apud Indos mel in arundinum foliis, quod aut ros illius coeli aut ipsius arundinis humor dulcis et pinguior gignit. in nostris quoque herbis vim eandem, sed minus manifestam et notabilem poni, quam persequatur et contrahat animal huic rei genitum. quidam existimant conditura et dispositione in hanc qualitatem verti, quae ex tenerrimis virentium florentiumque decerpserint, non sine quodam, ut ita dicam, fermento, quo in unum diversa coalescunt.
- 5 Sed ne ad aliud quam de quo agitur, abducatur, nos quoque has apes debemus imitari et quaecumque ex diversa lectione congegimus, separare. melius enim distincta servantur. deinde adhibita ingenii nostri cura et facultate in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut, etiamsi adparuerit, unde sumptum sit, aliud tamen esse quam unde sumptum est, adpareat, quod in corpore nostro videmus
- 6 sine ulla opera nostra facere naturam: alimenta, quae accepimus, quamdiu in sua qualitate perdurant et solida innatant stomacho, onera sunt: at cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires et in sanguinem transeunt: idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus, ut quaecumque hausimus, non patiamur integra
- 7 esse, ne aliena sint. concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. adsentiamur illis fideliter et nostra faciamus, ut unum quiddam fiat ex multis, sicut unus numerus fit ex singulis, cum minores summas et dissidentes computatio una comprehendit. hoc faciat animus noster: omnia, quibus est adiutus, abscondat, ipsum
- 8 tantum ostendat, quod effecit. Etiam si cuius in te comparebit similitudo, quem admiratio tibi altius fixerit, similem esse te volo quomodo filium, non quomodo ima-

ginem: imago res mortua est. „Quid ergo? non intellegetur, cuius imiteris orationem? cuius argumentationem? cuius sententias?“ Puto aliquando ne intellegi quidem posse, si magni viri *** nec enim omnibus, quae ex aequo velut exemplaria traxit, formam suam inpressit, ut in imitantem illa competant. Non vides, quam multorum vocibus chorus constet? unus tamen ex omnibus [sonus] redditur: aliqua illic acuta est, aliqua gravis, aliqua media. accedunt viris feminae, interponuntur tibiae. singulorum illic latent voces, omnium adparent. De choro dico, quem 10 veteres philosophi noverant: in commissionibus nostris plus cantorum est quam in theatris olim spectatorum fuit. cum omnes vias ordo canentium inplevit et cavea aenealoribus cincta est et ex pulpito omne tiliarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis: talem animum esse nostrum volo, ut multae in illo artes, multa praecepta sint, multarum aetatum exempla, sed in unum conspirata. „Quomodo, in- 11 quis, hoc effici poterit?“ adsidua intentione: si nihil egerimus nisi ratione suadente. hanc si audire volueris, dicet tibi: „relinque ista iamdudum, ad quae discurritur. relinque divitias, aut periculum possidentium aut onus. relinque corporis atque animi voluptates: molliunt et enervant. relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum, tam sollicita est, ne quem ante se videat quam ne post se. laborat invidia et quidem duplici. vides autem, quam miser sit, si is cui invidetur et invidet. Intueris illas potentium domos, illa tu- 12 multuosa rixa salutantium limina? multum habent contumeliarum, ut intres, plus, cum intraveris. praeteri istos gradus divitum et magno adgestu suspensa vestibula: non in praerupto tantum illic stabis, sed in lubrico. Huc potius te ad sapientiam dirige tranquillissimasque res eius et simul amplexissimas pete. Quaecumque videntur 13 eminere in rebus humanis, quamvis pusilla sint et comparatione humillimorum exstant, per difficiles tamen et arduos tramites adeuntur. confragosa in fastigium dignitatis via est: at si conscendere hunc verticem libet, cui

se fortuna submitit, omnia quidem sub te, quae pro excelsissimis habentur, adspicies, sed tamen venies ad summa per planum. Vale.

EPISTULA III. (85.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Peperceram tibi et quicquid nodosi adhuc supererat, praeterieram, contentus quasi gustum tibi dare eorum, quae a nostris dicuntur, ut probetur virtus ad explendam beatam vitam sola satis efficax. Iubes me quicquid est interrogationum aut nostrarum aut ad traductionem nostram excogitarum comprehendere: quod si facere voluero, non erit epistula, sed liber. Illud totiens testor hoc me argumentorum genere non delectari. Pudet in aciem descendere pro dis hominibusque susceptam subula armatum.
- 2 „Qui prudens est, et temperans est. qui temperans, est et constans. qui constans est, inperturbatus est. qui inperturbatus est, sine tristitia est. qui sine tristitia est, beatus est: ergo prudens beatus est et prudentia ad beatam vitam satis est.“
- 3 Huic collectioni hoc modo Peripateticorum quidam respondent, ut inperturbatum et constantem et sine tristitia sic interpretentur, tamquam inperturbatus dicatur, qui raro perturbatur et modice, non qui numquam. item sine tristitia eum dici aiunt, qui non est obnoxius tristitiae nec frequens nimiusve in hoc vitio. illud enim humanam naturam negare, alicuius animum immunem esse tristitia. sapientem non vinci moerore, ceterum tangi.
- 4 et cetera in hunc modum sectae suae respondentia. Non his tollunt adfectus, sed temperant. quantum autem sapienti damus, si inbecillissimis fortior est et moestissimis laetior et effrenatissimis moderatior et humillimis maior? Quid, si miretur velocitatem suam *Ladas* ad claudos debilesque respiciens?

*Illam vel intactam segetem per summa volaret
gramina nec cursu teneras laesisset aristas,*

*vel mare per medium fluctu suspensa tumentis
ferret iter celeres nec tingeret aequore plantas.*

haec est pernicitas per se aestimata, non quae tardissimorum conlatione laudatur. Quid, si sanum voces leviter febricitantem? non est bona validudo mediocritas morbi. „Sic, inquit, sapiens inperturbatus dicitur, 5 quomodo a pyrina dicuntur, non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor.“ Falsum est. non enim diminutionem malorum in bono viro intellego, sed vacationem: nulla debent esse, non parva. nam si ulla sunt, crescent et interim inpedient. Quomodo oculos maior et perfecta suffusio excaecat, sic modica turbat. Si das aliquos adfectus sapienti, inpar illis erit ratio et 6 velut torrente quodam auferetur, praesertim cum illi non unum adfectum, sed universum adfectuum coetum relinquis, cum quo conluctetur. [sed omnis] plus potest quamvis mediocrium turba quam posset unius magni violentia. Habet pecuniae cupiditatem, sed modicam. ha- 7 bet ambitionem, sed non concitatam. habet iracundiam, sed placabilem. habet inconstantiam, sed minus vagam ac mobilem. habet libidinem, [sed] non insanam: melius cum illo ageretur, qui unum vitium integrum haberet, quam cum eo, qui leviora quidem, sed omnia. Deinde 8 nihil interest, quam magnus sit adfectus: quantuscumque est, parere nescit, consilium non accipit. Quemadmodum rationi nullum animal obtemperat, non ferum, non domesticum et mite. natura enim illorum est surda suadenti: sic non sequuntur, non audiunt adfectus, quantulicumque sunt. Tigres leonesque numquam feritatem exuunt, aliquando submitunt, et cum minime exspectaveris, exasperatur torvitas mitigata. Numquam bona fide vitia mansuescunt. Deinde, si ratio proficit, ne incipient qui- 9 dem adfectus: si invita ratione coeperint, invita perseverabunt. facilius est enim initia illorum prohibere quam inpetum regere. falsa est itaque ista mediocritas et inutilis, eodem loco habenda, quo si quis diceret modice insaniendum, modice aegrotandum. Sola virtus habet, non 10 recipiunt animi mala temperamentum: facilius sustuleris

- illa quam rexeris. Numquid dubium est, quin vitia mentis humanae inveterata et dura, quae morbos vocamus, immoderata sint, ut avaritia, ut crudelitas, ut impotentia, impietas? ergo immoderati sunt et adfectus. ab his enim
- 11 ad illa transitur. Deinde si das aliquid iuris tristitiae, timori, cupiditati ceterisque motibus pravis, non erunt in nostra potestate. quare? quia extra nos sunt, quibus iritantur. itaque crescent, prout magnas habuerint minoresve causas, quibus concitentur. Maior erit timor, si plus, quo exterreatur, aut propius adspexerit, acrior
- 12 cupiditas, quo illam amplioris rei spes evocaverit. Si in nostra potestate non est, an sint adfectus, ne illud quidem est, quanti sint: si ipsis permisisti incipere, cum causis suis crescent tantique erunt, quanto fient. Adice nunc, quod ista, quamvis exigua sint, in maius excedunt. numquam perniciose servant modum. quamvis levia initia morborum serpunt et aegra corpora minima
- 13 interdum mergit accessio. Illud vero cuius dementiae est, credere, quarum rerum extra nostrum arbitrium posita principia sunt, earum nostri esse arbitrii terminos? quomodo ad id finiendum satis valeo, ad quod prohibendum parum valui, cum facilius sit excludere quam admissa
- 14 conprimere? Quidam ita distinxerunt, ut dicerent: „temperans ac prudens positione quidem mentis et habitu tranquillus est, eventu non est. nam, quantum ad habitum mentis suae, non perturbatur, nec contristatur nec timet, sed multae extrinsecus causae incidunt, quae illi
- 15 perturbationem adferant.“ Tale est, quod volunt dicere. iracundum quidem illum non esse, irasci tamen aliquando. et timidum quidem non esse, timere tamen aliquando, id est, vitio timoris carere, adfectu non carere. Quod si recipit, usu frequenti timor transibit in vitium et ira in animum admissa habitum illum ira carentis animi retexet.
- 16 Praeterea si non contemnit venientes extrinsecus causas et aliquid timet, cum fortiter eundum erit adversus tela, ignes, pro patria, legibus, libertate, cunctanter exhibit et animo recedente. non cadit autem in sapientem haec di-
- 17 versitas mentis. Illud praeterea iudico observandum, ne

duo, quae separatim probanda sunt, misceamus. per se enim colligitur unum bonum esse, quod honestum, per se rursus, ad vitam beatam satis esse virtutem. si unum bonum est, quod honestum, omnes concedunt ad beate vivendum sufficere virtutem: e contrario non remittetur, si beatum sola virtus facit, unum bonum esse, quod honestum est. Xenocrates et Speusippus putant beatum vel 18 sola virtute fieri posse, non tamen unum bonum esse, quod honestum est. Epicurus quoque iudicat, cum virtutem habeat, beatum esse, sed ipsam virtutem non satis esse ad beatam vitam, quia beatam efficiat voluptas, quae ex virtute est, non ipsa virtus. Inepta distinctio. idem enim negat umquam virtutem esse sine voluptate: ita si ei iuncta semper est atque inseparabilis, et sola satis est. habet enim secum voluptatem, sine qua non est, etiam cum sola est. Illud autem absurdum est, quod dicitur 19 beatum quidem futurum vel sola virtute, non futurum autem perfecte beatum. quod quemadmodum fieri possit, non reperio. beata enim vita bonum in se perfectum habet, inexsuperabile. quod si est, perfecte beata est. Si deorum vita nihil habet maius aut melius, beata autem vita divina est: nihil habet, in quod amplius possit adtolli. Praeterea si beata vita nullius est indigens, omnis 20 beata vita perfecta est eademque est et beata et beatissima. numquid dubitas, quin beata vita summum bonum sit? ergo si summum bonum habet, summe beata est. Quemadmodum summum adiectionem non recipit, quid enim supra summum erit? ita ne beata quidem vita, quae sine summo bono non est. quod si aliquem magis beatum induxeris, induces et multo magis: innumerabilia discrimina summi boni facies, cum summum bonum intellegam, quod supra se gradum non habet. Si est aliquis 21 minus beatus quam alius, sequitur, ut hic alterius vitam beatioris magis concupiscat quam suam. beatus autem nihil suae praefert. utrumlibet ex his incredibile est: aut aliquid beato restare, quod esse quam quod est malit, aut id illum non malle, quod illo melius est. utique enim quo prudentior est, hoc magis se ad id, quod est opti-

22 mum, extendet et id omni modo consequi cupiet: quomodo autem beatus est, qui cupere etiam nunc potest, immo qui debet? Dicam, quid sit, ex quo veniat hic error: nesciunt beatam vitam unam esse. in optimo illam statu ponit qualitas sua, non magnitudo. itaque in aequo est longa et brevis, diffusa et angustior, in multa loca multasque partes distributa et in unum coacta. Qui illam numero aestimat et mensura et partibus, id illi, quod habet eximium, eripit. quid autem est in beata vita eximium? quod plena est. Finis, ut puto, edendi bibendique satietas est. hic plus edit, ille minus: quid refert? uterque iam satur est. hic plus bibit, ille minus: quid refert? uterque non sitit. hic pluribus annis vixit, hic paucioribus: nihil interest, si tam illum multi anni beatum fecerunt quam hunc pauci. Ille, quem tu minus beatum vocas, non est beatus: non potest nomen inminui.

24 „Qui fortis est, sine timore est. qui sine timore est, sine tristitia est. qui sine tristitia est, beatus est.“

Nostrorum haec interrogatio est. adversus hanc sic respondere conantur: falsam nos rem et controversiosam pro confessa vindicare, eum, qui fortis est, sine timore esse. „Quid ergo? inquit, fortis imminet mala non timebit? istud dementis alienatique, non fortis est. ille vero, inquit, moderatissime timet: sed in totum extra metum non est.“ Qui hoc dicunt, rursus in idem revolvuntur, ut illis virtutum loco sint minora vitia. nam qui timet quidem, sed rarius et minus, non caret malitia, sed levio vexatur. „At enim dementem puto, qui mala imminet non extimescit.“ Verum est, quod dicis, si mala sunt: sed si scit mala illa non esse et unam tantum turpitudinem malum iudicat, debet secure pericula adspicere et aliis timenda contemnere. aut si stulti et amentis est mala non timere, quo quis prudentior est, hoc timebit magis. „Ut vobis, inquit, videtur, praebet se periculis fortis.“ Minime: non timebit illa, sed vitabit: cautio illum decet, timor non decet. „Quid ergo? inquit: mortem, vincula, ignes, alia tela fortunae non timebit?“

Non: scit enim illa non esse mala, sed videri. omnia ista humanae vitae formidines putat. Describe captivitatem, 27 verbera, catenas, egestatem et membrorum lacerationes vel per morbum vel per iniuriam et quicquid aliud adtuleris: inter lymphaticos metus numerat. ista timidis timenda sunt. An id existimas malum, ad quod aliquando nobis nostra sponte veniendum est? Quaeris quid sit ma- 28 lum? Cedere iis, quae mala vocantur, et illis libertatem suam dedere, pro qua cuncta patienda sunt. Perit libertas, nisi illa contemnimus, quae nobis iugum inponunt. Non dubitarent, quid conveniret forti viro, si scirent, quid esset fortitudo. non est enim inconsulta temeritas nec periculorum amor nec formidabilium adpetitio: scientia est distinguendi, quid sit malum et quid non sit. Diligentissima in tutela sui fortitudo est et eadem patientissima eorum, quibus falsa species malorum est. „Quid 29 ergo? si ferrum intemptatur cervicibus viri fortis, si pars subinde alia atque alia subfoditur, si viscera sua in sinu suo vidit, si ex intervallo, quo magis tormenta sentiat, repetitur et per adsiecata viscera recens dimittitur sanguis: non timere istum tu dices nec dolere?“ Iste vero dolet. sensum enim hominis nulla exuit virtus. sed non timet: invictus ex alto dolores suos spectat. Quaeris quis tunc animus illi sit? qui aegrum amicum adhortantibus.

¶ „Quod malum est nocet. quod nocet, de- 30 teriorem facit. dolor et paupertas deteriorem non faciunt: ergo mala non sunt.“ ¶

„Falsum est, inquit, quod proponitis: non enim, si quid nocet, etiam deteriorem facit. Tempestas et procella nocent gubernatori, non tamen illum deteriorem faciunt.“ Quidam Stoici ita adversus hoc respondent: de- 31 teriorem fieri gubernatorem tempestate ac procella, quia non possit id, quod proposuit, efficere nec tenere cursum suum: deteriorem illum in arte sua non fieri, in opere fieri. Quibus Peripateticus: „ergo, inquit, et sapientem deteriorem faciet paupertas, dolor et quicquid aliud tale fuerit. virtutem enim illi non eripiet, sed opera eius inpediet.“ Hoc recte diceretur, nisi dissimilis esset guber- 32

natoris condicio et sapientis. huic enim propositum est in vita agenda non utique, quod temptat, efficere, sed omnia recte facere. gubernatori propositum est utique navem in portum perducere. artes ministrae sunt. praestare debent, quod promittunt: sapientia domina re-
 33 que est. artes serviunt vitae, sapientia imperat. Ego aliter respondendum iudico: nec artem gubernatoris deteriore[m] ulla tempestate fieri nec ipsam administrationem artis. Gubernator tibi non felicitatem promisit, sed utilem operam et navis regendae scientiam. haec eo magis adparet, quo illi magis aliqua fortuita vis obstitit. Qui hoc potuit dicere, *Neptune, numquam hanc navem nisi rectam* [videbis]! arti satisfecit: tempestas non opus gubernatoris
 34 impedit, sed successum. „Quid ergo? inquit, non nocet gubernatori ea res, quae illum tenere portum vetat? quae conatus eius inritos efficit? quae aut refert illum aut detinet et exarmat?“ Non tamquam gubernatori, sed tamquam naviganti nocet. alioquin* gubernatoris artem adeo non impedit, ut ostendat: tranquillo enim, ut aiunt, quilibet gubernator est. navigio ista obsunt, non rectori
 35 eius, qua rector est. Duas personas habet gubernator: alteram communem cum omnibus, qui eandem conscenderunt navem, qua ipse quoque vector est, alteram propriam, qua gubernator est. tempestas tamquam vectori
 36 nocet, non tamquam gubernatori. Deinde gubernatoris ars alienum bonum est: ad eos, quos vehit, pertinet, quomodo medici ad eos, quos curat: sapientia commune bonum est et eorum, cum quibus vivit, et proprium ipsius. itaque gubernatori fortasse noceat, cum eius ministerium
 37 aliis promissum tempestate impeditur: sapienti non nocetur a paupertate, non a dolore, non ab aliis tempestatibus vitae. non enim prohibentur opera eius omnia, sed tantum ad alios pertinentia: ipse semper in actu est, in effectu tunc maximus, cum illi fortuna se obposuit. tunc ipsius sapientiae negotium agit, quam diximus et alienum
 38 bonum esse et suum. Praeterea ne aliis quidem tunc prodesse prohibetur, cum illum aliquae necessitates premunt. propter paupertatem prohibetur docere, quemad-

modum tractanda respublica sit, at illud docet, quemadmodum sit tractanda paupertas. per totam vitam opus eius extenditur. Ita nulla fortuna, nulla res actus sapientis excludit. id enim ipsum agit, quo alia agere prohibetur. Ad utrosque casus aptus est, bonorum rector et malorum victor. Sic, inquam, se exercuit, ut virtutem tam ³⁹ in secundis quam in adversis exhiberet nec materiam eius, sed ipsam intueretur. itaque nec paupertas illum nec dolor nec quicquid aliud inperitos avertit et praecipites agit, prohibet. Tu illum premi putas malis? utitur. Non ex ebore tantum Phidias sciebat facere simulacra: ⁴⁰ faciebat ex aere. si marmor illi, si adhuc viliores materiam obtulisses, fecisset, quale ex illa fieri optimum posset: sic sapiens virtutem, si licebit, in divitiis explicabit, si minus, in paupertate. si poterit, in patria, si minus, in exilio. si poterit, imperator, si minus, miles. si poterit, integer, si minus, debilis. quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficit. Certi sunt do- ⁴¹ mitores ferarum, qui saevissima animalia et ad occursum expavescentia hominem pati subigunt nec asperitatem excussisse contenti usque in contubernium mitigant: leonibus magister manum insertat. osculatur tigrim suus custos. elephantem minimus Aethiops iubet subsidere in genua et ambulare per funem: sic sapiens artifex est domandi mala. dolor, egestas, ignominia, carcer, exilium et ubique horrenda, cum ad hunc pervenere, mansueta sunt. Vale.

L. ANNAEI SENECAE
AD LUCILIUM
EPISTULARUM MORALIUM
LIBER XIII.

EPISTULA I. (86.)
SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 In ipsa Scipionis Africani villa iacens
haec tibi scribo adoratis manibus eius et arca, quam
sepulchrum esse tanti viri suspicor. animum quidem
eius in coelum, ex quo erat, redisse persuadeo mihi, non
quia magnos exercitus duxit, hos enim et Cambyses fu-
riosus ac furore feliciter usus habuit, sed ob egregiam
moderationem pietatemque, [quam] magis in illo admira-
bilem, cum reliquit patriam, quam cum defendit: aut Sci-
2 pio Romae deesse debebat aut Roma sine libertate. „Ni-
hil, inquit, volo derogare legibus, nihil institutis. aequum
inter omnes cives ius sit. utere sine me beneficio meo,
patria. causa tibi libertatis fui, ero et argumentum: exeo,
3 si plus tibi quam expedit, crevi.“ Quidni ego admirer
hanc magnitudinem animi, qua in exilium voluntarium se-
cessit et civitatem exoneravit? eo perducta res erat, ut
aut libertas Scipioni aut Scipio libertati faceret iniuriam.
neutrum fas erat: itaque locum dedit legibus et se Liter-
num recepit tam suum exilium reipublicae imputaturus
4 quam Hannibalis. Vidi villam structam lapide quadrato,
murum circumdatum silvae, turres quoque in propugna-
culum villae utrimque subrectas, cisternam aedificiis ac
viridibus subditam, quae sufficere in usum vel exercitus
posset, balneolum angustum, tenebricosum ex consuetu-
dine antiqua: non videbatur maioribus nostris caldum
5 nisi obscurum. Magna ergo me voluptas subiit
contemplantem mores Scipionis ac nostros:

in hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis fessum. exercebat enim opere se terramque, ut mos fuit priscis, ipse subigebat. sub hoc ille tecto tam sordido stetit. hoc illum pavementum tam vile sustinuit: at nunc quis est, qui sic lavari sustineat? pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis et pretiosis orbibus refulserunt, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt, nisi illis undique operosa et in picturae modum variata circumlitio praetexitur, nisi vitro absconditur camera, nisi Thasius lapis, quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit, in quas multa sudatione corpora exsaniata demittimus, nisi aquam argentea epitonia fuderunt. et adhuc 7 plebeias fistulas loquor: quid, cum ad balnea libertinorum pervenero? quantum statuarum, quantum columnarum est nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum impensae causa! quantum aquarum per gradus cum fragore labentium! eo deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus. In hoc balneo Scipionis minimae 8 sunt rimae magis quam fenestrae muro lapideo exsectae, ut sine iniuria munimenti lumen admitterent: at nunc blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant, nisi et lavantur simul et colorantur, nisi ex solio agros et maria prospiciunt. itaque quae concursum et admirationem habuerant, cum dedicarentur, in antiquorum numerum reiciuntur, cum aliquid novi luxuria commenta est, quo ipsa se obrueret. At olim et pauca erant balnea nec ullo 9 cultu exornata. cur enim ornaretur res quadrantaria et in usum, non oblectamentum reperta? non subfundebatur aqua nec recens semper velut ex calido fonte currebat, nec referre credebant, in quam perlucida sordes deponerent. sed, di boni, quam iuvat illa balnea intrare ob- 10 scura et gregali tectorio inducta, quae scires Catonem tibi aedilem aut Fabium Maximum aut ex Corneliis aliquem manu sua temperasse? nam hoc quoque nobilissimi aediles fungebantur officio intrandi ea loca, quae

populum receptabant, exigendique munditias et utilem ac salubrem temperaturam, non hanc, quae nuper inventa est similis incendio, adeo quidem, ut convietum in aliquo scelere servum vivum lavari oporteat. nihil mihi videtur
 11 iam interesse, ardeat balneum an caleat. Quantae nunc aliquis rusticitatis damnat Scipionem, quod non in caldarium^x suum latis specularibus diem admiserat? quod non in multa luce decoquebatur et exspectabat, ut in balneo concoqueret. O hominem calamitosum! nesciit vivere. non saccata aqua lavabatur, sed saepe turbidâ et, cum plueret vehementius, paene lutulenta. nec multum eius intererat, an sic lavaretur: veniebat enim ut sudorem il-
 12 lic ablueret, non ut unguentum. Quas nunc quorumdam futuras voces credis? „Non invideo Scipioni: vere in exilio vixit, qui sic lavabatur.“ immo, si scias, non cotidie lavabatur. nam, ut aiunt, qui priscos mores urbis tradiderunt, brachia et crura cotidie abluebant, quae scilicet sordes opere collegerant: ceterum toti nudinis lavabantur. Hoc loco dicet aliquis: „liquet mihi inmundissimos fuisse.“ Quid putas illos oluisse? militiam, laborem, virum. postquam munda balnea inventa sunt, spur-
 13 ciores⁷ sunt. Descripturus infamem et nimis notabilem deliciis Horatius Flaccus quid ait?

pastillos^x Buccillus olet.

Dares nunc Buccillum: perinde esset, ac si hircum oleret: Gargonii loco esset, quem idem Horatius Buccillo obposuit. parum est sumere unguentum, nisi bis die terque renovatur, ne evanescat in corpore. quid, quod [iidem]
 14 hoc odore tamquam suo gloriantur? Haec si tibi nimium tristitia videbuntur, villae inputabis, in qua didici ab Aegialo, diligentissimo patrefamiliae, is enim huius agri nunc possessor est, quamvis vetus arbustum posse transferri. hoc nobis senibus discere necessarium est, quorum nemo non olivetum alteri ponit. quod vidi illum arborum trimum⁷ et quadrimum fastidiendi fru-
 15 ctus autumnò deponere. te quoque proteget illa, quae
tarda venit, seris factura nepotibus umbram,
 ut ait Vergilius noster, qui non quid verissime, sed quid

decentissime diceretur adspexit nec agricolas docere voluit, sed legentes delectare. nam, ut alia omnia trans-16
eam, hoc quod mihi hodie necesse fuit deprehendere, ad-
scribam:

*vere fabis satio est: tunc te quoque, medica, putres
accipiunt sulci et milio venit annua cura.*

An uno tempore ista ponenda sint et an utriusque verna sit satio, hinc aestimes licet: Iunius mensis est, quo tibi scribo, iam proclivus in Iulium: eodem die vidi fabam metentes, milium serentes. Ad olivetum revertar, quod 17
vidi duobus modis depositum: magnarum arborum truncos circumcisis ramis et ad unum redactis pedem cum rapo suo transtulit amputatis radicibus, relicto tantum capite ipso, ex quo illae pependerant. hoc fimo tinctum in scrobem demisit, deinde terram non adgessit tantum, sed calcavit et pressit. Negat quicquam esse 18
hac, ut ait, spissatione efficacius: videlicet frigus excludit et ventum. minus praeterea movetur et ob hoc nascentes radices prodire patitur ac solum adprehendere, quas necesse est cereas adhuc et precario haerentes levis quoque revellat agitatio. rapum autem arboris, antequam obruat, radiz. ex omni enim materia, quae nudata est, ut ait, radices exeunt novae. Non plures autem super terram eminere debet truncus quam tres aut quatuor pedes. statim enim ab imo vestiatur nec magna pars quemadmodum in olivetis veteribus arida et retorrída erit. Alter ponendi modus hic fuit: ramos fortes nec corticis duri, quales esse novellarum arborum solent, eodem genere deposuit. hi paulo tardius surgunt, sed cum tamquam a planta processerint, nihil habent in se horridum aut triste. Illud etiam nunc vidi, vitem ex arbu-20
sto suo annosam transferri. huius capillamenta quoque, si fieri potest, colligenda sunt. deinde liberalius sternenda vitis, ut etiam ex corpore radicescat: et vidi non tantum mense Februario positas, sed etiam Martio exacto: tenent et complexae sunt non suas ulmos. Om-21
nes autem istas arbores, quae, ut ita dicam, grandiscapiae sunt, ait aqua adjuvandas cisternina, quae si prodest, ha-

bemus pluviam in nostra potestate. Plura te docere non cogito, ne quemadmodum Aegialus me sibi adversarium paravit, sic ego parem te mihi. Vale.

EPISTULA II. (87.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Naufragium, antequam navem adscenderem, feci: quomodo acciderit, non adicio, ne et hoc putes inter Stoica paradoxa ponendum, quorum nullum esse falsum nec tam mirabile quam prima facie videtur, cum volueris, adprobabo, immo etiam si nolueris: interim hoc me iter docuit, quam multa haberemus supervacua et quam facile iudicio possemus deponere, quae, si quando necessitas abstulit, non sentimus ablata.
- 2 Cum paucissimis servis, quos unum capere vehiculum potuit, sine ullis rebus, nisi quae corpore nostro continebantur, ego et Maximus meus biduum iam beatissimum agimus. culcita in terra iacet, ego in culcita. ex duabus penulis altera stragulum, altera, operatorium facta est. de prandio nihil detrahi potuit: paratum fuit non magis hora, nusquam sine caricis, nusquam sine pugillaribus: illae, si panem habeo, pro pulmentario sunt, si non habeo, pro pane. cotidie mihi annum novum faciunt, quem ego faustum et felicem reddo bonis cogitationibus et animi magnitudine, qui numquam maior est, quam ubi aliena seposuit et fecit sibi pacem nihil timendo, fecit sibi divitias nihil concupiscendo. Vehiculum, in quod inpositus sum, rusticum est. mulae vivere ambulando testantur. mulio excalceatus, non propter aestatem. Vix a me obtineo, ut hoc vehiculum velim videri meum: durat adhuc perversa recti verecundia. quotiens in aliquem comitatum lautiolem incidimus, invitus erubesco, quod argumentum est ista, quae probo, quae laudo, nondum habere certam sedem et immobilem. qui
- 5 sordido vehiculo erubescit, pretioso gloriabitur. Parum adhuc profeci. nondum audeo frugalitatem palam ferre. etiam nunc curo opiniones viatorum: contra totius generis humani opiniones mittenda vox erat: „Insanilis, erratis,

stupetis ad supervacua, neminem aestimatis suo. cum ad patrimonium ventum est, diligentissimi computatores sic rationem ponitis singulorum, quibus aut pecuniam credituri estis aut beneficia. nam haec quoque iam expensa fertis: late possidet, sed multum debet. habet domum formosam, sed alienis nummis paratam. familiam nemo cito speciosiore[m] producet, sed nominibus non respondet. si creditoribus solverit, nihil illi supererit. Idem in reliquis quoque facere debebitis, excutere quantum proprii quisque habeat.“ Divitem illum putas, quia aurea supellex etiam in via sequitur, quia in omnibus provinciis arat, quia magnus kalendarii liber volvitur, quia tantum suburbani agri possidet, quantum invidiose in desertis Apuliae possideret: cum omnia dixeris, pauper est. quare? quia debet. „Quantum?“ inquis. Omnia. nisi forte iudicas interesse, utrum aliquis ab homine an a fortuna multum sumpserit. Quid ad rem pertinent mulae saginatae unius omnes coloris? quid ista vehicula caelata?

*Instratos ostrô alipedes pictisque tapetis,
aurea pectoribus demissa monilia pendent,
tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum.*

ista nec dominum meliorem possunt facere nec mulam. M. Cato Censorius, quem tam e republica fuit nasci quam Scipionem, alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit, canterio vehebatur et hippoperis quidem inpositis, ut secum utilia portaret. O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via [divitibus] cursores et Numidas et multum ante se pulveris agentem! hic sine dubio cultior comitatorque quam M. Cato videretur, hic, qui inter illos adparatus delicatos cum maxime dubitat, utrum se ad gladium locet an ad cultrum. O quantum erat seculi decus, imperatorem triumphalem, censorium, [et] quod super omnia haec est, Catonem uno caballo esse contentum et ne toto quidem! partem enim sarcinae ab utroque latere dependentes occupabant: ita non omnibus obesis mannis et asturconibus et tolutariis praeferres unicum illum equum ab ipso Ca-

11 tone defricum? Video non futurum finem in ista materia ullum, nisi quem ipse mihi fecero. hic itaque conticescam, quantum ad ista, quae sine dubio talia divinavit futura, qualia nunc sunt, qui primus adpellavit „inpedimenta.“ Nunc volo paucissimas adhuc interrogationes nostrorum tibi reddere ad virtutem pertinentes, quam satisfacere vitae beatae contendimus.

12 Quod bonum est, bonos facit. nam et in arte musica quod bonum est, [*bonum*] facit musicum. fortuita bonum non faciunt: ergo non sunt bona.

Adversus hoc sic repondent Peripatetici, ut quod primum proponimus, falsum esse dicant. „Ab eo, inquit, quod est bonum, non utique fiunt boni. in musica est aliquid bonum tamquam tibia aut chorda aut organum aliquod aptatum ad usus canendi. nihil tamen horum facit musicum. Hic respondebimus: „non intellegitis, quomodo posuerimus quod bonum est in musica. non enim id dicimus, quod instruit musicum, sed quod facit: tu ad supellectilem artis, non ad artem venis. si quid autem in ipsa arte musica bonum est, id utique musicum

14 faciet.“ Etiam nunc facere id planius volo. Bonum in arte musica duobus modis dicitur, alterum, quo effectus musici adiuvatur, alterum, quo ars: ad effectum pertinent instrumenta, tibiae et organa et chordae, ad artem ipsam non pertinent. est enim artifex etiam sine istis: uti forsitan non potest arte. hoc non est aequè duplex in homine. idem enim bonum et hominis et vitae.

15 „Quod contemptissimo cuique contingere ac turpissimo potest, bonum non est. opes autem et lenoni et lanistae contingunt: ergo non sunt bona.“

„Falsum est, inquit, quod proponitis. nam et in grammaticae et in arte medendi aut gubernandi videmus 16 humillimis quibusque bona contingere.“ Sed istae artes non sunt magnitudinem animi professae, non consurgunt in altum nec fortuita fastidiunt: virtus extollit hominem

et supra cara mortalibus conlocat: nec ea, quae bona, nec ea, quae mala vocantur, aut cupit nimis aut expavescit. Chelidon, unus ex Cleopatrae mollibus, patrimonium grande possedit. nuper Natalis tam improbae linguae quam impurae, in cuius ore feminae purgabantur, et multorum heres fuit et multos habuit heredes. Quid ergo? utrum illum pecunia purum effecit an ipse pecuniam inspurgavit? quae sic in quosdam homines quomodo denarius in cloacam cadit. Virtus super ista consistit. suo aere censetur. nihil ex istis quolibet incurrentibus bonum iudicat. Medicina et gubernatio non interdicit sibi ac suis admiratione talium rerum. qui non est vir bonus, potest nihilominus medicus esse, potest gubernator, potest grammaticus tam mehercules quam coquus. Cui contigit habere rem non quamlibet, hunc non quemlibet dixeris: qualia quisque habet, talis est. Fiscus tanti est, quantum habet: immo in accessionem eius venit, quod habet. quis pleno sacco ullum pretium ponit, nisi quod pecuniae in eo conditae numerus effecit? idem evenit magnorum dominis patrimoniorum: accessiones illorum et appendices sunt. Quare ergo sapiens magnus est? quia magnum animum habet. verum est ergo: quod contemptissimo cuique contingit, bonum non est. Itaque indolentiam numquam bonum dicam: habet illam cicada, habet pulex. ne quietem quidem et molestia vacare bonum dicam: quid est otiosius verme? Quaeris, quae res sapientem faciat? quae deum. des oportet illi divinum aliquid, coeleste, magnificum. non in omnes bonum cadit nec quemlibet possessorem patitur. Vide

20

et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset:

hic segetes, illic veniunt felicius uvae.

arborei fetus alibi atque iniussa virescunt

gramina. nonne vides, croceos ut Tmolus odores,

India mittat ebur, molles sua tura Sabaei?

at Chalybes nudi ferrum.

Ista in regiones descripta sunt, ut necessarium mortalibus esset inter ipsos commercium, si invicem alius aliquid ab alio peteret: summum illud bonum et ipsum suam habet

sedem. non nascitur, ubi ebur, nec ubi ferrum: quis sit summi boni locus quaeris? animus. hic, nisi purus ac sanctus est, deum non capit.

22 „Bonum ex malo non fit: divitiae fiunt. fiunt autem ex avaritia: divitiae ergo non sunt bonum.“

„Non est, inquit, verum bonum, ex malo non nasci. ex sacrilegio enim et furto pecunia nascitur. itaque malum quidem est sacrilegium et furtum, sed ideo, quia plura mala facit quam bona. dat enim lucrum, sed cum
23 metu, sollicitudine, tormentis et animi et corporis.“ Quis-
quis hoc dicit necesse est recipiat sacrilegium, sicut malum sit, quia multa mala facit, ita bonum quoque ex aliqua parte esse, quia aliquid boni facit: quo quid fieri portentosius potest? quamquam sacrilegium, furtum, adulterium inter bona haberi prorsus persuasimus. quam multi furto non erubescunt, quam multi adulterio gloriantur? nam sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur. Adice nunc, quod sacrilegium, si omnino
24 ex aliqua parte bonum est, etiam honestum erit et recte factum vocabitur. nostra enim actio est. quod nullius mortalium cogitatio recipit. ergo bona nasci ex malo non possunt. nam si, ut dicis, ob hoc unum sacrilegium malum est, quia multum mali adfert, si remiseris illi supplicia, si securitatem sponderis, ex toto bonum erit. at-
25 qui maximum scelerum supplicium in ipsis est. Erras, inquam, si illa ad carnificem aut ad carcerem differs: statim puniuntur, cum facta sunt, immo dum fiunt. Non nascitur itaque ex malo bonum, non magis quam ficus ex olea. ad semen nata respondent: bona degenerare non possunt. Quemadmodum ex turpi honestum non nascitur, ita ne ex malo quidem bonum. nam idem est honestum et bonum. Quidam ex nostris adversus hoc sic respondent: „putemus pecuniam bonum esse undecumque sumptam: non tamen ideo ex sacrilegio pecunia est, etiamsi ex sacrilegio sumitur. Hoc sic intellege: in eadem urna et aurum est et vipera. si aurum ex urna sustuleris, quia illic et vipera est, non ideo, inquam, mihi

urna aurum dat, quia viperam habet, sed aurum dat, cum et viperam habeat: eodem modo ex sacrilegio lucrum fit, non quia turpe et sceleratum est sacrilegium, sed quia et lucrum habet. Quemadmodum in illa urna vipera malum est, non aurum, quod cum vipera iacet, sic in sacrilegio malum est scelus, non lucrum.“ [A quibus *dissen-* 27 *tio.*] dissimillima utriusque rei condicio est: illic aurum possum sine vipera tollere. illic lucrum sine sacrilegio facere non possum. lucrum illud non est adpositum sceleris, sed inmixtum.

„Quod dum consequi volumus, in multa 28 mala incidimus, id bonum non est. dum divitias autem consequi volumus, in multa mala incidimus: ergo divitiae bonum non sunt.“

„Duas, inquit, significationes habet propositio vestra, unam: dum divitias consequi volumus, in multa nos mala incidere. in multa autem mala incidimus et dum virtutem consequi volumus. aliquis, dum navigat studii causa, naufragium fecit, aliquis captus est. Altera significatio 29 talis est: per quod in mala incidimus, id bonum non est, Huic propositioni non erit consequens per divitias nos aut per voluptates in mala incidere: aut si per divitias in multa mala incidimus, non tantum bonum divitiae non sunt, sed malum sunt: vos autem tantum illas dicitis bonum non esse. Praeterea, inquit, conceditis divitias habere aliquid usus. inter commoda illas numeratis: atqui eadem ratione ne commodum quidem erunt. per illas enim multa nobis incommoda eveniunt.“ His quidam hoc 30 respondent: „Erratis, qui incommoda divitiis imputatis. illae neminem laedunt: aut sua nocet cuique stultitia aut aliena nequitia. sic quemadmodum gladius, qui neminem occidit, occidentis telum est. non ideo divitiae tibi nocent, si propter divitias tibi nocetur.“ Posidonius, ut 31 ego existimo, melius, qui ait divitias esse causam malorum, non quia ipsae faciunt aliquid, sed quia facturos iritant. alia est enim causa efficiens, quae protinus necesse est noceat, alia praecedens. hanc praecedentem causam divitiae habent: inflant animos, superbiam pa-

- riunt, invidiam contrahunt et usque eo mentem alienant,
 32 ut fama pecuniae nos etiam nocitura delectet: bona autem omnia carere culpa decet: pura sunt, non corrumpunt animos, non sollicitant. extollunt quidem et dilatant, sed sine tumore. quae bona sunt, fiduciam faciunt, divitiae audaciam. quae bona sunt, magnitudinem animi dant, divitiae insolentiam. nihil autem aliud est insolentia quam
 33 species magnitudinis falsa. „Isto modo, inquit, etiam malum sunt divitiae, non tantum bonum non sunt.“^F Essent malum, si per se nocerent, si, ut dixi, haberent efficientem causam: nunc praecedentem habent et quidem non irritantem tantum animos, sed adtrahentem. ^Fspeciem enim boni obfundunt verisimilem ac plerisque credibilem.^N
- 34 Habet virtus quoque praecedentem causam: adducit invidiam. multis enim propter sapientiam, multis propter iustitiam invidetur. sed nec ex se hanc causam habet nec verisimilem. contra enim verisimilior illa species hominum animis obicitur a virtute, quae illos in amorem et admirationem vocet.
- 35 Posidonius sic interrogandum ait: „Quae neque magnitudinem animo dant nec fiduciam nec securitatem, non sunt bona. divitiae autem et bona valitudo et similia his nihil horum faciunt: ergo non sunt bona.“ Hanc interrogationem magis etiam nunc hoc modo intendit: „Quae neque magnitudinem animo dant nec fiduciam nec securitatem, contra autem insolentiam, tumorem, arrogantiam creant, mala sunt. a fortuitis autem in haec inpellimur: ergo non sunt bona.“
- 36 „Hac, inquit, ratione ne commoda quidem ista erunt.“ Alia est commodorum condicio, alia bonorum: commodum est, quod plus usus habet quam molestiae. bonum sincerum esse debet et ab omni parte innoxium. non est id bonum, quod plus prodest, sed quod tantum prodest.
- 37 Praeterea commodum et ad animalia pertinet et ad imperfectos homines et ad stultos. itaque potest ei esse incommodum mixtum, sed commodum dicitur a maiore sui

parte aestimatum: bonum ad unum sapientem pertinet. inviolatum esse oportet. Bonum animum habe: unus tibi ³⁸ nodus, sed Herculaneus restat:

„Ex malis bonum non fit. ex multis paupertatibus divitiae fiunt: ergo divitiae bonum non sunt.“

Hanc interrogationem nostri non agnoscunt: Peripatetici et fingunt illam et solvunt. ait autem Posidonius hoc sophisma, per omnes dialecticorum scholas iactatum, sic ab Antipatro refelli: „Paupertas non per positionem di- ³⁹ citur, sed per detractionem (vel, ut antiqui dixerunt, per orbationem. Graeci κατὰ στέρησιν dicunt.) non quod habeat dicitur, sed quod non habeat. itaque ex multis inanibus nihil inpleri potest: divitias multae res faciunt, non multae inopiae. Aliter, inquit, quam debes, paupertatem intellegis. paupertas enim est non quae pauca possidet, sed quae multa non possidet: ita non ab eo dicitur, quod habet, sed ab eo, quod ei deest.“ Facilius, quod ⁴⁰ volo, exprimerem, si Latinum verbum esset, quo ἀνυπαρξία significa[re]tur. hanc paupertati Antipater adsignat: ego non video, quid aliud sit paupertas quam parvi possessio. De isto videbimus, si quando valde vacabit, quae sit divitiarum, quae paupertatis substantia: sed tunc [hoc] quoque considerabimus, numquid satius sit paupertatem permulcere, divitiis demere supercilium quam litigare de verbis, quasi iam de rebus iudicatum sit. Putemus nos ad concionem vocatos. lex de abole- ⁴¹ dis divitiis fertur: his interrogationibus suasuri aut dissuasuri sumus? his effecturi, ut populus Romanus paupertatem, fundamentum et causam imperii sui, requirat ac laudet, divitias autem suas timeat? ut cogitet has se apud victos reperisse, hinc ambitum et largitiones et tumultus in urbem sanctissimam temperantissimamque irupisse, nimis luxuriose ostentari gentium spolia, quod unus populus eripuerit omnibus, facilius ab omnibus uni eripi posse. Haec satius est suadere et expugnare adfectus, non circumscribere. si possumus, fortius loquamur: si minus, apertius. Vale.

EPISTULA III. (88.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 De liberalibus studiis quid sentiam, scire desideras: nullum suspicio, nullum in bonis numero, quod ad aes exit. meritoria artificia sunt, hactenus utilia, si praeparant ingenium, non detinent. tamdiu enim istis inmorandum est, quamdiu nihil animus agere maius potest: rudimenta sunt nostra, non opera. Quare liberalia studia dicta sint, vides: quia homine libero digna sunt. ceterum unum studium vere liberale est, quod liberum facit, hoc est sapientiae, sublime, forte, magnanimum. cetera pusilla et puerilia sunt: an tu quicquam in istis credis esse boni, quorum professores turpissimos omnium ac flagitiosissimos cernis? Non discere debemus ista, sed didicisse. Quidam illud de liberalibus studiis quaerendum iudicaverunt, an virum bonum facerent: ne promittunt quidem nec huius rei scientiam adfectant. Grammaticus circa curam sermonis versatur et, si latius evagari vult, circa historias, iam ut longissime fines suos proferat, circa carmina. quid horum ad virtutem viam sternit? syllabarum enarratio et verborum diligentia et fabularum memoria et versuum lex ac modificatio? quid ex his metum demit, cupiditatem eximit, libidinem frenat? (Ad geometriam transeamus et ad musicen: nihil apud illas invenies, quod vetet timere, vetet cupere.) quisquis haec ignorat, alia frustra scit: videndum, utrum doceant isti virtutem an non: si non docent, ne tradunt quidem. si docent, philosophi sunt. vis scire, quam non ad docendam virtutem consederint? adspice, quam dissimilia inter se omnium studia sint: atqui similitudo esset idem docentium. nisi forte tibi Homerum philosophum fuisse persuadeant, cum his ipsis, quibus colligunt, negent: nam modo Stoicum illum faciunt, virtutem solam probantem et voluptates refugientem et ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem, modo Epicureum, laudantem statum quietae civitatis et inter convivia cantusque vitam exigentis, modo Peripateticum.

bonorum genera inducentem, modo Academicum, omnia
 incerta dicentem: adparet nihil horum esse in illo, cui
 omnia insunt. ista enim inter se dissident. Demus illis
 Homerum philosophum fuisse: nempe sapiens factus est,
 antequam carmina ulla cognosceret: ergo illa discamus,
 quae Homerum fecere sapientem. Hoc quidem me quae- 6
 rere, uter maior aetate fuerit, Homerus an Hesiodus, non
 magis ad rem pertinet quam scire, cum minor Hecuba
 fuerit quam Helena, quare tam male tulerit aetatem. quid?
 inquam, annos Patrocli et Achillis inquirere ad rem exi-
 stimas pertinere? Quaeris, Ulixes ubi erraverit potius 7
 quam efficias, ne nos semper erremus? non vacat audi-
 re, utrum inter Italiam et Siciliam iactatus sit an extra
 notum nobis orbem. neque enim potuit in tam angusto
 error esse tam longus: tempestates nos animi cotidie iac-
 tant et nequitia in omnia Ulixis mala inpellit: non deest
 forma, quae sollicitet oculos, non hostis. hinc monstra
 effera et humano cruore gaudentia, hinc insidiosa blandi-
 menta aurium, hinc naufragia et tot varietates malorum:
 hoc me doce, quomodo patriam amem, quomodo uxorem,
 quomodo patrem, quomodo ad haec tam honesta vel nau-
 fragus navigem. Quid inquiris, an Penelope [in]pudica 8
 fuerit, an verba seculo suo dederit? an Ulixem illum
 esse, quem videbat, antequam sciret, suspicata sit? doce
 me, quid sit pudicitia et quantum in ea bonum, in cor-
 pore an in animo posita sit. Ad musicum transeo: 9
 doces me, quomodo inter se aculae ac graves voces con-
 sonent, quomodo nervorum disparem reddentium sonum
 fiat concordia: fac potius, quomodo animus secum meus
 consonet nec consilia mea discrepent. monstras mihi,
 qui sint modi flebiles: monstra potius, quomodo inter ad-
versa non emittam flebilem vocem. Metiri me geo- 10
 metres docet latifundia potius quam doceat, quomodo
 metiar, quantum homini satis sit. numerare docet
 me [arithmetica] et avaritiae commodat digitos po-
 tius quam doceat nihil ad rem pertinere istas computatio-
 nes, non esse feliciorum, cuius patrimonium tabularios
 lassat, immo quam supervacua possideat, qui infelicissi-

mus futurus est, si quantum habeat, per se computare cogatur. Quid mihi prodest scire agellum in partes dividere, si nescio cum fratre dividere? quid prodest colligere subtiliter pedes iugeri et comprehendere etiam si quid decempedam effugit, si tristem me facit vicinus impotens et aliquid ex meo abradens? docet quomodo nihil perdam ex finibus meis: at ego doceri volo, quomodo totos hilaris amittam. „Paterno agro et avito, inquit, expellor.“ Quid? ante avum tuum quis istum agrum tenuit? cuius, non dico hominis, sed populi fuerit, expedire potes? non dominus isto, sed colonus intrasti. cuius colonus es? si bene tecum agitur, heredis. Negant iurisperiti quicquam usucapi, quod publicum est: publicum est hoc, quod tenes, quod tuum dicis: publicum est et quidem generis humani. O egregiam artem: scis rotunda metiri. in quadratum redigis quaecumque acceperis formam. intervalla siderum dicis. nihil est, quod in mensuram tuam non cadat: si artifex es, metire hominis animum. dic, quam magnus sit, dic, quam pusillus sit. Scis, quae recta sit linea: quid tibi prodest, si, quid in vita rectum sit, ignoras? Venio nunc ad illum, qui coelestium notitia gloriatur:

*frigida Saturni sese quo stella receptet,
quos ignis coeli Cyllenius erret in orbis.*

Hoc scire quid proderit? ut sollicitus sim, cum Saturnus et Mars ex contrario stabunt aut cum Mercurius vespertinum faciet occasum vidente Saturno, potius quam hoc discam, ubicumque sunt ista, propitia esse nec posse mutari? Agit illa continuus ordo fatorum et inevitabilis cursus. per stas vices remeant et effectus rerum omnium aut movent aut notant: sed sive quicquid evenit, faciunt, quid immutabilis rei notitia proficiet? sive significant, quid refert providere quod effugere non possis? scias ista, nescias: fient.

16 *Si vero solem ad rapidum stellasque sequentes
ordine respicies, numquam te crastina fallet
hora nec insidiis noctis capiere serенаe.*

Sed ante satis abundeque provisum est, ut ab insidiis tu-

tus essem. „Numquid crastina non fallit hora? fallit 17
enim, quod nescienti evenit.“ Ego, quid futurum sit,
nescio: quid fieri possit, scio. ex hoc nihil desperabo,
totum exspecto: si quid remittitur, boni consulo. Fallit
me hora, si parcit: sed ne sic quidem fallit. nam quem-
admodum scio omnia accidere posse, sic scio et non uti-
que casura. utique secunda exspecto, malis paratus sum.
In illo feras me necesse est non per praescriptum eun- 18
tem: non enim adducor, ut in numerum liberalium artium
pictores recipiam, non magis quam statuarios aut
marmorarios aut ceteros luxuriae ministros. aequae
luctatores et totam oleo ac luto constantem scientiam
expello ex his studiis liberalibus: aut et unguentarios re-
cipiam et coquos et ceteros voluptatibus nostris ingenia
adcommodantes sua. quid enim, oro te, liberale habent 19
isti ieiuni vomitores, quorum corpora in sagina, animi in
macie et veterno sunt? an liberale studium istuc esse
iuventuti nostrae credimus, quam maiores nostri rectam
exercuerunt hastilia iacere, sudem torquere, equum agi-
tare, arma tractare? nihil liberos suos docebant, quod
discendum esset iacentibus. Sed nec haec nec illa edo-
cent aluntve virtutem. quid enim prodest equum regere
et cursum eius freno temperare, adfectibus effrenatissi-
mis abstrahi? quid prodest multos vincere luctatione vel
caestu, ab iracundia vinci? „Quid ergo? nihil nobis li- 20
beralia conferunt studia?“ Ad alia multum, ad virtutem
nihil. nam et hae viles ex professo artes, quae manu
constant, ad instrumenta vitae plurimum conferunt, tamen
ad virtutem non pertinent. „Quare ergo liberalibus
studiis filios erudimus?“ Non quia virtutem
dare possunt, sed quia animum ad accipien-
dam virtutem praeparant. quemadmodum prima
illa, ut antiqui vocabant, literatura, per quam pueris ele-
menta traduntur, non docet liberales artes, sed mox per-
cipiendis locum parat, sic liberales artes non perducunt
animum ad virtutem, sed expediunt. Quatuor aut esse 21
artium Posidonius genera: sunt volgares et sor-
didae, sunt ludicrae, sunt pueriles, sunt libera-

les: vulgares opificum, quae manu constant et ad instruendam vitam occupatae sunt, in quibus nulla decoris, nulla honesti simulatio est. ludicrae sunt, quae ad voluptatem oculorum atque aurium tendunt. his adnumereres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitant et tabulata tacite in sublime crescentia et alias ex inopinato varietates aut dehiscuntibus, quae cohaerebant, aut his, quae distabant, sua sponte coeuntibus aut his, quae eminebant, paulatim in se residentibus. his imperitorum feriuntur oculi omnia subita, quia causas non
 23 novere, mirantium. Pueriles sunt et aliquid habentes liberalibus simile hae artes, quas *ἐγκυκλίους* Graeci [*vocant. Denique quas paulo ante dixi, ἐλευθερίους adpellant Graeci:*] nostri has liberales vocant. solae autem liberales sunt, immo, ut dicam verius, liberae, quibus curae virtus est. „Quemadmodum, inquit, est aliqua pars philosophiae naturalis, est aliqua moralis, est aliqua rationalis, sic et haec quoque liberalium artium turba locum sibi in philosophia vindicat. cum ventum est ad naturales quaestiones, geometriae testimonio statur: ergo,
 25 quia adiuvat, pars est.“ Multa adiuvant nos nec ideo partes nostrae sunt. immo si partes essent, non adiuverent: cibus adiutorium corporis est, non tamen pars est. Aliquid nobis praestat geometriae ministerium: sic philosophiae necessaria est, quomodo ipsi faber. sed nec hic
 26 geometriae pars est nec illa philosophiae. Praeterea utraque fines suos habet: sapiens causas naturalium et quaerit et novit, quorum numeros mensurasque geometres persequitur et subputat. qua ratione constant coelestia, quae illis sit vis quaeve natura, sapiens scit: cursus et recursus et quasdam observationes, per quas descendunt et adlevantur ac speciem interdum stantium praebent, cum coelestibus stare non liceat, colligit mathemati-
 27 cus. quae causa in speculo imagines exprimat, sciet sapiens: illud tibi geometres potest dicere, quantum abesse debeat corpus ab imagine et qualis forma speculi quales imagines reddat. magnum esse solem philosophus probabit: quantus sit, mathematicus, qui usu quodam et

exercitatione procedit: sed ut procedat, inpetranda illi
 quaedam principia sunt. non est autem ars sui iuris, cui
 precarium fundamentum est. Philosophia nil ab alio pe- 28
 tit, totum opus a solo excitat: mathematice, ut ita dicam,
 superficialia est, in alieno aedificat. accipit prima, quo-
 rum beneficio ad ulteriora perveniat. si per se iret ad
 verum, si totius mundi naturam posset comprehendere, di-
 cerem multum conlaturam mentibus nostris, quae tracta-
 tu coelestium crescunt trahuntque aliquid ex alto. Una
re consummatur animus, scientia bonorum ac
malorum inmutabili, quae soli philosophiae
competit: nihil autem ulla ars alia de bonis ac malis
quaerit. Singulas lubet circumire virtutes: fortitudo 29
 contemptrix timendorum est. terribilia et sub iugum li-
 bertatem nostram mittentia despicit, provocat, frangit:
 numquid ergo hanc liberalia studia corroborant? Fides
 sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessi-
 tate ad fallendum cogitur, nullo conrumpitur praemio.
 „ure, inquit, caede, occide: non prodam, sed quo magis
 secreta quaeret dolor, hoc illa altius condem“: numquid
 liberalia studia hos animos facere possunt? Tempe-
rantia voluptatibus imperat. alias odit atque abigit,
alias dispensat et ad sanum modum redigit nec umquam
ad illas propter ipsas venit. scit optimum esse modum
cupitorum non quantum velis, sed quantum debeas su-
mere. Humanitas vetat superbum esse adversus so- 30
 cios, vetat amarum. verbis, rebus, adfectibus comem se
 facilemque omnibus praestat. nullum alienum malum pu-
 tat. bonum autem suum ideo maxime, quod alicui bono
 futurum est, amat: numquid liberalia studia hos mores
 praecipiant? non magis quam simplicitatem, quam
modestiam ac moderationem, non magis quam
frugalitatem ac parsimoniam, non magis quam
clementiam, quae alieno sanguini tamquam suo parcit
 et scit homini non esse homine prodige utendum. „Cum 31
 dicatis, inquit, sine liberalibus studiis ad virtutem non
 perveniri, quemadmodum negatis illa nihil conferre vir-
 tuti?“ quia nec sine cibo ad virtutem pervenitur, cibus

tamen ad virtutem non pertinet. ligna navi nihil conferunt, quamvis non fiat navis nisi ex lignis: non est, inquam, cur aliquid putes eius adiutorio fieri, sine quo non
 32 potest fieri. Potest quidem etiam illud dici, sine liberalibus studiis veniri ad sapientiam posse. quamvis enim virtus discenda sit, tamen non per haec discitur. quid est autem, quare existimem non futurum sapientem eum, qui literas nescit, cum sapientia non sit in literis? res tradit, non verba, et nescio an certior memoria sit, quae nullum extra se subsidium habet. Magna et spatiosa res est sapientia. vacuo illi loco opus est: de divinis humanisque discendum est, de praeteritis, de futuris, de caducis, de aeternis, de tempore, de quo uno vide quam multa quaerantur: primum an per se sit aliquid. deinde an aliquid ante tempus sit sine tempore. cum mundo coeperit an etiam ante mundum quia fuerit
 34 aliquid, fuerit et tempus? Innumerabiles quaestiones sunt de animo tantum: unde sit, qualis sit, quando esse incipiat, quamdiu sit. aliunde alio transeat et domicilia mutet ad alias animalium formas aliasque coniectus, an non amplius quam semel serviat et emissus vagetur in toto. utrum corpus sit an non sit. quid sit factururus, cum per nos aliquid facere desierit, quomodo libertate sua usus, cum ex hac effugerit cavea. an obliviscatur priorum et illic nosse se incipiat, ubi corpori abductus in sublime secessit.
 35 Quaecumque partem rerum humanarum divinarumque comprehenderit, ingenti copia quaerendorum ac discendorum fatigaberis. Haec tam multa, tam magna ut habere possint liberum hospitium, supervacua ex animo tollenda sunt. non dabit se in has angustias virtus: laxum spatium res magna desiderat. expellantur omnia.
 36 totum pectus illi vacet. „At enim delectat artium notitia multarum.“ Tantum itaque ex illis retineamus, quantum necessarium est. an tu existimas reprehendendum, qui supervacua usibus comparat et pretiosarum rerum pompam in domo explicat: non putas eum, qui occupatus est in supervacua literarum suppellectile? Plus scire velle quam sit satis, intemperan-

tiae genus est. Quid? quod ista liberalium artium³⁷
 consecratio molestos, verbosos, intempesti-
 vos, sibi placentes facit et ideo non discentes ne-
 cessaria, quia supervacua didicerunt. Quatuor milia li-
 brorum Didymus grammaticus scripsit: misererer, si tam
 multa supervacua legisset. in his libris de patria Homeri
 quaeritur, in his de Aeneae matre vera, in his libidino-
 sior Anacreon an ebriosior vixerit, in his an Sappho pu-
 blica fuerit, et alia, quae erant dediscenda, si scires: i
 nunc et longam esse vitam nega. Sed ad nostros quo-³⁸
 que cum perveneris, ostendam multa securibus recidenda.
 Magno impendio temporum, magna alienarum aurium mo-
 lestia laudatio haec constat: o hominem literatum! simus
 hoc titulo rusticiore contenti: o virum bonum! Itane est?³⁹
 annales evolvam omnium gentium et quis primus carmi-
 na scripserit, quaeram? quantum temporis inter Orphea
 intersit et Homerum, cum fastos non habeam, computabo?
 et Aristarchi ineptias, quibus aliena carmina conpinxit,
 recognoscam et aetatem in syllabis conteram? itane in
 geometriae pulvere haerebo? adeo mihi praeceptum il-
 lud salutare excidit: „tempori parce“? haec sciam?
 et quid ignorem? Appion grammaticus, qui sub C. Cae-⁴⁰
 sare tota circulator est Graecia et in nomen Homeri ab
 omnibus civitatibus adoptatus, aiebat Homerum utraque
 materia consummata, et Odyssea et Iliade, principium
 adiecisse operi suo, quo bellum Troianum complexus est.
 huius rei argumentum adferebat, quod duas literas in
 primo versu posuisset ex industria librorum suorum nu-
 merum continentes. Talia sciat oportet, qui multa vult⁴¹
 scire: non vis cogitare, quantum tibi temporis auferat
 mala validudo, quantum occupatio publica, quantum oc-
 cupatio privata, quantum occupatio cotidiana, quantum
 somnus? metire aetatem tuam: tam multa non capit. De⁴²
 liberalibus studiis loquor: philosophi quan-
 tum habent supervacui? quantum ab usu receden-
 tis? ipsi quoque ad syllabarum distinctiones et coniun-
 ctionum ac praepositionum proprietates descenderunt et
 invidere grammaticis, invidere geometricis. quicquid in il-

lorum artibus supervacuum erat, transtulere in suam: sic effectum est, ut diligentius scirent loqui quam vivere.

- 43 Audi, quantum mali faciat nimia subtilitas et quam infesta veritati sit: Protagoras ait de omni re in utramque partem disputari posse ex aequo et de hac ipsa, an omnis res in utramque partem disputabilis sit. Nausiphanes ait ex his, quae videntur esse, nihil magis esse quam non
- 44 esse. Parmenides ait ex his, quae videntur, nihil esse *nisi universum*. Zenon Eleates omnia negotia de negotio deiecit: ait nihil esse. Circa eadem fere Pyrrhonei versantur et Megarici et Eretrici et Academici, qui novam
- 45 induxerunt scientiam, nihil scire. Haec omnia in illum supervacuum studiorum liberalium gregem conice: illi mihi non profuturam scientiam tradunt, hi spem omnis scientiae eripiunt. satius est supervacua scire quam nihil. illi non praeferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum, hi oculos mihi effodiunt. Si Protagorae credo, nihil in rerum natura est nisi dubium. si Nausiphani, hoc unum certum est, nihil esse certi. si Parmenidi, nihil
- 46 praeter unum. si Zenoni, ne unum quidem. Quid ergo nos sumus? quid ista, quae nos circumstant, alunt, sustinent? tota rerum natura umbra est aut inanis aut fallax. Non facile dixerim, utris magis irascar, illis, qui nos nihil scire voluerunt, an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil scire. Vale.
-

L. ANNAEI SENECAE
AD LUCILIUM
EPISTULARUM MORALIUM
LIBER XIV.

—————
EPISTULA I. (89.)
SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Rem utilem desideras et ad sapientiam pro-
peranti necessariam, dividi philosophiam et
ingens corpus eius in membra disponi. facilius enim per
partes in cognitionem totius adducimur: utinam quidem,
quemadmodum universa mundi facies in conspectum ve-
nit, ita philosophia tota nobis posset occurrere, simillimum
mundo spectaculum. profecto enim omnes mortales
in admirationem sui raperet relictis iis, quae nunc magna
magnum ignorantia credimus: sed quia contingere hoc
non potest, sic [erit a] nobis adspicienda, quemadmodum
mundi secreta cernuntur. Sapientis quidem animus totam
molem eius amplectitur nec minus illam velociter obit
quam coelum acies nostra: nobis autem, quibus per-
penda caligo est et quorum visus in proximo deficit, sin-
gula quaeque ostendi facilius possunt, universi nondum
capacibus. faciam ergo, quod exigis, et philosophiam in
partes, non in frustra dividam. dividi enim illam, non
concordi utile est. nam comprehendere quemadmodum ma-
xima ita minima difficile est. Describitur in tribus popu-
lus, in centurias exercitus. quicquid in maius crevit, fa-
cilius agnoscitur, si discessit in partes, quas, ut dixi, in-
numerabiles esse et parvulas non oportet. idem enim vi-
tium habet nimia quod nulla divisio. simile confuso est,
quicquid usque in pulverem sectum est. Primum itaque,
sicut videtur, tibi dicam inter sapientiam et phi-
losophiam quid intersit. Sapientia perfectum
bonum est mentis humanae. philosophia sapientiae amor

est et adfectatio. haec ostendit, quo illa pervenit. Philosophia unde dicta sit, adparet. ipso enim nomine fatetur.

5 Quidam et sapientiam ita ** quidam finierunt, ut dicerent divinorum et humanorum scientiam. quidam ita: „sapientia est nosse divina et humana et horum causas.“ Supervacua mihi videtur haec adiectio, quia causae divinorum humanorumque pars divinorum sunt. Philosophiam quoque fuerunt qui aliter atque aliter finirent: alii studium illam virtutis esse dixerunt, alii studium corrigendae mentis. a quibusdam dicta est adpetitio rectae

6 rationis. Illud quasi constitit, aliquid inter philosophiam et sapientiam interesse. neque enim fieri potest, ut idem sit, quod adfectatur et quod adfectat. Quomodo multum inter avaritiam et pecuniam interest, cum illa cupiat, haec concupiscatur, sic inter philosophiam et sapientiam. haec enim illius effectus ac praemium est. illa venit, ad hanc

7 itur. Sapientia est, quam Graeci σοφίαν vocant. hoc verbo Romani quoque utebantur, sicut philosophia nunc quoque utuntur. quod et togatae tibi antiquae probabunt et inscriptus Dossenni monumento titulus :

Hospes resiste et sophian Dossenni lege.

8 Quidam ex nostris, quamvis philosophia studium virtutis esset et haec peteretur, illa peteret, tamen non putaverunt illas distrahi posse. nam nec philosophia sine virtute est nec sine philosophia virtus. Philosophia studium virtutis est, sed per ipsam virtutem: nec virtus autem esse sine studio sui potest nec virtutis studium sine ipsa. non enim quemadmodum in iis, qui aliquid ex distante loco ferire conantur, alibi est qui petit, alibi quod petitur. nec quemadmodum itinera, quae ad urbem perducent, extra ipsam sunt: ad virtutem venit per ipsam.

9 cohaerent inter se philosophia virtusque. Philosophiae tres partes esse dixerunt et maximi et plurimi auctores: moralem, naturalem, rationalem: prima componit animum. secunda rerum naturam scrutatur. tertia proprietates verborum exigit et structuram et argumentationes, ne pro vero falsa subrepanit. ceterum inventi sunt et qui in pauciora philosophiam et

qui in plura diducere: (quidam ex Peripateticis quartam 10 partem adiecerunt civilem, quia propriam quamdam exercitationem desideret et circa aliam materiam occupata sit. quidam adiecerunt his partem, quam οἰκονομικήν vocant, administrandae familiaris rei scientiam. quidam et de generibus vitae locum separaverunt. nihil autem horum non in illa parte morali reperitur. Epicurei duas partes philosophiae putaverunt esse, naturalem atque moralem: rationalem removerunt. deinde cum ipsis rebus cogentur ambigua secernere, falsa sub specie veri latentia coarguere, ipsi quoque locum, quem de iudicio et regula adpellant, alio nomine rationalem induxerunt, sed eum accessionem esse naturalis partis existimant. Cyrenaici naturalia cum 12 rationalibus sustulerunt et contenti fuerunt moralibus, sed hi quoque, quae remonent, aliter inducunt. in quinque enim partes moralia dividunt, ut una sit de fugiendis et expetendis, altera de adfectibus, tertia de actionibus, quarta de causis, quinta de argumentis: causae rerum ex naturali parte sunt, argumenta ex rationali, actiones ex morali. Ariston Chius non tantum 13 supervacuas esse dixit naturalem et rationalem, sed etiam contrarias. moralem quoque, quam solam reliquerat, circumcidit: nam eum locum, qui monitiones continet, sustulit et paedagogi esse dixit, non philosophi, tamquam quicquam aliud sit sapiens quam generis humani paedagogus. Ergo cum tripartita sit philoso- 14 phia, moralem eius partem primum incipiamus disponere. quam in tria rursus dividi placuit, ut prima esset inspectio suum cuique distribuens et aestimans, quanto quidque dignum sit, maxime utilis. quid enim est tam necessarium quam pretia rebus inponere? secunda de actionibus, tertia de inpetu. primum enim est, ut quantum quidque sit iudices. secundum, ut inpetum ad illa capias ordinatum temperatumque. tertium, ut inter inpetum tuum actionemque conveniat, ut in omnibus istis tibi ipse consentias. Quicquid ex [his] tribus defuit, 15 turbat et cetera. quid enim prodest intus aestimata ha-

bere omnia, si sis inpetu nimius? quid prodest inpetus
 repressisse et habere cupiditates in sua potestate, si in
 ipsa rerum actione tempora ignores nec scias, quando
 quidque et ubi et quemadmodum agi debeat? aliud est
 enim dignitates et pretia rerum nosse, aliud articulos,
 aliud inpetus refrenare et ad agenda ire, non ruere: tunc
 ergo vita concors sibi est, ubi actio non destituit inpetum,
 inpetus ex dignitate rei cuiusque concipitur, proinde re-
 16 missus acriorque prout illa digna est peti. Naturalis
 pars philosophiae in duo scinditur: corpora-
 lia et incorporalia. utraque dividuntur in suos, ut
 ita dicam, gradus: corporum locus in hos: primum in ea,
 quae faciunt et quae ex his gignuntur: gignuntur autem
 elementa. ipse elementis locus, ut quidam putant, sim-
 plex est. ut quidam, in materiam et causam omnia mo-
 17 ventem et elementa dividitur. Superest ut rationa-
 lem partem philosophiae dividam: omnis oratio
 aut continua est aut inter respondentem et interrogantem
 discissa. hanc *διαλεκτικήν*, illam *ῥητορικήν* placuit vo-
 cari: *ῥητορική* verba curat et sensus et ordinem. *δια-*
λεκτική in duas partes dividitur, in verba et significatio-
 nes, id est, in res, quae dicuntur, et vocabula, quibus
 dicuntur. Ingens deinde sequitur utriusque divisio. ita-
 que hoc loco finem faciam

et summa sequar fastigia rerum:

alioqui, si voluero facere partium partes, quaestionum
 18 liber fiet. Haec, Lucili virorum optime, quo minus legas
 non deterreo, dummodo, quicquid legeris, ad mo-
res statim referas. illos conpesce, marcentia in te
 excita, soluta constringe, contumacia doma, cupidi-
 tates tuas publicasque quantum potes vexa:
 et istis dicentibus: „quousque eadem?“ responde:
 19 „Ego debebam dicere: quousque eadem peccabitis?
 remedia ante vultis quam vitia desinere, ego vero eo ma-
 gis dicam et, quia recusatis, perseverabo. tunc incipit
 medicina proficere, ubi in corpore alienato dolorem tactus
 expressit. dicam etiam invitis profutura. aliquando ali-
 qua ad vos non blanda vox veniat, et quia verum sin-

guli audire non vultis, publice audite. Quousque fines 20
 possessionum propagabitis? ager uni domino, qui popu-
 lum cepit, angustus est. quousque arationes vestras por-
 rige- tis, ne provinciarum quidem spatio contenti circum-
 scribere praediorum modum? inlustrum fluminum per
 privatam decursus est et amnes magni magnarumque gen-
 tium termini usque ad ostium a fonte vestri sunt. hoc
 quoque parum est, nisi latifundiis vestris maria cinxistis,
 nisi trans Hadriam et Ionium Aegaeumque vester vilicus
 regnat, nisi insulae, ducum domicilia magnorum, inter
 vilissima rerum numerantur. quam vultis late possidete.
 sit fundus, quod aliquando imperium vocabatur. facite
 vestrum, quicquid potestis, dum plus sit alieni. Nunc 21
 vobiscum loquor, quorum aequae spatiosae luxuria quam
 illorum avaritia diffunditur. vobis dico: Quousque nul-
 lus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia inmi-
 neant, nullum flumen, cuius non ripas aedificia vestra
 praetexant? ubicumque scatebunt aquarum calentium ve-
 nae, ibi nova diversoria luxuriae excitabuntur. ubicum-
 que in aliquem sinum litus curvabitur, vos protinus fun-
 damenta facietis nec contenti solo, nisi quod manu fece-
 ritis, mare agetis introrsus. omnibus licet locis tecta ve-
 stra resplendeant, aliubi inposita montibus in vastum ter-
 rarum marisque prospectum, aliubi ex plano in altitudi-
 nem montium educta: cum multa aedificaveritis, cum in-
 gentia, tamen et singula corpora estis et parvula. quid
 prosunt multa cubicula? in uno iacetis. non est vestrum,
 ubicumque non estis. Ad vos deinde transeo, quorum 22
 profunda et insatiabilis gula hinc maria scrutatur, hinc
 terras. alia hamis, alia laqueis, alia retium variis gene-
 ribus cum magno labore persequitur. nullis animalibus
 nisi ex fastidio pax est: quantulum ex istis epulis [quae]
 per tot comparatis manus fesso voluptatibus ore libatis?
 quantulum ex ista fera periculose capta dominus crudus
 ac nausians gustat? quantulum ex tot conchyliis tam
 longe advectis per istum stomachum inexplebilem labi-
 tur? Infelices ecquid intellegitis maiorem vos famem ha-
 bere quam ventrem?

- 23 Haec aliis dic, ut dum dicis, audias ipse, scribe, ut dum scribis, legas, omnia ad mores et ad sedandam rabiem adfectuum referens. Stude non ut plus aliquid scias, sed ut melius. Vale.

EPISTULA II. (90.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Quis dubitare, mi Lucili, potest, quin deorum immortalium munus sit, quod vivimus, philosophiae, quod bene vivimus? itaque tanto plus huic nos debere quam dis, quanto maius beneficium est bona vita quam vita, pro certo haberetur, nisi ipsam philosophiam di tribuissent,
- 2 cuius scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus. nam si hanc quoque bonum volgare fecissent et prudentes nasceremur, sapientia, quod in se optimum habet, perdidisset: inter fortuita esset. nunc enim hoc in illa pretiosum atque magnificum est, quod non obvenit, quod illam sibi quisque debet, quod non ab alio petitur. Quid haberes, quod in philosophia suspiceres, si beneficiaria res esset? Huius opus unum est de divinis humanisque verum invenire. ab hac numquam recedit religio, iustitia, pietas et omnis alius comitatus virtutum consertarum et inter se cohaerentium. haec docuit colere divina, humana diligere et penes deos imperium esse, inter homines consortium, quod aliquamdiu inviolatum mansit, antequam societatem avaritia distraxit et paupertatis causa etiam iis, quos fecit locupletissimos, fuit. desierunt enim omnia possidere, dum volunt propria.
- 4 Sed primi mortalium quique ex his geniti naturam inconrupti sequebantur, eundem habebant et ducem et legem, commissi melioris arbitrio. naturae est enim potioribus deteriora submittere: mutis quidem gregibus aut maxima corpora praesunt aut vehementissima. Non praecedit armenta degener taurus, sed qui magnitudine ac toris ceteros mares vicit. elephantorum gregem excelsissimus ducit: inter homines pro maximo est optimum. animo itaque rector eligebatur ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse nisi melior.

tantum enim quantum vult potest, qui se nisi quod debet, non putat posse. Illo ergo seculo, quod aureum perhibent, penes sapientes fuisse regnum Posidonius iudicat. hi continebant manus et infirmiore a validioribus tuebantur. suadebant dissuadebantque et utilia atque inutilia monstrabant. horum prudentia, ne quid deesset suis, providebat. fortitudo pericula arcebat. beneficentia augebat ornabatque subiectos. officium erat imperare, non regnum. nemo quantum posset, adversus eos experiebatur, per quos coeperat posse, nec erat cuiquam aut animus in iniuriam aut causa, cum bene imperanti bene pareretur nihilque rex maius minari male parentibus posset, quam ut abirent e regno. Sed postquam subrepentibus vitiis in tyrannidem regna conversa sunt, opus esse coepit legibus, quas et ipsas inter initia tulere sapientes: Solon, qui Athenas aequo iure fundavit, inter septem aevi sapientia notos. Lycurgum si eadem aetas tulisset, sacro illi numero accessisset octavus. Zaleuci leges Charondaeque laudantur. hi non in foro nec in consultorum atrio, sed in Pythagorae tacito illo sanctoque secessu didicerunt iura, quae florenti tunc Siciliae et per Italiam Graeciae ponerent. Hactenus Posidonio adsentior: artes quidem a philosophia inventas; quibus in cotidiano vita utitur, non concesserim nec illi fabricae adseram gloriam: „illa, inquit, sparsos et aut cavis tectos aut aliqua rupe subfossa aut exesae arboris trunco docuit tecta moliri.“ Ego vero philosophiam iudico non magis excogitasse has machinationes tectorum supra tecta surgentium et urbium urbes prementium quam vivaria piscium in hoc clausa, ut tempestatum periculum non adiret gula et quamvis acerrime pelago saeviente haberet luxuria portus suos, in quibus distinctos piscium greges saginaret. Quid ais? philosophia homines docuit habere clavem et seram? [et] quid aliud erat avaritiae signum dare? philosophia haec cum tanto habitantium periculo imminetia tecta suspendit? parum enim erat fortuitis tegi et sine arte et sine difficul-

9 tate naturale invenire sibi aliquod receptaculum? Mihi crede, felix illud seculum ante ἀρχιτέκτονας fuit: ista nata sunt iam nascente luxuria, in quadratum tigna decidere et serra per designata currente certa manu trabem scindere.

nam primi cuneis scindebant fissile lignum.

non enim tecta coenationi epulum recepturae parabantur, nec in hunc usum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria
10 auro gravia penderent: furcae utrimque suspensae fulciebant casam. spissatis ramalibus ac fronde congesta et in proclive disposita decursus imbribus quamvis magnis erat. Sub his tectis habitavere, sed securi. culmus libe-
11 ros textit: sub marmore atque auro servitus habitat. In illo quoque dissentio a Posidonio, quod ferramenta fabrilia excogitata a sapientibus viris iudicat. isto enim modo dicat licet sapientes fuisse, per quos

*tunc laqueis captare feras et fallere visco
inventum et magnos canibus circumdare saltus.*

omnia enim ista sagacitas hominum, non sapientia invenit. In hoc quoque dissentio, sapientes fuisse, qui ferri
12 metalla et aeris invenerint, cum incendio silvarum adusta tellus in summo venas iacentes liquefacta fudisset:
13 ista tales inveniunt, quales colunt. Ne illa quidem tam subtilis mihi quaestio videtur quam Posidonio: „utrum malleus in usu esse prius an forfices coeperint.“ utraque invenit aliquis excitati ingenii, acuti, non magni nec elati, et quicquid aliud corpore incurvato et animo humum spectante quaerendum est: sapiens facilis victu fuit. quidni? cum hoc quoque seculo esse quam expeditissi-
14 mus cupiat. Quomodo, oro te, convenit, ut et Diogenem mireris et Daedalum? uter ex his sapiens tibi videtur? qui serram commentus est, an ille, qui cum vidisset puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum e perula calicem hac obiurgatione sui: „quamdiu homo stultus supervacuas sarcinas habui?“ qui se con-
15 plicuit in dolio et in eo cubitavit? Hodie utrum tandem sapientio-rem putas, qui invenit, quemadmodum in inmen-

sam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat, qui euripos subito aquarum inpetu inplet aut siccat et versatilia coenationum laquearia ita coagmentat, ut subinde alia facies atque alia succedat et totiens tecta quotiens feracula mutantur, an eum, qui et aliis et sibi hoc monstrat, quam nihil nobis natura durum ac difficile imperaverit, posse nos habitare sine marmorario ac fabro, posse nos vestitos esse sine commercio sericorum, posse nos habere usibus nostris necessaria, si contenti fuerimus iis, quae terra posuit in summo? quem si audire humanum genus voluerit, tam supervacuum sciet sibi coquum esse quam militem. Illi sapientes fuerunt aut certe sapientibus 16 similes, quibus expedita erat tutela corporis. simplici cura constant necessaria: in delicias laboratur. non desiderabis artifices, si sequere naturam. illa noluit esse districtos. ad quaecumque nos cogebat, instruxit. „Frigus intolerabile est corpori nudo.“ quid ergo? non pelles ferarum et aliorum animalium a frigore satis abundeque defendere queunt? non corticibus arborum pleraeque gentes tegunt corpora? non avium plumae in usum vestis conseruntur? non hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur ac murum, quae tactu mollia et inpenetrabilia ventis sunt? „Opus est tamen calorem solis 17 aestivi umbra crassiore propellere.“ quid ergo? non vestustas multa abdidit loca, quae vel iniuria temporis vel alio quolibet casu excavata in specum recesserunt? quid ergo? non quaelibet virgea *in* cratem texuerunt manu et vili obliverunt luto, deinde de stipula aliisque silvestribus operuere fastigium et pluviis per devexa labentibus hie mem transiere securi? quid ergo? non in defosso latent Syrticae gentes quibusque propter nimios solis ardores nullum tegumentum satis repellendis caloribus solidum est nisi ipsa arens humus? Non fuit tam inimica natura, 18 ut, cum omnibus aliis animalibus facilem actum vitae daret, homo solus non posset sine tot artibus vivere. nihil horum ab illa nobis imperatum est, nihil aegre quaerendum, ut possit vita produci: ad parata nati sumus: nos omnia nobis difficilia faciliū fastidio fecimus. Tecta

tegumenta que et fomenta corporum et cibi et quae nunc ingens negotium facta sunt, obvia erant et gratuita et opera levi parabilia. modus enim omnium prout necessitas erat. nos ista pretiosa, nos ista misera, nos magnis multisque conquirenda artibus fecimus. sufficit ad id
 19 natura, quod poscit. A natura luxuria descendit, quae cotidie se ipsa incitat et tot seculis crescit et ingenio adiuvat vitia: primo supervacua coepit concupiscere, inde contraria, novissime animum corpori addixit et illius deservire libidini iussit. omnes istae artes, quibus aut circitatur civitas aut strepit, corporis negotium gerunt, cui omnia olim tamquam servo praestabantur, nunc tamquam domino parantur. itaque hinc textorum, hinc fabrorum officinae sunt, hinc odores coquentium, hinc molles corporis motus doctentium mollesque cantus et infractos. recessit enim ille naturalis modus desideria ope necessaria finiens: iam rusticitatis et miseriae est velle, quantum sat
 20 est. Incredibile est, mi Lucili, quam facile etiam magnos viros dulcedo orationis abducat a vero: ecce Posidonius, ut mea fert opinio, ex his, qui plurimum philosophiae contulerunt, dum vult describere primum, quemadmodum alia torqueantur fila, alia ex molli solutoque ducantur, deinde quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendat, quemadmodum subtemen insertum, quod duritiam utrimque comprimentis tramae remolliat spatha coire cogatur et iungi, t e x t r i n i quoque artem a sapientibus dixit inventam, oblitus postea repertum hoc subtilius genus, in quo

*tela iugo iuncta est, stamen secernit arundo,
 inseritur medium radiis subtemen acutis,
 quod lato pavium insecti pectine dentes.*

quid, si contigisset illi addere has nostri temporis telas, quibus vestis nihil celatura conficitur, in qua non dico
 21 nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est? Transit deinde ad agricolas nec minus facunde describit proscissum aratro solum et iteratum, quo solutior terra facilius pateat radicibus. tunc sparsa semina et collectas manu herbas, ne quid fortuitum et agreste subcreseat.

quod necet segetem. hoc quoque opus ait esse sapientium, tamquam non nunc quoque plurima cultores agrorum nova inveniant, per quae fertilitas augeatur. Deinde 22 non est contentus his artibus, sed in pistrinum sapientem submittit. narrat enim, quemadmodum rerum naturam imitatus panem coeperit facere: „receptas, inquit, in os fruges concurrens inter se duritia dentium frangit et quicquid excidit, ad eosdem dentes lingua refertur: tunc vero miscetur, ut facilius per fauces lubricas transeat. cum pervenit in ventrem, aqualiculi fervore concoquitur. tunc demum corpori accedit. Hoc aliquis secutus exem- 23 plar lapidem asperum aspero inposuit ad similitudinem dentium, quorum pars immobilis motum alterius exspectat. deinde utriusque adritu grana franguntur et saepius regeruntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur. tunc farinam aqua sparsit et adsidua tractatione perdomuit finxitque panem, quem primo cinis calidus et fervens testa percoxit. deinde furni paulatim reperti et alia genera, quorum fervor serviret arbitrio.“ Non multum afuit, quin sutrinum quoque inventum a sapientibus diceret. Omnia ista ratio quidem, sed non recta 24 ratio commenta est. hominis enim, non sapientis inventa sunt tam mehercules, quam navigia, quibus annes quibusque maria transimus aptatis ad excipiendum ventorum inpetum velis et additis a tergo gubernaculis, quae huc atque illuc cursum navigii torqueant. exemplum a piscibus tractum est, qui cauda reguntur et levi eius in utrumque momento velocitatem suam flectunt. „Omnia, inquit, haec sapiens quidem invenit: sed mi- 25 nora, quam ut ipse tractaret, sordidioribus ministris dedit.“ Immo non aliis excogitata ista sunt quam quibus hodieque curantur. quaedam nostra demum prodisse memoria scimus, ut speculariorum usum perlucante testa clarum transmittentium lumen, ut suspensuras balneorum et impressos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima simul ac summa foveret aequaliter. quid loquar marmora, quibus templa, quibus domus fulgent? quid lapideas moles in rotundum ac leve formatas, quibus

- porticus et capacia populorum tecta suscipimus? quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio et celeritatem linguae manus sequitur? vilissimorum man-
- 26 cipiorum ista commenta sunt. Sapientia altius se-
det nec manus edocet: animorum magistra est. vis scire,
 quid illa eruerit, quid effecerit? non dedecoros corporis motus nec varios per tubam ac tibiam cantus, quibus exceptus spiritus aut in exitu aut in transitu formatur in vocem. non arma nec muros nec bella: utilia molitur,
- 27 paci favet et genus humanum ad concordiam vocat. Non est, inquam, instrumentorum ad usus necessarios opifex. quid illi tam parvula adsignas? artificem vides vitae. alias quidem artes sub dominio habet. nam cui vita, illi vitam quoque ornantia serviunt: ceterum ad beatum
- 28 statum tendit. illo ducit, illo vias aperit. Quae sint mala,
 quae videantur ostendit. vanitatem exiit mentibus. dat
 magnitudinem solidam, inflatam vero et ex inani speciosam reprimit nec ignorari sinit, inter magna quid intersit et tumida. totius naturae notitiam ac suae tradit. quid sint di qualesque, declarat. quid inferi, quid lares et genii, quid in secundam numinum formam animae perpetuae, ubi consistent, quid agant, quid possint, quid velint. Haec eius initiamenta sunt, per quae non municipale sacrum, sed ingens deorum omnium templum, mundus ipse, reseratur, cuius vera simulacra verasque facies cernendas mentibus protulit. nam ad spectacula tam
- 29 magna hebes visus est. Ad initia deinde rerum redit
aeternamque rationem toti inditam et vim omnium semi-
num singula proprie figurantem. tum de animo coepit
 inquirere, unde esset, ubi, quamdiu, in quot membra divisus. deinde a corporibus se ad incorporalia transtulit veritatemque et argumenta eius excussit. post haec quemadmodum discernerentur vitae aut vocis ambigua.
- 30 in utraque enim falsa veris inmixta sunt. Non abduxit, inquam, se, ut Posidonio videtur, ab istis artibus sapiens, sed ad illas omnino non venit. nihil enim dignum inventu iudicasset, quod non erat dignum perpetuo usu iudicatu-
- 31 rus. ponenda non sumeret. „Anacharsis, inquit, invenit

rotam figuli, cuius circuitu vasa formantur.“ deinde quia apud Homerum invenitur figuli rota, malunt videri versus falsos esse quam fabulam: ego nec Anarcharsim auctorem huius rei fuisse contendo et, si fuit, sapiens quidem hoc invenit, sed non tamquam sapiens, sicut multa sapientes faciunt, qua homines sunt, non qua sapientes: puta velocissimum esse sapientem: cursu omnes anteibit, qua velox est, non qua sapiens. Cuperem Posidonio aliquem vitrearium ostendere, qui spiritu vitrum in habitus plurimos format, qui vix diligenti manu effingerentur: haec inventa sunt, postquam sapientem invenire desimus. „Democritus, inquit, invenisse dicitur ³² fornicem, ut lapidum curvatura paulatim inclinatum medio saxo adligaretur.“ Hoc dicam falsum esse. necesse est enim ante Democritum et pontes et portas fuisse, quarum fere summa curvantur. Excidit porro vobis eum- ³³ dem Democritum invenisse, quemadmodum ebur molliretur, quemadmodum decoctus calculus in zmaragdum converteretur, qua hodieque coctura inventi lapides coctiles colorantur. Ista sapiens licet invenerit, non qua sapiens erat, invenit. multa enim facit, quae ab imprudentissimis aut aequae fieri vidimus aut peritius atque exercitatus. Quid sapiens investigaverit, quid in lucem pro- ³⁴ traxerit, quaeris? Primum verum naturamque, quam non ut cetera animalia oculis secutus est tardis ad divina. deinde vitae legem, quam ad universa direxit, nec nosse tantum, sed sequi deos docuit et accidentia non aliter excipere quam imperata. vetuit parere opinionibus falsis et quanti quidque esset, vera aestimatione perpendit. damnavit mixtas poenitentia voluptates et bona semper placitura laudavit et palam fecit felicissimum esse, cui felicitate non opus est, potentissimum esse, qui se habet in potestate. Non de ea philosophia loquor, quae civem ³⁵ extra patriam posuit, extra mundum deos, quae virtutem donavit voluptati, sed de illa, quae nullum bonum putat, nisi quod honestum est, quae nec hominis nec fortunae muneribus deleniri potest, cuius hoc pretium est non posse pretio capi: hanc philosophiam fuisse illo

rudi seculo, quo adhuc artificia deerant et
 36 ipso usu discebantur utilia, non credo. *Sint
 licet* fortunata tempora, cum in medio iacerent beneficia
 naturae promiscue utenda, antequam avaritia atque luxu-
 ria dissociavere mortales et ad rapinam ex consortio dis-
 currere, non erant illi sapientes viri, etiamsi faciebant fa-
 37 cienda sapientibus. Statum quidem generis hu-
 mani non alium quisquam suspexerit magis,
 nec si cui permittat deus terrena formare et dare gentibus
 mores, aliud probaverit, quam quod apud illos fuisse me-
 moratur, apud quos

*nulli subigebant arva coloni,
 ne signare quidem aut partiri limite campum
 fas erat: in medium quaerebant ipsaque tellus
 omnia liberius nullo poscente ferebat.*

38 Quid hominum illo genere felicius? in commune rerum
 natura fruebantur. sufficiebat illa ut parens in tutelam
 omnium: haec erat publicarum opum segura possessio.
 quidni ego illud locupletissimum mortalium genus dix-
 erim, in quo pauperem invenire non posses? Inrupit in
 res optime positas avaritia et, dum seducere aliquid cu-
 pit atque in suum vertere, omnia fecit aliena et in angu-
 stum ex immenso redacta paupertatem intulit et multa
 39 concupiscendo omnia amisit. Licet itaque velit nunc con-
 currere et reparare, quod perdidit. licet agros agris adi-
 ciat, vicinum vel pretio pellens vel iniuria. licet in pro-
 vinciarum spatium rura dilatet et possessionem vocet per
 sua longam peregrinationem, nulla nos finium propagatio
 eo reducet, unde discessimus: cum omnia fecerimus,
 40 multum habebimus: universum habebamus. Terra ipsa
 fertilior erat inlaborata et in usus populorum non diripi-
 entium larga. quicquid natura protulerat, id non minus
 invenisse quam inventum monstrare alteri voluptas erat,
 nec ulli aut superesse poterat aut deesse: inter concor-
 des dividebatur. nondum valentior inposuerat infirmiori
 manum. nondum avarus abscondendo, quod sibi iace-
 ret, alium necessariis quoque excluserat: par erat alte-
 41 rius ac sui cura. Arma cessabant incruentaeque humano

sanguine manus odium omne in feras verterant. illi, quos aliquod nemus densum a sole protexerat, qui adversus saevitiam hiemis aut imbris vili receptaculo tuti sub fronde vivebant, placidas transigebant sine suspirio noctes: sollicitudo nos in nostra purpura versat et acerrimis excitat stimulis: at quam mollem somnum illis dura tellus dabat! Non inpendebant caelata laquearia, sed in aperto 42 iacentes sidera superlabebantur et insigne spectaculum noctium. mundus in praeceps agebatur silentio tantum opus ducens. tam interdiu illis quam nocte patebant prospectus huius pulcherrimae domus. libebat intueri signa ex media coeli parte vergentia, rursus ex occulto alia surgentia. Quidni iuaret vagari inter tam late sparsa miracula? at vos ad omnem tectorum pavetis sonum et inter picturas vestras, si quid increpuit, fugitis adtoniti. Non habebant domos instar urbium. spiritus ac liber inter aperta perflatus et levis umbra rupis aut arboris et perlucidi fontes rivique non opere nec fistula nec ullo coacto itinere obsolefacti, sed sponte currentes et prata sine arte formosa, inter haec agreste domicilium rustica politum manu: haec erat secundum naturam domus, in qua libebat habitare nec ipsam nec pro ipsa timentem: nunc magna pars nostri metus tecta sunt. Sed quamvis 44 egregia illis vita fuerit et carens fraude, non fuere sapientes, quando hoc iam in opere maximo nomen est. non tamen negaverim fuisse alti spiritus viros et, ut ita dicam, a dis recentes. neque enim dubium est, quin meliora mundus nondum effectus ediderit. quemadmodum autem omnibus indoles fortior fuit et ad labores paratior, ita non erant ingenia omnibus consummata. non enim dat natura virtutem: ars est bonum fieri. Illi 45 quidem non aurum nec argentum nec perlucidos lapides [in] ima terrarum faece quaerebant parcebantque adhuc etiam mutis animalibus: tantum aberat ut homo hominem non iratus, non timens, tantum spectaturus occideret. Nondum vestis illis erat picta, nondum texebatur aurum: adhuc nec eruebatur. Quid ergo? ignorantia rerum inno- 46 centes erant. multum autem interest utrum peccare ali-

quis nolit an nesciat. deerat illis iustitia, deerat prudentia, deerat temperantia ac fortitudo. omnibus his virtutibus habebat similia quaedam rudis vita: virtus non contingit animo nisi instituto et edocto et ad summum assidua exercitatione perducto. ad hoc quidem, sed sine hoc nascimur et in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est. Vale.

EPISTULA III. (91.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Liberalis noster nunc tristis est nuntiato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est. movere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patriae suae amantissimum. quae res efficit, ut firmitatem animi sui quaerat, quam videlicet ad ea, quae timeri posse putabat, exercuit: hoc vero tam inopinatum malum et paene inauditum non miror si sine metu fuit, cum esset sine exemplo. multas enim civitates incendium vexavit, nullam abstulit. nam etiam ubi hostili manu in tecta ignis inmissus est, multis locis defecit, et quamvis subinde excitetur, raro tamen sic cuncta depascitur, ut nihil ferro relinquat. terrarum quoque vix unquam tam gravis et perniciosus fuit motus, ut tota oppida everteret. nunquam denique tam infestum ulli exarsit incendium, ut nihil alteri superesset incendio.
- 2 Tot pulcherrima opera, quae singula inlustrare urbes singulas possent, una nox stravit, et in tanta pace quantum ne bello quidem timeri potest, accidit. quis hoc credat? ubique armis quiescentibus, cum toto orbe terrarum diffusa securitas sit, Lugdunum, quod ostendebatur in Gallia, quaeritur. Omnibus fortuna, quos publice adflixit, quod passuri erant, timere permisit. nulla res magna non aliquod habuit ruinae suae spatium: in hac una nox interfuit inter urbem maximam et nullam. denique diutius illam tibi perisse quam periit
- 3 narro. Haec omnia Liberalis nostri adfectum inclinant adversus sua firmum et erectum. nec sine causa concussus est: inexpectata plus adgravant. novitas adicit calamitatibus pondus nec quisquam mortalium non

magis quod etiam miratus est, doluit. Ideo nihil no- 4
 bis inprovisum esse debet. in omnia permittendus
 animus cogitandumque non quicquid solet, sed quicquid
 potest fieri. quid enim est, quod non fortuna, cum vo-
 luit, ex florentissimo detrahat? quod non eo magis ad-
 grediatur et quatiat, quo speciosius fulget? quid illi ar-
 duum quidve difficile est? Non una via semper, ne tota 5
 quidem incurrit: modo nostras in nos manus advocat,
 modo suis contenta viribus invenit pericula sine auctore.
 nullum tempus exceptum est: in ipsis voluptatibus cau-
 sae doloris oriuntur. bellum in media pace consurgit et
 auxilia securitatis in metum transeunt: ex amico inimi-
 cus, hostis ex socio. in subitas tempestates hibernisque
 maiores agitur aestiva tranquillitas. sine hoste patimur
 hostilia et cladis causas, si alia deficient, nimia sibi feli-
 citas invenit. invadit temperantissimos morbis, validis-
 simos phthisis, innocentissimos poena, secretissimos tum-
ultus. eligit aliquid novi casus, per quod velut oblitis
 vires suas ingerat. Quicquid longa series multis labori- 6
 bus, multa deum indulgentia struxit, id unus dies spargit
 ac dissipat: longam moram dedit malis properantibus,
 qui diem dixit: hora momentumque temporis evertendis
 imperiis sufficit. esset aliquod inbecillitatis nostrae so-
 latium rerumque nostrarum, si tam tarde perirent cuncta
 quam fiunt: nunc incrementa lente exeunt, festinatur in
 damnum. Nihil privatim, nihil publice stabile est. tam 7
hominum quam urbium fata volvuntur. inter placidissima
 terror existit nihilque extra tumultuantibus causis mala,
 unde minime exspectabantur, erumpunt. quae domesti-
 cis bellis steterant regna, quae externis, inpellente nullò
 ruunt. quataquaeque felicitatem civitas pertulit? Cogi-
 tanda ergo sunt omnia et animus adversus ea, quae pos-
 sunt evenire, firmandus. Exilia, tormenta, morbos, bella, 8
 naufragia meditare. potest te patriae, potest patriam tibi
 casus eripere. potest te in solitudines abicere. potest
 hoc ipsum, in quo turba subfocatur, fieri solitudo. Tota
 ante oculos sortis humanae condicio ponatur nec quan-
 tum frequenter evenit, sed quantum plurimum potest eve-

nire, praesumamus animo, si nolumus obprimi nec ullis inusitalis velut novis obstupefieri: in plenum cogitanda
 9 fortuna est. Quotiens Asiae, quotiens Aethiopiae urbes uno tremore ceciderunt? quot oppida in Syria, quot in Macedonia devorata sunt? Cyprum quotiens vastavit haec clades? quotiens in se Paphus conruit? frequenter nobis nuntiati sunt totarum urbium interitus et nos, inter quos frequentur ista nuntiantur, quanta pars omnium summus? Consurgamus itaque adversus fortuita et quicquid incidit, sciamus non esse tam magnum quam rumore
 10 iactetur. Civitas arsit opulenta ornamentumque provinciarum, quibus et inserta erat et excepta, uni tamen imposita et huic non altissimo monti: omnium istarum civitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, vestigia quoque tempus eradet. non vides, quemadmodum in Aethiopia clarissimarum urbium iam fundamenta consumpta sint nec quicquam exstet, ex quo adpareat illas saltem
 11 fuisse? Non tantum manu facta labuntur nec tantum humana arte atque industria posita vertit dies: iuga montium diffluunt. totae desedere regiones. operata sunt fluctibus, quae procul a conspectu maris stabant. vastavit ignis * *solum*, colles, per quos relucebat, erodit et quondam altissimos vertices, solatia navigantium ac speculas, ad humile deduxit. Ipsius naturae opera vexantur et ideo
 12 aequo animo ferre debemus urbium excidia. Casura exstant. omnes hic exitus manet: sive interna vis flatusque praeclosa violentia pondus, sub quo tenentur, excusserint, sive torrentium in abdito [*vis*] vastior obstantia effregerit, sive flammarum violentia compaginem soli ruperit, sive vetustas, in qua nihil tutum est, expugnaverit minutatim, sive gravitas coeli *ei*ecerit populos et situs deserta conruperit. Enumerare omnes fatorum vias longum est: hoc unum scio: omnia mortalium opera mortalitate
 13 damnata sunt, inter peritura vivimus. Haec ergo atque eiusmodi solatia admoveo Liberali nostro incredibili quodam patriae suae amore flagranti, quae fortasse consumpta est, ut in melius excitaretur: saepe maiori fortunae locum fecit iniuria. multa ceciderunt, ut alius

surgerent. Timagenes felicitati urbis inimicus aiebat
 Romae sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret
 meliora surrectura quam arsissent. In hac quoque urbe¹⁴
 verisimile est certaturos omnes, ut maiora certioraque
 quam amisere, restituantur. sint utinam diuturna et meliori-
 bus auspiciis in aevum longius condita! nam huic coloniae
 ab origine sua centesimus annus est, aetas ne homini qui-
 dem extrema. a Planco deducta in hanc frequentiam loci
 opportunitate convaluit, quae tamen gravissimos casus
 intra spatium humanae pertulit senectutis. Itaque for-¹⁵
 metur animus ad intellectum patientiamque
 sortis suae et sciat nihil inausum esse for-
 tunae, adversus imperia illam idem habere iuris, quod
 adversus imperantes, adversus urbes idem posse, quod
 adversus homines. nihil horum indignandum est. in eum
 intravimus mundum, in quo his legibus vivitur. Placet-
 pare. non placet: quaecumque vis, exi. indignare, si quid
 in te iniqui proprie constitutum est: sed si haec summos
 imosque necessitas adligat, in gratiam cum fato rever-
 tere, a quo omnia resolvuntur. Non est quod nos tumultis¹⁶
 metiaris et his monumentis, quae viam disparia praete-
 xunt: aequat omnes cinis. inpares nascimur, pares mori-
 mur. Idem de urbibus quod de urbium incolis dico: tam
 Ardea capta quam Roma est. conditor ille iuris humani
 non natalibus nos nec nominum claritate distinxit, nisi
 dum sumus. ubi vero ad finem mortalium ventum est:
 „discede, inquit, ambitio: omnium, quae terram pre-
 munt, *siremps* lex esto.“ Ad omnia patienda pares sumus:
 nemo altero fragilior est, nemo in crastinum sui certior.
 Alexander Macedonum rex discere geometriam coeperat¹⁷
 infelix, sciturus, quam pusilla terra esset, ex qua mini-
 mum occupaverat. ita dico: infelix ob hoc, quod intelle-
 gere debebat falsum se gerere cognomen. quis enim esse
 magnus in pusillo potest? Erant illa, quae tradebantur,
 subtilia et diligenti intentione discenda, non quae perci-
 peret vesanus homo et trans oceanum cogitationes suas
 mittens. „facilia, inquit, me doce.“ cui praeceptor: „ista,
 inquit, omnibus eadem sunt [aeque difficilia].“ Hoc puta¹⁸

rerum naturam dicere: „ista, de quibus quereris, omnibus eadem sunt. nulli dari faciliora possunt, sed quisquis velit, sibi ipse illa reddet faciliora.“ quomodo? aequanimitate. Et doleas oportet et sitias et esurias et senescas, si tibi longior contigerit inter homines mora, et aegrotas et
 19 perdas aliquid et pereas. Non est tamen quod istis, qui te circumstrepunt, credas: nihil horum malum est, nihil intolerabile aut durum: ex consensu istis metus est: sic mortem times quomodo famam. quid autem stultius homine verba metuente? Eleganter Demetrius noster solet dicere eodem loco sibi esse voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus. „quid enim, in-
 20 quit, mea refert, sursum isti an deorsum sonent?“ Quanta dementia est vereri, ne infameris ab infamibus? quemadmodum famam extimulistis sine causa, sic et illa, quae numquam timeretis, nisi fama iussisset. num quid detri-
 21 menti faceret vir bonus iniquis rumoribus sparsus? Ne morti quidem hoc apud nos noceat: et haec malam opinionem habet. nemo eorum, qui illam accusant, expertus est. interim temeritas est damnare, quod nescias: at illud scis, quam multis utilis sit, quam multos liberet tormentis, egestate, querelis, suppliciis, taedio. Non sumus in ullius potestate, cum mors in nostra potestate sit. Vale.

EPISTULA IV. (92.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Puto inter me teque conveniet externa corpori adquiri, corpus in honorem animi coli, in animo esse partes ministras, per quas movemur alimurque, propter ipsum principale nobis datas. In hoc principali est aliquid irrationale, est et rationale: illud huic servit. hoc unum est, quod alio non refertur, sed omnia ad se perfert. nam illa quoque divina ratio omnibus praeposita est, ipsa sub nullo est: et haec autem nostra eadem est, quae ex illa est.
 2 Si de hoc inter nos convenit, sequitur ut de illo quoque conveniat, in hoc uno positam esse beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta sit. haec enim sola non

submittit animum, stat contra fortunam: in quolibet rerum habitu se virtus servat. id autem unum bonum est, quod numquam defringitur. Is est, inquam, beatus quem nulla res minorem facit. tenet summa et ne ulli quidem nisi sibi est innixus. nam qui aliquo auxilio sustinetur, potest cadere. si aliter est, incipient multum in nobis valere non nostra. quis autem vult constare fortuna aut quis se prudens ob aliena miratur? Quid est beata vita? securitas³ et perpetua tranquillitas. hanc dabit animi magnitudo. dabit constantia bene iudicati tenax. Ad haec quomodo pervenitur? si veritas tota perspecta est. si servatus est in rebus agendis ordo, modus, decor, innoxia voluntas ac benigna, intenta rationi nec umquam ab illa recedens, amabilis simul mirabilisque. denique ut breviter tibi formulam scribam, talis animus esse sapientis viri debet, qualis deum deceat. Quid potest desiderare⁴ is, cui omnia honesta contingunt? nam si possunt aliquid non honesta conferre ad optimum statum, ** in his erit beata vita, sine quibus non est. et quid stultius turpiusve quam bonum rationalis animi ex irrationalibus nectere? Quidam tamen augeri summum bonum iudicant, quia parum⁵ plenum sit fortuitis repugnantibus. Antipater quoque inter magnos sectae huius auctores aliquid se tribuere dicit externis, sed exiguum admodum. vides autem, quale sit, sole te non esse contentum, nisi aliquis igniculus adluserit? quod potest in hac claritate solis habere scintilla momentum? Si non es sola honestate conten-⁶tus, necesse est aut quietem adici velis, quam *ἀοχλησίαν* vocant Graeci, aut voluptatem: horum alterum utcumque recipi potest. vacat enim animus molestia liber ad inspectum universi nihilque illum avocet a contemplatione naturae. alterum illud, voluptas, bonum pecoris est. adicimus rationali irracionale, honesto inhonestum, magno [*pusillum, si ad beatam*] vitam facit titillatio corporis. Quid ergo dubitatis⁷ dicere bene esse homini, si palato bene est? et hunc tu non dico inter viros numeras, sed inter homines, cuius summum bonum saporibus et coloribus ac sonis constat?

excedat ex hoc animalium numero pulcherrimo ac dis se-
 8 cundo: mutis adgregetur animal pabulo laetum. Inratio-
 nalis pars animi duas habet partes, alteram animosam,
 ambitiosam, inpotentem, positam in adfectionibus, alteram
 humilem, languidam, voluptatibus deditam: illam effrena-
 tam, meliorem tamen, certe fortiorem ac digniorem viro
 reliquerunt, hanc necessariam beatæ vitæ putaverunt,
 9 enervem et abiectam. Huic rationem servire iusserunt et
 fecerunt animalis generosissimi bonum demissum et igno-
 bile, præterea mixtum portentosumque et ex diversis
 ac male congruentibus membris. nam ut ait Vergilius
 noster, in Scylla

*prima hominis facies et pulchro pectore virgo
 pube tenus: postrema inmani corpore pistricæ
 delphinum caudas utero commissa luporum.*

huic tamen Scyllæ fera animalia adiuncta sunt horrenda,
 velocia: at isti sapientiam ex quibus composuere porten-
 10 tis? „Prima pars hominis est ipsa virtus: huic committitur
 inutilis caro et fluida, receptandis tantum cibis habilis,“
 ut ait Posidonius. virtus illa divina in lubricum desinit et
 superioribus eius partibus venerandis atque coelestibus
 animal iners ac marcidum adtextitur. illa utcumque altera,
 quies, nihil quidem ipsa præstabat animo, sed inpedi-
 menta removebat: voluptas ultro dissolvit et omne robur
 emollit. Quæ inveniatur tam discors inter se iunctura
 corporum? fortissimæ rei inertissima adstruitur, severe-
 rissimæ parum seria, sanctissimæ intemperans usque
 11 *in* incesta. „Quid ergo, inquit, si virtutem nihil inpedi-
 tura sit bona validudo et quies et dolorum va-
 catio: non petes illas?“ Quidni petam? non quia
 bona sunt, sed quia secundum naturam sunt
 et quia bono a me iudicio sumentur. quid erit
 tunc in illis bonum? hoc unum, bene eligi. nam cum ve-
 stem qualem decet, sumo, cum ambulo ut oportet, cum
 coeno quemadmodum debeo, non coena aut ambulatio
 aut vestis bona sunt, sed meum in iis propositum, ser-
 12 vantis in quaque re rationi convenientem modum. Etiam-
 nunc adiciam: mundæ vestis electio adpetenda est ho-

mini. natura enim homo mundum et elegans animal est. itaque non est bonum per se munda vestis, sed munda vestis electio, quia non in re bonum est, sed in electione, quali actiones nostrae honestae sunt, non ipsa, quae aguntur. Quod de veste dixi, idem me dicere de corpore ¹³ existima. nam hoc quoque natura ut quamdam vestem animo circumdedit. velamentum eius est: quis autem umquam vestimenta aestimavit arcula? nec bonum nec malum vagina gladium facit. Ergo de corpore quoque idem tibi respondeo: sumpturum quidem me, si detur electio, et sanitatem et vires, bonum autem futurum iudicium de illis meum, non ipsa. „Est quidem, inquit, sa- ¹⁴ piens beatus: summum tamen illud bonum non consequitur, nisi illi et naturalia instrumenta respondeant. Ita miser quidem esse, qui virtutem habet, non potest: beatissimus autem non est, qui naturalibus bonis destituitur, ut valitudine, ut membrorum integritate.“ Quod incredi- ¹⁵ oilius videtur, id concedis, aliquem in maximis et continuis doloribus non esse miserum, esse etiam beatum: quod levius est, negas, beatissimum esse. atqui si potest virtus efficere, ne miser aliquis sit, facilius efficiet, ut beatissimus sit. minus enim intervalli a beato ad beatissimum restat quam a misero ad beatum: an, quae res tantum valet, ut ereptum calamitatibus inter beatos locet, non potest adicere, quod superest, ut beatissimum faciat? in summo deficit clivo? Commoda sunt in vita et ¹⁶ incommoda, utraque extra nos. Si non est miser vir bonus, quamvis omnibus prematur incommodis, quomodo non est beatissimus, si aliquibus commodis deficitur? nam quemadmodum incommodorum onere usque ad miserum non deprimitur, sic commodorum inopia non deducitur a beatissimo, sed tam sine commodis beatissimus est, quam non est sub incommodis miser: aut potest illi eripi bonum suum, si potest minui. Paulo ante dicebam ¹⁷ igniculum nihil conferre lumini solis. claritate enim eius quicquid sine illo luceret, absconditur. „Sed quaedam, inquit, soli quoque [*obstant.*“ *At solis vis et lux*] integra est etiam inter obposita et, quamvis aliquid interiaceat,

quod nos prohibeat eius adspectu, in opere est, cursu suo fertur. quotiens inter nubila luxit, non est sereno minor, ne tardior quidem, quoniam multum interest, 18 utrum aliquid obstet tantum, an impediat. Eodem modo virtuti obposita nihil detrahunt: non est minor, sed minus fulget. nobis forsitan non aequè adparet ac nitet: sibi eadem est et more solis obscuri in occulto vim suam exercet. Hoc itaque adversus virtutem possunt calamitates et damna et iniuriae, quod adversus solem potest nebula. Invenitur, qui dicat sapientem corpore parum prospero usum nec miserum esse nec beatum: hic quoque 19 fallitur. exaequat enim fortuita virtutibus et tantumdem tribuit honestis quantum honestate carentibus. quid autem foedius, quid indignius quam comparari veneranda contemptis? veneranda enim sunt iustitia, pietas, fides, fortitudo, prudentia: e contrario vilia sunt, quae saepe contingunt pleniora vilissimis, crus solidum et lacertus et 20 dentes et horum sanitas firmitasque. Deinde si sapiens, cui corpus molestum est, nec miser habebitur nec beatus, sed *in* medio relinquetur, vita quoque eius nec adpetenda erit nec fugienda: quid autem tam absurdum quam sapientis vitam adpetendam non esse? aut quid tam extra fidem quam esse aliquam vitam nec adpetendam nec fugiendam? Deinde si damna corporis miserum non faciunt, beatum esse patiuntur. nam quibus potentia non est in peiorem transferendi statum, ne interpellandi quidem optimum. „Frigidum, inquit, aliquid et calidum novimus. inter utrumque tepidum est: sic aliquis beatus est, aliquis miser, aliquis nec beatus nec miser.“ Volo hanc contra nos positam imaginem excutere: si tepido illi plus frigidi ingessero, fiet frigidum. si plus calidi adfudero, fiet novissime calidum. at huic nec misero nec beato quantumcumque ad miserias adiecero, miser non erit, quemadmodum dicitis: ergo imago ista dissimilis est. 22 Deinde trado tibi hominem nec miserum nec beatum. huic adicio caecitatem: non fit miser. adicio debilitatem: non fit miser. adicio dolores continuos et graves: miser non fit. quem tam multa mala in miseram vitam non trans-

ferunt, ne ex beata quidem educunt. Si non potest, ut 23
dicitis, sapiens ex beato in miserum decidere, non potest
in non beatum. quare enim qui illa coepit, alicubi sub-
sistat? quae res illum non patitur ad imum devolvi, reti-
net in summo. quidni non possit beata vita rescindi? ne
remitti quidem potest: et ideo virtus ad illam per se ipsa
satis est. „Quid ergo? inquit, sapiens non est beator, 24
qui diutius vixit, quem nullus avocavit dolor, quam ille,
qui cum mala fortuna semper luctatus est?“ Responde
mihi: numquid et melior est et honestior? si haec non
sunt, ne beator quidem est. rectius vivat oportet, ut
beatius vivat: si rectius non potest, ne beatus quidem.
Non intenditur virtus, ergo ne beata quidem
vita, quae ex virtute est. virtus enim tantum bonum
est, ut istas accessiones minutas non sentiat, brevitatem
aevi et dolorem et corporum varias offensiones. nam vo-
luptas non est digna, ad quam respiciat. Quid est in vir- 25
tute praecipuum? futuro non indigere nec dies suos com-
putare: in quantulo libet tempore bona aeterna consum-
mat. Incredibilia nobis haec videntur et supra humanam
naturam excurrentia. maiestatem enim eius ex nostra in-
becillitate metimur et vitiis nostris nomen virtutis inponi-
mus. Quid porro? non aequae incredibile videtur, ali-
quem in summis cruciatibus positum dicere „beatus sum?“
atqui haec vox in ipsa officina voluptatis audita est:
„*beatissimum*, inquit, *hunc et ultimum diem ago*“ Epicurus,
cum illum hinc urinae difficultas torqueret, hinc insana-
bilis exulcerati dolor ventris. Quare ergo incredibilia 26
ista sint apud eos, qui virtutem colunt, cum apud eos
quoque reperiantur, apud quos voluptas imperavit? hi
quoque degeneres et humillimae mentis aiunt in summis
doloribus, in summis calamitatibus sapientem nec miserum
futurum nec beatum: atqui hoc quoque incredibile est,
immo incredibilius. non video enim, quomodo non in
infimum agatur e fastigio suo deiecta virtus: aut beatum
praestare debet, aut si ab hoc depulsa est, non prohibe-
bit fieri miserum. Stans non potest [*sub*]mitti: aut vin-
catur oportet aut vincat. „Dis, inquit, immortalibus solis 27

et virtus et beata vita contigit: nobis umbra quaedam illorum bonorum et similitudo. accedimus ad illa, non pervenimus.“ Ratio vero dis hominibusque communis est: haec in illis consummata est, in nobis consummabilis. † per hanc potens non poenitenda agitavit: † Sed ad desperationem nos vitia nostra perducunt. nam ille alter secundus est [*gradus*], ut aliquis parum constans ad custodienda optima, cuius iudicium labat etiam nunc et incertum est, desideret oculorum atque aurium sensum, bonam valitudinem et non foedum adspectum corporis et [*in*] habitu manentem suo, aetatis praeterea longius spatium. †† Imperfecto viro huic malitiae vis quaedam inest, qua animum habet mobilem: ad prava illum agit haerens malitia et ea agitata* [*abest de bono*]. non est adhuc bonus, sed in bonum fingitur: cuicumque [*autem*] abest aliquid ad bonum, malus est.

30 *Sed si cui virtus animusque in corpore praesens*, hic deos aequat. illo tendit originis suae memor. nemo inprobe eo conatur adscendere, unde descenderat. Quid est autem cur non existimes in eo divini aliquid exsistere, qui dei pars est? totum hoc, quo continemur, et unum est et deus: et socii sumus eius et membra. capax est noster animus. perfertur illo, si vitia non deprimant. Quemadmodum corporum nostrorum habitus erigitur et spectat in coelum, ita animus, cui in quantum vult licet porrigi, in hoc a natura rerum formatus est, ut paria dis vellet, [*et*]si utatur suis viribus ac se in spatium suum extendat. Non aliena via ad summa nititur. magnus erat labor ire in coelum: redit. cum hoc iter nactus est, vadit audaciter contemptor omnium: nec ad pecuniam respicit aurumque et argentum illis, in quibus iacuere, tenebris dignissima non ab hoc aestimat splendore, quo inperitorum verberant oculos, sed a veteri coeno, ex quo illa secrevit cupiditas nostra et effodit. Scit, inquam, aliubi positas esse divitias quam quo congeruntur: animum inpleri debere, non arcam. Hunc inponere dominio rerum omnium licet, hunc in possessionem rerum naturae inducere, ut sua orientis occidentis-

que terminis finiat deorumque ritu cuncta possideat, cum opibus suis divites superne despiciat, quorum nemo tam suo laetus est quam tristis alieno. Cum se in hanc sublimitatem tulit, corporis quoque velut oneris necessarii non amator, sed procurator est nec se illi, cui inpositus est, subicit. nemo liber est, qui corpori servit. nam ut alios dominos, quos nimia pro illo sollicitudo invenit, transeas, ipsius morosum imperium delicatumque est. Ab hoc modo aequo animo exit, modo magno prosilit,³³ nec quis deinde reliquiis eius futurus sit exitus, quaerit, sed ut ex barba [capillos] detonsa neglegimus, ita ille divinus animus egressurus hominem, quo receptaculum suum conferatur, ignis illud exurat an terra contegat, an ferae distrahant, non magis ad se iudicat pertinere quam secundas ad editum infantem. utrum proiectum aves differant, an consumatur

canibus data praeda marinis,

quid ad illum, qui nullus? Sed tunc quoque, cum inter³⁵ homines est, timet nullas post mortem minas eorum, quibus usque ad mortem timeri parum est. „non conterret, inquit, me nec uncus nec proiecti ad contumeliam cadaveris laceratio foeda visuris. neminem de supremo officio rogo. nulli reliquias meas commendo: ne quis inse-pultus esset, rerum natura prospexit. Quem saevitia proiecerit dies condet.“ Diserte Maecenas ait:

Nec tumulum curo. sepelit natura relictos.

alte cinctum putes dixisse. habuit enim ingenium et grande et virile, nisi illud secunda discinxissent. Vale.

L. ANNAEI SENECAE
AD LUCILIUM
EPISTULARUM MORALIUM
LIBER XV.

EPISTULA I. (93.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 In epistula, qua de morte Metronactis philosophi querebaris, tamquam et potuisset diutius vivere et debuisset, aequitatem tuam desideravi, quae tibi in omni persona, in omni negotio superest, in una re deest, in qua omnibus: multos inveni aequos adversus homines, adversus deos neminem. Obiurgamus cotidie fatum: „quare ille in medio cursu raptus est? quare ille non rapitur? quare senectutem et sibi
2 et aliis gravem extendit?“ Utrum, obsecro te, aequius iudicas, te naturae an tibi parere naturam? quid autem interest, quam cito exeas, unde utique exeundum est? Non ut diu vivamus curandum est, sed ut satis. nam ut diu vivas, fato opus est, ut satis, animo. Longa est vita, si plena est. inpletur autem, cum animus sibi bonum suum
3 reddidit et ad se potestatem sui transtulit. Quid illum octoginta anni iuvant per inertiam exacti? non vixit iste, sed in vita moratus est, nec sero mortuus est, sed diu. „Octoginta annis vixit.“ Interest, mortem eius ex quo die numeres. †† „Octoginta annis vixit.“ Immo octoginta annis fuit, nisi forte sic vixisse eum dicis, quomodo
4 dicuntur arbores vivere. † „At ille obiit viridis.“ Sed officia boni civis, boni amici, boni filii exsecutus est: in nulla parte cessavit. licet aetas eius imperfecta sit, vita perfecta est. † Obsecro te, Lucili, hoc agamus, ut quemadmodum pretiosa rerum sic vita nostra non multum pateat, sed multum pendeat. actu illam metiamur, non tempore. Vis scire, quid inter hunc intersit, vegetum con-

temptoremque fortunae, functum omnibus vitae humanae
 stipendiis atque in summum bonum eius euectum, et illum,
 cui multi anni transmissi sunt? alter post mortem quoque
 est, alter ante mortem periit. Laudemus itaque et in nu- 5
 mero felicitum reponamus eum, cui quantulumcumque
 temporis contigit, bene conlocatum est. vidit enim veram
 lucem. non fuit unus e multis: et vixit et vixit: aliquan-
 do sereno usus est, aliquando, ut solet, validi sideris ful-
 gor per nubila emicuit. Quid quaeris, quamdiu vixerit?
 vixit: ad posteros usque transsiluit et se in memoriam de-
 dit. Nec ideo mihi plures annos accedere recusaverim: 6
 nihil tamen mihi ad beatam vitam defuisse dicam, si spa-
 tium eius inciditur. non enim ad eum diem me aptavi,
 quem ultimum mihi spes avida promiserat, sed nullum
 non tamquam ultimum adspexi. Quid me interrogas, quan-
 do natus sim? an inter iuniores adhuc censear? Habeo
 meum. Quemadmodum in minore corporis habitu potest 7
 homo esse perfectus, sic et in minore temporis modo po-
 test vita esse perfecta. aetas inter externa est. quamdiu
 sim, alienum est: quamdiu vero *vir* sim, meum est. hoc
 a me exige, ne velut per tenebras aevum ignobile emetiar,
 ut agam vitam, non ut praetervehar. Quaeris, quod sit am- 8
 plissimum vitae spatium? usque ad sapientiam vivere.
 qui ad illam pervenit, adtigit non longissimum finem,
 sed maximum. Ille vero gloriatur audacter et dis agat
 gratias interque eos sibi, et rerum naturae inputet, quod
 fuit. merito enim inputabit: meliorem illi vitam reddidit
 quam accepit: exemplar boni viri posuit. qualis quantus-
 que esset ostendit: si quid adiecisset, fuisset simile prae-
 terito. Et tamen, quousque vivimus, omnium rerum co- 9
 gnitione fructi sumus: scimus, a quibus principalis na-
 tura se adtollat, quemadmodum ordinet mundum, per
 quas annum vices revocet, quemadmodum omnia, quae
 usquam erant, cluserit et seipsam finem sui fecerit. sci-
 mus sidera inpetu suo vadere, praeter terram nihil stare,
 cetera continua velocitate decurrere. scimus quemad-
 modum solem luna praetereat, quare tardior velociorem
 post se relinquat, quomodo lumen accipiat aut perdat,

quae causa inducat noctem, quae reducat diem: illuc eun-
 10 dum est, ubi ista propius adspicias. [nec] Hac spe, inquit
 sapiens ille, fortius exeo, quod patere mihi ad deos meos
 iter iudico. merui quidem admitti et iam inter illos fui
 animumque illo meum misi et ad me illi suum miserant.
 sed tolli me de medio puta et post mortem nihil ex homi-
 ne restare: aequae magnum animum habeo, etiamsi nus-
 11 quam transiturus excedo. „Non tam multis vixit annis
 quam potuit.“ Et paucorum versuum liber est et quidem
 laudandus atque utilis: annales Tanusii scis quam pon-
 derosi sint et quid vocentur. hoc est vita quorundam lon-
 12 ga, et quod Tanusii sequitur annales. Numquid feliciorum
 iudicas eum, qui summo die muneris, quam eum, qui
 medio occiditur? numquid aliquem tam stulte cupidum
 esse vitae putas, ut iugulari in spoliario quam in arena
 malit? non maiore spatio alter alterum praecedimus. Mors
 per omnes it: qui occidit, consequitur occisum. minimum
 est, de quo sollicitissime agitur. quid autem ad rem per-
 tinet, quam diu vites, quod evitare non possis? Vale.

EPISTULA II. (94.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Eam partem philosophiae, quae dat pro-
 priae cuique personae praecepta nec in universum
 conponit hominem, sed marito suadet, quomodo se gerat
 adversus uxorem, patri, quomodo educet liberos, do-
 mino, quomodo servos regat, quidam solam receperunt.
 ceteras quasi extra utilitatem nostram vagantes reliquerunt,
 tamquam quis posset de parte suadere,
 2 nisi qui summam prius totius vitae complexus est. Sed
 Ariston Stoicus [e] contrario hanc partem levem existimat
 et quae non descendat in pectus usque. ad illam habentem
 praecepta plurimum ait proficere ipsa decreta philosophiae
 constitutionemque summi boni, quam qui bene intellexit,
 ac didicit, quid in quaque re faciendum
 3 sit, sibi ipse praecepit. Quemadmodum qui iaculari discit,
 destinatum locum captat et manum format ad dirigenda,
 quae mittit, cum hanc vim ex disciplina et exercita-

tione percepit, quocumque vult illa utitur, didicit enim non hoc aut illud ferire, sed quodcumque voluerit: sic qui se ad totam vitam instruxit, non desiderat particulatim admoneri, doctus in totum, non [enim] quomodo cum uxore aut cum filio viveret, sed quomodo bene viveret: in hoc est et quomodo cum uxore ac liberis vivat. Cleanthes utilem quidem iudicat et hanc partem, sed inbecillam, nisi ab universo fluit, nisi decreta ipsa philosophiae et capita cognovit. In duas ergo quaestiones locus iste dividitur: utrum utilis an inutilis sit et an solus virum bonum possit efficere, id est, utrum supervacuus sit an omnes faciat supervacuos. Qui hanc partem videri volunt supervacuam, hoc aiunt: Si quid oculis obpositum moratur aciem, removendum est. illo quidem obiecto operam perdidit, qui praecipit: „sic ambulabis, illo manum porriges.“ Eodem modo ubi aliqua res obcaecat animum et ad officiorum dispiciendum ordinem impedit, nihil agit, qui praecipit: „sic vives cum patre, sic cum uxore.“ nihil enim proficient praecepta, quamdiu menti error obfusos est: si ille discutitur, adparebit, quid cuique debeatur officio: alioquin doces illum, quid sano faciendum sit, non efficis sanum. Pauperi ut agat divitem monstras: hoc quomodo manente paupertate fieri potest? ostendis esurienti, quid tamquam satur faciat: fixam potius medullis famem detrahe. Idem tibi de omnibus vitiis dico: ipsa removenda sunt, non praecipendum, quod fieri illis manentibus non potest. nisi opiniones falsas, quibus laboramus, expuleris, nec avarus, quomodo pecunia utendum sit, exaudiet, nec timidus, quomodo periculosa contemnat. efficias oportet, ut sciat pecuniam nec bonum nec malum esse. ostendas illi miserrimos divites: efficias, ut quicquid publice expavimus, sciat non esse tam timendum quam fama circumfert: [nec dolere quemquam nec mori.] saepe in morte, quam pati lex est, magnum esse solatium, quod ad neminem redit. in dolore pro remedio futuram obstinationem animi, qui levius sibi facit, quicquid contumaciter passus est. optimam doloris esse naturam, quod non potest nec qui extenditur, ma-

- gnus esse nec qui est magnus, extendi. omnia fortiter
 8 excipienda, quae nobis mundi necessitas imperat. His de-
 cretis cum illum in conspectum suae condicionis adduxeris
 et cognoverit beatam esse vitam non quae secundum vo-
luptatem est, sed secundum naturam, cum virtutem uni-
 cum bonum hominis adamaverit, turpitudinem solum ma-
 lum fugerit, reliqua omnia, divitias, honores, bonam va-
 litudinem, vires, imperia scierit esse mediam partem, nec
 bonis adnumerandam nec malis: monitorem non desi-
 derabit ad singula, qui dicat „sic incede, sic coena. hoc
 9 viro, hoc feminae, hoc marito, hoc caelibus convenit.“ ista
 enim qui diligentissime monent, ipsi facere non possunt.
 haec paedagogus puero, haec avia nepoti praecipit et
irascendum non esse magister iracundissimus disputat.
 si ludum literarium intraveris, scies ista, quae ingenti
 supercilio philosophi iactant, in puerili esse praescripto.
 10 Utrum deinde manifesta an dubia praecipies? non desi-
 derant manifesta monitorem. praecipienti dubia non cre-
 ditor: supervacuum est ergo praecipere. id adeo sic disce:
 si id mones, quod obscurum est et ambiguum, proba-
 tionibus adiuvandum erit. si probaturus es, illa per quae
 11 probas, plus valent satisque per se sunt. „Sic amico
 utere, sic cive, sic socio.“ Quare? „quia iustum est.“
 Omnia ista mihi de iustitia locus tradit. illic invenio ae-
quitatem per se expetendam. nec metu nos ad illam cogi
nec mercede conduci. non esse iustum, cui quicquam in
 hac virtute placet praeter ipsam. hoc cum persuasi mihi et
 perbibi, quid ista praecepta proficiunt, quae eruditum
 docent? praecepta dare scienti supervacuum est, nescienti
 parum. audire enim debet non tantum, quid sibi praeci-
 12 piatur, sed etiam quare. Utrum, inquam, veras opiniones
 habenti de bonis malisque sunt necessaria an non ha-
 benti? qui non habet, nihil a te adiuvabitur. aures eius
 contraria monitionibus tuis fama possedit. qui habet ex-
 actum iudicium de fugiendis petendisque, scit, quid sibi fa-
 ciendum sit etiam te tacente. tota ergo pars ista philoso-
 13 phiae submoveri potest. Duo sunt, propter quae delinquimus:
 aut inest animo pravis opinionibus malitia contracta

aut, etiamsi non est falsis occupatus, ad falsa proclivis est et cito specie quo non oportet trahente conrumpitur. itaque debemus aut percurare mentem aegram et vitiis liberare, aut vacantem quidem, sed ad peiora pronam praeoccupare: utrumque decreta philosophiae faciunt: ergo tale praecipendi genus nil agit. Praeterea si praecepta sin-¹⁴ gulis damus, inconprehensibile opus est. alia enim dare debemus feneranti, alia colenti agrum, alia negotianti, alia regum amicitias sequenti, alia pares, alia inferiores am-
turo. In matrimonio praecipias, quomodo vivat cum uxore ¹⁵ aliquis, quam virginem duxit, quomodo cum ea, quae alicuius ante matrimonium experta est, quemadmodum cum locuplete, quemadmodum cum indotata. an non putas aliquid esse discriminis inter sterilem et fecundam, inter provectiorem et puellam, inter matrem et novercam? Omnes species complecti non possumus: atqui singulae propria exigunt, leges autem philosophiae breves sunt et omnia adligant. Adice nunc, quod sapientiae praecepta ¹⁶ finita debent esse et certa: si qua finiri non possunt, extra sapientiam sunt. sapientia rerum terminos novit. Ergo ista praeceptiva pars submovenda est, quia quod paucis promittit, praestare omnibus non potest, sapientia autem omnes tenet. Inter insaniam publicam et hanc, quae me-¹⁷ dicis traditur, nihil interest, nisi quod haec morbo laborat, illa opinionibus falsis: altera causas furoris traxit ex valitudine, altera animi mala valitudo est. si quis furioso praecepta det, quomodo loqui debeat, quomodo procedere, quomodo in publico se gerere, quomodo in privato, erit ipso, quem monebit, insanior: bilis nigra curanda est et ipsa furoris causa removenda. idem in hoc alio animi furore faciendum est. ipse discuti debet: alioquin abibunt in vanum monentium verba. Haec ab Aristone di-¹⁸ cuntur, cui respondebimus ad singula. Primum adversus illud, quod ait, si quid obstat oculo et impedit visum, debere removeri: fateor huic non opus esse praeceptis ad videndum, sed remedio, quo purgetur acies et officientem sibi moram effugiat. natura enim videmus, cui usum sui reddit qui removet obstantia: quid autem

19 cuique debeatur officio, natura non docet. Deinde cuius curata subfusio est, is non protinus, cum visum recepit, aliis quoque potest reddere: malitia liberatus et liberat. Non opus est exhortatione, ne consilio quidem, ut colorum proprietates oculus intellegat. a nigro album etiam nullo monente distinguet: multis contra praeceptis eget animus, ut videat, quid agendum sit in vita. quamquam oculis quoque aegros medicus non tantum curat, [sed] etiam
 20 monet: „non est, inquit, quod protinus inbecillam aciem committas inprobo lumini. a tenebris primum ad umbrosa procede, deinde plus aude et paulatim claram lucem pati adsuesce. non est, quod post cibum studeas. non est, quod plenis oculis ac tumentibus imperes. adflatum et vim frigoris in os occurrentis evita,“ alia eiusmodi, quae non minus quam medicamenta proficiunt: adicit re-
 21 mediis medicina consilium. „Error, inquit, est causa peccandi. hunc nobis praecepta non detrahunt nec expugnant opiniones de bonis ac malis falsas.“ Concedo per se efficacia praecepta non esse ad evertendam pravam animi persuasionem: sed non ideo [non,] aliis quidem adiecta proficiunt. Primum memoriam renovant. deinde quae in universo confusius videbantur, in partes divisa diligentius considerantur: aut tu isto modo licet et consolationes dicas supervacuas et exhortationes: atqui non sunt super-
 22 vacuae, ergo ne monitiones quidem. „Stultum est, inquit, praecipere aegro quid facere tamquam sanus debeat, cum restituenda sanitas sit, sine qua inrita sunt praecepta.“ Quid, quod habent aegri quaedam sanique communia, de quibus admonendi sunt? tamquam ne avide cibos adpetant, ut lassitudinem vitent. Habent quaedam praecep-
 23 ta communia pauper et dives. „Sana, inquit, avaritiam et nihil habebis, quod admoneas aut pauperem aut divitem: cupiditas utriusque considet.“ Quid, quod aliud est non concupiscere pecuniam, aliud uti pecunia scire? cuius avari modum ignorant, etiam non avari usum. „Tolle, inquit, errores: supervacua praecepta sunt.“ Falsum est: puta enim avaritiam relaxatam, puta adstrictam esse lu-

xuriam, temeritati frenos iniectos, ignaviae subditum calcar: etiam remotis vitiis quid et quemadmodum debeamus facere, discendum est. „Nihil, inquit, efficient monitiones 24 admotae gravibus vitiis.“ Ne medicina quidem morbos insanabiles vincit: tamen adhibetur aliis in remedium, aliis in levamentum. ne ipsa quidem universae philosophiae vis, licet totas in hoc vires suas advocet, duram iam et veterem animis extrahet pestem: sed non ideo nihil sanat, quia non omnia. „Quid prodest, inquit, aperta 25 monstrare?“ Plurimum: interdum enim scimus nec attendimus. non docet admonitio, sed advertit, sed excitat, sed memoriam continet nec patitur elabi. Pleraque ante oculos posita transimus: admonere genus adhortandi est. Saepe animus etiam aperta dissimulat. ingerenda est itaque illi notitia rerum notissimarum. Illa hoc loco in Vatinium Calvi repetenda sententia est: „*Factum esse ambitum scitis et hoc vos scire omnes sciunt,*“ Seis amici- 26 tias sancte colendas esse, sed non facis. seis inprobum esse, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum. seis, ut illi nil cum adultero, sic tibi nil esse debere cum paelice, et non facis. itaque subinde reducendus es ad memoriam. non enim reposita illa esse oportet, sed in promptu. quaecumque salutaria sunt, saepe 27 agitari debent, saepe versari, ut non tantum nota sint nobis, sed etiam parata. Adice nunc, quod aperta quoque apertiora fieri solent. „Si dubia sunt, inquit, quae 27 praecipis, probationes adicere debebis: ergo illae, non praecepta proficient.“ Quid, quod etiam sine probationibus ipsa monentis auctoritas prodest? sic quomodo iuriconsultorum valent responsa, etiamsi ratio non redditur. Praeterea ipsa, quae praecipuntur, per se multum habent ponderis, utique si aut carmini intexta sunt aut prosa oratione in sententiam coartata, sicut illa Catoniana: „*Emas non quod opus est, sed quod necesse est. Quod non opus est, asse carum est.*“ Qualia sunt illa aut reddita ora- 28 culo aut similia: *Tempori parce. Te nosce.* Numquid rationem exiges, cum tibi aliquis hos dixerit versus?

Iniuriarum remedium est oblivio.

Audentes fortuna iuvat.

Piger ipse sibi obstat.

Advocatum ista non quaerunt. adfectus ipsos tangunt
 29 et natura vim suam exercente proficiunt. Omnium honestarum rerum semina animi gerunt, quae admonitione excitantur, non aliter quam scintilla flatu levi adiuta ignem suum explicat: erigitur virtus, cum tacta est et impulsata. Praeterea quaedam sunt quidem in animo, sed parum prompta, quae incipiunt in expedito esse, cum dicta sunt. quaedam diversis locis iacent sparsa, quae contrahere inexercitata mens non potest. itaque in unum conferenda sunt et iungenda, ut plus valeant animumque
 30 magis adlevent: aut si praecepta nihil adjuvant, omnis institutio tollenda est, ipsa natura contenti esse debemus. Hoc qui dicunt, non vident alium ingenii esse mobilis et erecti, alium tardi et hebetis, utique alium alio ingeniosiore. ingenii vis praeceptis alitur et crescit novasque
 31 persuasiones adicit innatis et depravata corrigit. „Si quis, inquit, non habet recta decreta, quid illum admonitiones iuvabunt vitiosis obligatum?“ Hoc scilicet, ut illis liberetur. non enim exstincta in illo indoles naturalis est, sed obscurata et obpressa: sic quoque temptat resurgere et contra prava nititur. nancata vero praesidium et adiuta praeceptis evalescit, si tamen illam diutina pestis non infecit nec enecuit: hanc enim ne disciplina quidem philosophiae toto inpetu suo connisa restituet. quid enim interest inter decreta philosophiae et praecepta, nisi quod illa generalia praecepta sunt, haec specialia? utraque res
 32 praecipit, sed altera in totum, particulatim altera. „Si quis, inquit, recta habet et honesta decreta, hic ex supervacuo monetur.“ Minime. nam hic quoque doctus quidem est facere, quae debet, sed haec non satis perspicit. non enim tantum adfectibus inpedimur, quo minus probanda faciamus sed inperitia inveniendi, quid quaeque res exigat. Habemus interdum compositum animum, sed residem et inexercitatum ad inveniendam officiorum viam, quam admonitio demonstrat. „Expelle, in-

quit, falsas opiniones de bonis et malis, in locum autem earum veras reponere: et nihil habebit admonitio, quod agat.“ Ordinatur sine dubio ista ratione animus, sed non ista tantum. nam quamvis argumentis collectum sit, quae bona malaque sint, nihilominus habent praecepta partes suas. et prudentia et iustitia officiis constat: officia praeceptis disponuntur. Praeterea ipsum de malis bonisque³⁴ iudicium confirmatur officiorum executione, ad quam praecepta perducunt. utraque enim inter se consentiunt: nec illa possunt praecedere, ut non haec sequantur, et haec ordinem sequuntur suum. unde adparet illa praecedere. „Infinita, inquit, praecepta sunt.“ Falsum est.³⁵ Nam de maximis ac necessariis rebus non sunt infinita. tenues autem differentias habent, quas exigunt tempora, loca, personae. sed his quoque dantur praecepta generalia. „Nemo, inquit, praeceptis curat insaniam: ergo³⁶ ne malitiam quidem.“ Dissimile est. nam si insaniam sustuleris, sanitas reddita est: si falsas opiniones exclusimus, non statim sequitur dispectus rerum agendarum: ut sequatur, tamen admonitio conroborabit rectam de bonis malisque sententiam. Illud quoque falsum est, nihil apud insanos proficere praecepta. nam quemadmodum sola non prosunt, sic curationem adiuvant. et denuntiatio et castigatio insanos coercuit. De illis nunc insanis loquor, quibus mens mota est, non erepta. „Leges, inquit, ut faciamus, quod oportet, non efficiunt: et quid aliud sunt quam minis mixta praecepta?“³⁷ Primum omnium ob hoc illae non persuadent, quia minantur, at haec non cogunt, sed exorant. Deinde leges a scelere deterrent: praecepta in officium adhortantur. His adice, quod leges quoque proficiunt ad bonos mores, utique si non tantum imperant, sed docent. In hac re³⁸ dissentio a Posidonio, qui pro eo, quod Platonis legibus adiecta principia sunt: „Legem [enim, inquit,] brevem esse oportet, quo facilius ab inperitis teneatur. velut emissa divinitus vox sit: iubeat, non disputet. nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius quam lex [cum] prologumene: dic, quid me velis fecisse: non disco, sed

pareo.“ proficiunt vero: itaque malis moribus uti vide-
 39 bis civitates usas malis legibus. „At non apud omnis
 proficiunt.“ Ne philosophia quidem: nec ideo inutilis et
 formandis animis inefficax est. quid autem? philosophia
 non vitae lex est? Sed putemus non proficere leges: non
 ideo sequitur, ut ne monitiones quidem proficiant: aut
 sic et consolationes nega proficere dissuasionesque et
 adhortationes et obiurgationes et laudationes. omnia ista
 monitionum genera sunt. per ista ad perfectum animi
 40 statum pervenitur. Nulla res magis animis honesta induit
 dubiosque et in pravum inclinabiles revocat ad rectum
 quam bonorum virorum conversatio. paulatim enim de-
 scendit in pectora et vim praeceptorum obtinet frequen-
 ter adspici, audiri frequenter. occursus mehercules ipse
 sapientium iuvat et est aliquid, quod ex magno viro vel
 41 tacente proficias. Nec tibi facile dixerim quemadmodum
 prosit, sicut illud intellegam, profuisse. „Minuta quae-
 dam, ut ait Phaedon, animalia, cum mordent, non senti-
 untur: adeo tenuis illis et fallens in periculum vis est:
 tumor indicat morsum et in ipso tumore nullum vulnus
 adparet. Idem tibi in conversatione virorum sapientium
 eveniet: non deprehendes, quemadmodum aut quando
 42 tibi prosit, profuisse deprehendes.“ Quorsus, inquis,
 hoc pertinet? aequae praecepta bona, si saepe tecum sint,
 profutura quam bona exempla. Pythagoras ait alium ani-
 mum fieri intransibus templum deorumque simulacra ex
 vicino cernentibus et alicuius oraculi operientibus vo-
 43 cem. Quis autem negaverit feriri quibusdam praeceptis
 efficaciter etiam inperitissimos? velut his brevissimis vo-
 cibus, sed multum habentibus ponderis:

Nihil nimis.

Avarus animus nullo satiatur lucro.

Ab alio exspectes, alteri quod feceris.

Haec cum ictu quodam audimus nec ulli licet dubitare
 aut interrogare „quare?“ adeo etiam sine ratione ipsa
 44 veritas ducit. Si reverentia frenat animos ac vitia con-
 pescit, cur non et admonitio idem possit? si inponit pu-
 dorem castigatio, cur admonitio non faciat, etiamsi nu-

dis praeceptis utitur? illa vero efficacior est et altius penetrat, quae adiuvat ratione quod praecipit, quae adicit, quare quidque faciendum sit et quis facientem obedi-
 temque praeceptis fructus exspectet. si imperio proficitur, et admonitione: atque proficitur imperio, ergo et
 admonitione. In duas partes virtus dividitur, in con-⁴⁵
 templationem veri et actionem: contemplationem institu-
 tio tradit, actionem admonitio. Virtutem et exercet et
 ostendit recta actio. acturo autem si prodest qui suadet,
 et qui monet proderit. ergo si recta actio virtuti necessa-
 ria est, rectas autem actiones admonitio demonstrat: et
 admonitio necessaria est. Duae res plurimum roboris⁴⁶
 animo dant, fides veri et fiducia: utramque admonitio
 facit. nam et creditur illi et, cum creditum est, magnos
 animus spiritus concipit ac fiducia inpletur: ergo admo-
 nitio non est supervacua. M. Agrippa, vir ingentis animi,
 qui solus ex iis, quos civilia bella claros potentesque fe-
 cerunt, felix in publicum fuit, dicere solebat multum se
 huic debere sententiae: „Nam concordia parvae res cre-
 scunt, discordia maximae dilabuntur.“ hac se aiebat et
 fratrem et amicum optimum factum. Si eiusmodi senten-⁴⁷
 tiae familiariter in animum receptae formant eum, cur
 non haec pars philosophiae, quae talibus sententiis constat,
 idem possit? Pars virtutis disciplina constat, pars
 exercitatione: et discas oportet et quod didicisti agendo
 confirmes. quod si est, non tantum scita sapientiae pro-
 sunt, sed etiam praecepta, quae adfectus nostros velut
 edicto coercent et adligant. „Philosophia, inquit, dividi-⁴⁸
 tur in haec, scientiam et habitum animi. nam qui didicit
 et facienda ac vitanda percepit, nondum sapiens est, nisi
 in ea, quae didicit, animus eius transfiguratus est: tertia
 ista pars praecipienda ex utroque est, et ex decretis et
 ex habitu. itaque supervacua est ad implendam virtutem,
 cui duo illa sufficiunt.“ Isto ergo modo et consolatio⁴⁹
 supervacua est, nam haec quoque ex utroque est, et ad-
 hortatio et suasio et ipsa argumentatio. nam et haec ab
 habitu animi compositi validique proficiscitur. sed quam-
 vis ista ex optimo habitu animi veniant, optimus animi ha-

50 bitus ex his est: et facit illa et ex illis ipse fit. Deinde istud,
 quod dicis, iam perfecti viri est ac summam consecuti fe-
 licitatis humanae, ad haec autem tarde pervenitur: in-
 terim etiam imperfecto, sed proficienti demonstranda est
 in rebus agendis via. hanc forsitan etiam sine admoni-
 tione dabit sibi ipsa sapientia, quae iam eo perduxit ani-
 mum, ut moveri nequeat nisi in rectum: inbecillioribus
 quidem ingeniis necessarium est aliquem praeire: „hoc
 51 vitabis, hoc facies.“ Praeterea si exspectat tempus, quo
per se sciat, quid optimum factu sit, interim errabit et er-
rando inpedietur, quo minus ad illud perveniat, quo pos-
sit se esse contentus: regi ergo debet, dum incipit posse
 se regere. Pueri ad praescriptum discunt. digiti illorum
 tenentur et aliena manu per literarum simulacra ducun-
 tur. deinde imitari iubentur proposita et ad illa reformare
 chirographum: sic animus noster, dum eruditur ad prae-
 52 scriptum, iuvatur. Haec sunt, per quae probatur
 hanc philosophiae partem supervacua non
 esse. quaeritur deinde, an ad faciendum sa-
 pientem sola sufficiat. huic quaestioni suum
 diem dabimus: interim omissis argumentis
 nonne adparet opus esse nobis aliquo advocato, qui
 53 contra populi praecepta praecipiat? Nulla ad aures no-
 stras vox inpune perfertur: nocent, qui optant, nocent,
 qui exsecrantur: nam et horum inprecatio falsos nobis
 metus inserit et illorum amor male docet bene optando.
mittit enim nos ad longinqua bona et incerta et errantia,
 54 cum possimus felicitatem domo promere. Non licet, in-
 quam, ire recta via: trahunt in pravum parentes, trahunt
 servi. nemo errat uni sibi, sed dementia spargit in pro-
ximos accipitque invicem. et ideo in singulis vitia popu-
 lorum sunt, quia illa populus dedit. dum facit quisque
 peiorem, factus est: didicit deteriora, dein docuit, effe-
 ctaque est ingens illa nequitia congesto in unum, quod
 55 cuique pessimum scitur. Sit ergo aliquis custos et aurem
subinde pervellat abigatque rumores et reclamet populis
laudantibus. erras enim, si existimas nobiscum vitia nasci:
 supervenerunt, ingesta sunt. itaque monitionibus crebris

opiniones, quae nos circumsonant, repellantur. Nulli nos 56
vilio natura conciliat: illa integros ac liberos genuit. nihil
 quo avaritiam nostram inritaret, posuit in aperto. pedi-
 bus aurum argentumque subiecit calcandumque ac pre-
 mendum dedit, quicquid est, propter quod calcamur ac
 premimur. illa voltus nostros erexit ad coelum et quic-
 quid magnificentum mirumque fecerat, videri a suspicienti-
 bus voluit: ortus occasusque et properantis mundi vo-
 lubilem cursum, interdiu terrena aperientem, nocte coe-
 lestia, tardos siderum incessus, si compares toti, citatissi-
 mos autem, si cogites, quanta spatia numquam intermissa
 velocitate circumeant, defectus solis ac lunae invicem
 obstantium, alia deinceps digna miratu, sive per ordinem
 subeunt, sine subitis causis mota prosiliunt, ut nocturni
 ignium tractus et sine ullo ictu sonituque fulgores coeli
 patescentis columnæque ac trabes et varia simulacra flam-
 marum: haec supra nos itura disposuit, aurum quidem 57
 et argentum et propter ista numquam pacem agens fer-
 rum, quasi male nobis committerentur, abscondit: nos in
 lucem, propter quæ pugnaremus, extulimus. nos et
 causas periculorum nostrorum et instrumenta disiecto
 terrarum pondere eruimus. nos fortunae mala nostra tra-
 didimus nec erubescimus summa apud nos haberi, quae
 fuerant ima terrarum. Vis scire, quam falsus oculos tuos 58
 deceperit fulgor? nihil est istis, quamdiu mersa et invo-
 luta coeno suo iacent, foedius, nihil obscurius. quidni,
 quae per longissimorum cuniculorum tenebras extrahun-
 tur? nihil est illis, dum fiunt et a faece sua separantur,
 informius. denique ipsos opifices intuere, per quorum
 manus sterile terrae genus et infernum perpurgatur: vi-
 debis quanta fuligine oblinantur: atqui ista magis inqui- 59
 nant animos quam corpora et in possessore eorum quam
 in artifice plus sordium est. necessarium itaque est ad-
 moneri et habere aliquem advocatum bonae mentis et in
 tanto fremitu tumultuque falsorum unam denique au-
 dire vocem. Quae erit illa vox? ea scilicet, quae tibi tan-
 tis clamoribus ambitionis exsurdato salubria insusurret
 verba, quae dicat: Non est, quod invidias istis, quos 60

magnos felicesque populus vocat. non est, quod tibi con-
 positae mentis habitum et sanitatem plausus excutiat.
 non est, quod tibi tranquillitatis tuae fastidium faciat ille
 sub illis fascibus purpura cultus. non est, quod feliciorum
 eum iudices, cui submovetur, quam te, quem lictor semita
 deicit: si vis exercere tibi utile, nulli autem grave impe-
 61 rium, submove vitia. Multi inveniuntur, qui ignem inferant
 urbibus, qui inexpugnabilia seculis et per aliquot aetates
 tuta prosternant, qui aequum arcibus aggerem adtollant
 et muros in miram altitudinem eductos arietibus ac ma-
 chinis quassent. multi sunt, qui ante se agant agmina et
 tergis hostium [et] graves instent et ad mare magnum
 perfusi caede gentium veniant: sed hi quoque, ut vince-
 rent hostem, cupiditate victi sunt. nemo illis venientibus
 restitit, sed nec ipsi ambitioni crudelitatiue restiterant:
 62 tunc, cum agere alios visi sunt, agebantur. Agebat infelicem
 Alexandrum furor aliena vastandi et ad ignota mittebat:
 an tu putas sanum, qui a Graeciae primum cladibus, in
 qua eruditus est, incipit? qui, quod cuique optimum est,
 eripit, Lacedaemona servire iubet, Athenas tacere? non
 contentus tot civitatum strage quas aut vicerat Philippus
 aut emerat, alias alio loco proicit et toto orbe arma cir-
 cumfert. nec subsistit usquam lassa crudelitas inmanium
 ferarum modo, quae plus quam exigit fames, mordent?
 63 Iam in unum regnum multa regna coniecit. iam Graeci
 Persaeque eundem timent. iam etiam a Dareo liberae na-
 tiones iugum accipiunt: it tamen ultra oceanum solemque.
 indignatur ab Herculis Liberique vestigiis victoriam fle-
 ctere. ipsi naturae vim parat: non ille ire vult, sed non
 potest stare, non aliter quam in praiceps deiecta pon-
 64 dera, quibus eundi finis est iacuisse. Ne Gneo quidem
 Pompeio externa bella ac domestica virtus aut ratio sua-
 debat, sed insanus amor magnitudinis falsae: modo in
 Hispaniam et Sertoriana arma, modo ad colligendos pi-
 ratas ac maria pacanda vadebat: hae praetexebantur
 65 causae ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam,
 quid in Septemtrionem, quid in Mithridaten et Armeniam
 et omnis Asiae angulos traxit? infinita scilicet cupido

crescendi, cum sibi uni parum magnus videretur. Quid Caesarem in sua fata pariter ac publica inmisit? gloria et ambitio et nullus supra ceteros eminendi modus. unum ante se ferre non potuit, cum respublica supra se duos ferret. Quid, tu G. Marium semel consulem, unum enim 66 consulatum accepit, ceteros rapuit, cum Teutonos Cimbroscque concideret, cum Iugurtham per Africae deserta sequeretur, tot pericula putas adpetisse virtutis instinctu? Marius exercitus, Marius ambitio ducebat. Isti cum 67 omnia concuterent, concutiebantur turbinum more, qui rapta convolvunt, sed ipsi ante volvuntur et ob hoc maiore impetu incurrunt, quia nullum illis sui regimen est ideoque cum multis fuerunt malo, pestiferam illam vim, qua plerisque nocuerunt, ipsi quoque sentiunt. Non est quod credas quemquam fieri aliena infelicitate felicem. Omnia 68 ista exempla, quae oculis atque auribus nostris ingeruntur, retexenda sunt et plenum malis sermonibus pectus exhauriendum: inducenda in occupatum locum virtus, quae mendacia et contra verum placentia extirpet, quae nos a populo, cui nimis credimus, separet ac sinceris opinionibus reddat. hoc est enim sapientia, in naturam converti et eo restitui, unde publicus error expulerit. Magna pars sanitatis est hortatores insaniae reliquisse in 69 isto coitu invicem noxio [et] procul abisse. hoc ut esse verum scias, adspice, quanto aliter unusquisque populo vivat, aliter sibi. non est per se magistra innocentiae solitudo nec frugalitatem docent rura, sed ubi testis ac spectator abscessit, vitia subsidunt, quorum monstrari et conspici fructus est. Quis eam, quam nulli ostenderet, 70 induit purpuram? quis posuit secretam in auro dapem? quis sub alicuius arboris rusticae proiectus umbra luxuriae suae pompam solus explicuit? nemo oculis suis lautus est, ne paucorum quidem aut familiarium, sed adparatum vitiorum suorum pro modo turbae spectantis expandit. Ita est: iritamentum est omnium, in quae in- 71 sanimus, admirator et conscius: ne concupiscamus, efficies, si ne ostendamus effeceris. ambitio et luxuria et inpotentia scenam desiderant: sanabis ista, si absconderis.

- 72 Itaque si in medio urbium fremitu conlocati sumus, stet ad latus monitor et contra laudatores ingentium patrimoniorum laudet parvo divitem et usu opes metientem. contra illos, qui gratiam ac potentiam adtollunt, otium ipse suspiciat traditum literis et animum ab externis ad
- 73 sua reversum. ostendat ex constitutione volgi beatos in illo invidioso fastigio suo trementes et adtonitos longeque aliam de se opinionem habentes quam ab aliis habetur. nam quae aliis excelsa videntur, ipsis praerupta sunt. itaque exanimantur et trepidant, quotiens despexerunt in illud magnitudinis suae praeceptis. cogitant enim varios
- 74 casus et in sublimi maxime lubricos: tunc adpetita formidant et quae illos graves aliis reddit, gravior ipsis felicitas incubat. tunc laudant otium lene et sui iuris. odio est fulgor et fuga a rebus adhuc stantibus quaeritur. tunc demum videas philosophantis metus et aegrae fortunae sana consilia. nam quasi ista inter se contraria sint, bona fortuna et mens bona, ita melius in malis sapimus: secunda rectum auferunt. Vale.

EPISTULA III. (95.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Petis a me, ut id, quod in diem suum dixeram debere differri, repraesentem et scribam tibi, an haec pars philosophiae, quam Graeci paraeneticen vocant, nos praeceptivam dicimus, satis sit ad consummandam sapientiam. Scio te in bonam partem accepturum, si negavero. Eo magis promitto et verbum publicum perire non patior:

Postea noli rogare, quod impetrare nolueris.

- 2 interdum enim enixe petimus id, quod recusaremus, si quis offerret. haec sive levitas est sive vernilitas, punianda est promittendi facilitate. multa videri volumus velle, sed nolumus: recitator historiam ingentem adtulit minutissime scriptam, artissime plicatam et magna parte perlecta: „desinam, inquit, si vultis.“ adclamatur: „recita, recita“ ab his, qui illum obmutescere illic cupiunt. Saepe aliud volumus, aliud optamus et verum ne dis quidem

dicimus: sed di aut non exaudiunt aut miserentur. Ego 3
me omissa misericordia vindicabo et tibi ingentem epistu-
lam inpingam, quam tu si invitus leges, dicito: „ego mihi
hoc contraxi,“ teque inter illos numera, quos uxor magno
ducta ambitu torquet, inter illos, quos divitiae per sum-
mum acquisitae sudorem male habent, inter illos, quos
honores nulla non arte atque opera petiti discruciant, et
ceteros malorum suorum conpotes. Sed ut omisso prin- 4
cipio rem ipsam adgrediar: „beata, inquit, vita constat
ex actionibus rectis. ad actiones rectas praecepta per-
ducunt: ergo ad beatam vitam praecepta sufficiunt.“
Non semper ad actiones rectas praecepta perducunt, sed
cum obsequens ingenium est: aliquando frustra admo-
ventur, si animum opiniones obsident pravae. Deinde 5
etiamsi recte faciunt, nesciunt facere se recte. non potest
enim quisquam nisi ab initio formatus et tota ratione con-
positus omnes exsequi numeros, ut sciat, quando oporteat
et in quantum et cum quo et quemadmodum et quare.
non potest toto animo ad honesta conari, ne constanter
quidem aut libenter, sed respiciet, sed haesitabit. „Si 6
honestas, inquit, actio ex praeceptis venit, ad beatam vi-
tam praecepta abunde sunt: atqui illud, ergo et hoc.“
His respondebimus actiones honestas et praeceptis fieri,
non tantum praeceptis. „Si aliae, inquit, artes contentae 7
sunt praeceptis, contenta erit et sapientia: nam et haec
ars vitae est. atqui gubernatorem facit ille, qui praecepit:
,sic move gubernaculum, sic vela submitte, sic secundo
vento utere, sic adverso resiste, sic dubium communem-
que tibi vindica.‘ alios quoque artifices praecepta confir-
mant: ergo in hoc idem poterunt artifices vivendi.“
Omnes istae artes circa instrumenta vitae occupatae sunt, 8
non circa totam vitam. itaque multa illas inhihent ex-
trinsecus et inpediunt, spes, cupiditas, timor: at haec,
quae artem vitae professa est, nulla re, quo minus se
exerceat, vetari potest. discutit enim inpedimenta et tra-
ctat obstantia: vis scire, quam dissimilis sit aliarum artium
condicio et huius? in illis excusatus est voluntate peccare
quam casu, in hac maxima culpa est sponte delinquere.

- 9 Quod diuo, tale est: grammaticus non erubescet soloecismo, si sciens facit: erubescet, si nesciens. medicus si deficere aegrum non intellegit, quantum ad artem magis peccat, quam si se intellegere dissimulat: at in hac arte vivendi turpior volentium culpa est. Adice nunc, quod artes quoque pleraeque, immo ex omnibus liberalissimae habent decreta sua, non tantum praecepta, sicut medicina. itaque alia est Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia
- 10 Themisonis. Praeterea nulla ars contemplativa sine decretis suis est, quae Graeci vocant dogmata, nobis vel decreta licet adpellare vel scita vel placita, quae et in geometria et in astronomia invenies. Philosophia autem et contemplativa est et activa: spectat simul agitque. erras enim, si tibi illam putas tantum terrestres operas promittere: altius spirat. totum, inquit, mundum scrutor nec me intra contubernium mortale contineo suadere vobis ac dissuadere contenta. magna me vocant supraque vos posita.
- 11 *Nam tibi de summa coeli ratione deumque
Disserere incipiam et rerum primordia pandam:
Unde omnis natura creet res, auclat alatque,
Quoque eadem rursus natura perempta resolvat,*
ut ait Lucretius. sequitur ergo ut, cum contemplativa sit,
- 12 habeat decreta sua. Quid? quod facienda quoque nemo rite obibit nisi is, cui ratio erit tradita, qua in quaque re omnes officiorum numeros exsequi possit, quos non servabit, qui in rem praecepta acceperit, non in omne. inbecilla sunt per se et, ut ita dicam, sine radice, quae partibus dantur. Decreta sunt, quae muniant, quae securitatem nostram tranquillitatemque tueantur, quae totam vitam totamque rerum naturam simul contineant. Hoc interest inter decreta philosophiae et praecepta, quod inter elementa et membra: haec ex illis dependent, illa
- 13 et horum causae sunt et omnium. „Antiqua, inquit, sapientia nihil aliud quam facienda ac vitanda praecepit et tunc longe meliores erant viri: postquam docti prodierunt, boni desunt. simplex enim illa et aperta virtus in obscuram et solertem scientiam versa est docemurque dispu-

tare, non vivere.“ Fuit sine dubio, ut dicitis, vetus illa 14
 sapientia tum maxime nascens rudis non minus quam
 ceterae artes, quarum in processu subtilitas crevit. sed
 ne opus quidem adhuc erat remediis diligentibus. non-
 dum in tantum nequitia surrexerat nec tam late se spar-
 serat. poterant vitiis simplicibus obstare remedia simpli-
 cia: nunc necesse est tanto operosiora esse munimenta,
 quanto vehementiora sunt, quibus petimur. Medicina 15
 quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus siste-
 retur fluens sanguis, volnera coirent: paulatim deinde
 in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. nec est
 mirum tunc illam minus negotii habuisse firmis adhuc so-
 lidisque corporibus et facili cibo nec per artem volupta-
 temque corrupto, qui postquam coepit non ad tollendam,
 sed ad irritandam famem quaeri et inventae sunt mille
 conditurae, quibus aviditas excitaretur, quae desideran-
 tibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor et 16
nervorum vino madentium tremor et miserabilior ex cru-
 ditatibus quam ex fame macies. inde incerti labantium
 pedes et semper qualis in ipsa ebrietate titubatio. inde in
 totam cutem humor admissus distensusque venter, dum
 male adsuescit plus capere quam poterat. inde subfusio
 luridae bilis et decolor voltus tabesque in se putrescentium
 et retorridi digiti articulis obrigescentibus nervo-
 rumque sine sensu iacentium torpor aut palpitatio [cor-
 porum] sine intermissione vibrantium. quid capitis ver- 17
 tiginis dicam? quid oculorum auriumque tormenta et
 cerebri aestuantis verminationes et omnia, per quae exo-
 neramur, internis ulceribus adfecta? innumerabilia prae-
 terea febrium genera, aliarum inpetu saevientium, aliarum
 tenui peste repentium, aliarum cum horrore et multa
 membrorum quassatione venientium? Quid alios referam 18
 innumerabiles morbos, supplicia luxuriae? innumes erant
 ab istis malis, qui nondum se deliciis solverant, qui sibi
 imperabant, sibi ministrabant. corpora opere ac vero
 labore durabant aut cursu defatigati aut venatu aut tellure
 versata. excipiebat illos cibus, qui nisi esurientibus pla-
 cere non posset. itaque nihil opus erat tam magna medi-

corum supellectile nec tot ferramentis atque pyxidibus. simplex erat ex causa simplici valitudo: multos morbos
19 multa fercula fecerunt. Vide, quantum rerum per unam
gulam transitarum permisceat luxuria, terrarum marisque
vastatrix. necesse est itaque inter se tam diversa
dissideant et hausta male digerantur aliis alio nitentibus.
nec mirum, quod inconstans variusque ex discordi cibo
morbus est et illa ex contrariis naturae partibus in eumdem
compulsa redundant. Inde tam * nullo aegrotamus
20 genere quam vivimus. Maximus ille medicorum et huius
scientiae conditor feminis nec capillos defluere dixit nec
pedes laborare: atqui et capillis destituuntur et pedibus
aegrae sunt. non mutata feminarum natura, sed vita est:
nam cum virorum licentiam aequaverint, corporum quoque
21 virilium incommoda aequarunt. Non minus pervigilant,
non minus potant, et oleo et mero viros provocant.
aeque invitis ingesta visceribus per os reddunt et vinum
omne vomitu remetiuntur. aequae nivem rodunt, solatium
stomachi aestuantis. libidine vero ne maribus quidem
cedunt: pati natae, di illas deaeque male perdant! adeo
perversum commentae genus impudicitiae viros ineunt.
quid ergo mirandum est maximum medicorum ac naturae
peritissimum in mendacio prendi, cum tot feminae podagrica
calvaeque sint? beneficium sexus suis vitiis
perdiderunt et, quia feminam exuerant, damnatae sunt
22 morbis virilibus. Antiqui medici nesciebant dare cibum
saepius et vino fulcire venas cadentes. nesciebant sanguinem
mittere et diutinam aegrotationem balneo sudoribusque
laxare. nesciebant crurum vinculo brachiorumque latentem
vim et in medio sedentem ad extrema revocare. non erat
necesse circumspicere multa auxiliorum genera,
23 cum essent periculorum paucissima: nunc vero quam
longe processerunt mala valitudinis! has usuras voluptatum
pendimus ultra modum fasque concupitarum. innumerabiles
esse morbos non miraberis: coquos numerat. cessat omne
studium et liberalia professi sine ulla frequentia desertis
angulis praesident. in rhetorum ac philosophorum scholis
solitudo est: at quam celebres culinae

sunt, quanta circa nepotum focos iuventus premitur! Transeo puerorum infelicium greges, quos post transacta 24
convivia aliae cubiculi contumeliae exspectant. transeo
agmina exoletorum per nationes coloresque descripta, ut
eadem omnibus laevitas sit, eadem primae mensura lanu-
ginis, eadem species capillorum, ne quis, cui rectior est
zoma, crispulis misceatur. transeo pistorum turbam,
transeo ministratorum, per quos signo dato ad inferendam
coenam discurretur. di boni, quantum hominum unus
venter exercet! Quid? tu illos boletos, voluptarium ve- 25
nenum, nihil occulti operis iudicas facere, etiamsi prae-
sentanei non fuerunt? quid? tu illam aestivam nivem non
putas callum iocineribus obducere? quid? illa ostrea,
inertissimam carnem coeno saginatam, nihil existimas
limosae gravitatis inferre? quid? illud „sociorum garum,“
pretiosam malorum piscium saniem, non credis urere
salsa tabe praecordia? quid? illa purulenta et quae tan-
tum non ab ipso igne in os transferuntur, iudicas sine
noxa in ipsis visceribus extinguui? quam foedi itaque
pestilentesque ructus sunt, quantum fastidium sui exha-
lantibus crapulam veterem! scias putrescere sumpta, non
concoqui. Memini fuisse quondam in sermone nobilem 26
patinam, in quam, quicquid apud lautos solet diem ducere,
properans in damnum suum popina congesserat: vene-
riae spondylique et ostrea eatenus circumcisa, qua edun-
tur: intervenientibus distinguebantur echinis. totam torti
destructique sine ullis ossibus nulli constraverant. Piget 27
iam esse singula: coguntur in unum sapes. In coena
fit, quod fieri debet saturo in ventre: exspecto iam, ut
manducata ponantur. quantulo autem hoc minus est,
testas excerpere atque ossa et dentium opera coquam
fungi? „grave est luxuriari per singula: omnia semel et
in eundem saporem versa ponantur. quare ergo ad unani-
rem manum porrigam? plura veniant simul. multorum
ferculorum ornamenta coeant et cohaereant.“ Sciant pro- 28
tinus hi, qui iactationem ex istis peti et gloriam aiebant,
non ostendi ista, sed conscientiae dari. „pariter sint, quae
disponi solent, uno iure perfusa. nihil intersit: ostrea.

echini, spondyli, mulli perturbati concoctique ponantur: “
 29 non esset confusior vomentium cibis. Quomodo ista
 perplexa sunt, sic ex istis non singulares morbi nascuntur,
 sed inexplicabiles, diversi, multiformes, adversus quos et
 medicina armare se coepit multis generibus, multis observationibus.
 Idem tibi de philosophia dico: fuit aliquando simplicior inter
 minora peccantes et levi quoque cura remediabiles: adversus
 tantam morum eversionem omnia conanda sunt. et utinam sic
 30 denique lues ista vindicetur! Non privatim solum, sed publice furimus.
 homicidia conpescimus et singulas caedes: quid bella et occisarum
 gentium gloriosum scelus? non avaritia, non crudelitas modum
 novit. et ista quamdiu furtim et a singulis fiunt, minus noxia
 minusque monstrosa sunt: ex senatusconsultis plebisque scitis
 saeva exercentur et
 31 publice iubentur vetita privatim. quae clam commissa capite
 luerentur, quia paludati fecere, laudamus. Non pudet homines,
 mitissimum genus, gaudere sanguine alterno et bella gerere
 gerendaque liberis tradere, cum inter
 32 se etiam mutis ac feris pax sit. Adversus tam potentem
 explicitumque late furorem operosior philosophia facta est et
 tantum sibi virium sumpsit, quantum iis, adversus quae parabatur,
 accesserat. Expeditum erat obiurgare indulgentes mero et
 petentes delicatiorum cibum. non erat animus ad frugalitatem
 magna vi reducendus, a qua paullum discesserat:

33 *nunc manibus rapidis opus est, nunc arte magistra.*
 voluptas ex omni quaeritur. nullum intra se manet vitium:
 in avaritiam luxuria praeceps est. honesti oblivio invasit.
 nihil turpe est, cuius placet pretium. homo, sacra res homini,
 iam per lusum ac iocum occiditur et quem erudiri ad inferenda
 accipiendaque volnera nefas erat, is iam nudus inermisque
 producitur satisque spectaculi ex homine mors est.
 34 In hac ergo morum perversitate desideratur solito vehementius
 aliquid, quod mala inveterata discutiat: decretis agendum est,
 ut revellatur penitus falsorum recepta persuasio. his si adiunxerimus
 praecepta, consolationes, adhortationes,

poterunt valere: per se inefficaces sunt. Si³⁵
volumus habere obligatos et malis, quibus iam tenentur,
avellere, discant, quid malum, quid bonum sit. sciant
omnia praeter virtutem mutare nomen, modo mala fieri,
modo bona. Quemadmodum primum militiae vinculum
est religio et signorum amor et deserendi nefas, tunc
deinde facile cetera exiguntur mandanturque iusiurandum
adactis: ita in iis, quos velis ad beatam vitam perducere,
prima fundamenta iacienda sunt et insinuanda virtus.
huius quadam superstitione teneantur. hanc ament. cum
hac vivere velint, sine hac nolint. „Quid ergo? non qui-³⁶
dam sine institutione subtili evaserunt probi magnosque
profectus adsecuti sunt, dum nudis tantum praeceptis
obsequuntur?“ Fateor: sed felix illis ingenium fuit et
salutaria in transitu rapuit. nam ut di immortales nullam
didicere virtutem cum omni editi et pars naturae eorum
est bonos esse, ita quidam ex hominibus egregiam sortiti
indolem in ea, quae tradi solent, perveniunt sine longo
magisterio et honesta complexi sunt, cum primum audiere:
(unde ista tam rapacia virtutis ingenia vel ex se fertilia?)
at illis aut hebetibus et obtusis aut mala consuetudine
obsessis diu robigo animorum effricanda est. Ceterum,³⁷
ut illos in bonum pronos citius educit ad summa, et hos
inbecilliores adiuvabit malisque opinionibus extrahet, qui
illis philosophiae placita tradiderit: quae quam
sint necessaria, sic licet videas. Quaedam insident
nobis, quae nos ad alia pigros, ad alia temerarios faciunt.
nec haec audacia reprimi potest nec illa inertia suscitari,
nisi causae eorum eximuntur, falsa admiratio et falsa for-
mido. haec nos quamdiu possident, dicas licet: „hoc patri
praestare debes, hoc liberis, hoc amicis, hoc hospitibus“:
temptantem avaritia retinebit. sciet pro patria pugnandum
esse: dissuadebit timor. sciet pro amicis desudandum
esse ad extremum usque sudorem: sed deliciae vetabunt.
sciet in uxore gravissimum esse genus iniuriae paeliceni:
sed illum libido in contraria impingit. Nihil ergo proderit³⁸
dare praecepta, nisi prius amoveris obstatura praeceptis,
non magis quam proderit arma in conspectu posuisse

propiusque admovisse, nisi usurae manus expediuntur. Ut ad praecepta, quae damus, possit animus ire, solvendus est. Putemus aliquem facere, quod oportet: non faciet adsidue, non faciet aequaliter. nesciet enim, quare faciat. aliqua vel casu vel exercitatione exhibunt recta, sed non erit in manu regula, ad quam exigantur, cui credat recta esse, quae fecit. Non promittet se talem in perpetuum, qui bonus casu est. Deinde praestabunt tibi fortasse praecepta, ut quod oportet facias, non praestabunt, ut quemadmodum oportet: si hoc non praestant, ad virtutem non perducunt. faciet quod oportet monitus, concedo: sed id parum est, quoniam quidem non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat. Quid est coena sumptuosa flagitiosius et equestrem censum consumente? quid tam dignum censoria nota, si quis, ut isti ganeones loquuntur, sibi hoc et genio suo praestet? et totiens tamen sestertio aditiales coenae frugalissimis viris constiterunt. eadem res, si gulae datur, turpis est, si honori, reprehensionem effugit. non enim luxuria, sed inpensa solemnis est. Mullum ingentis formae — quare autem non pondus adicio et aliquorum gulam inrito? quatuor pondo et se-libram fuisse aiebant — Tiberius Caesar missum sibi cum in macellum deferri et venire iussisset: „amici, inquit, omnia me fallunt, nisi istum mullum aut Apicius emerit aut P. Octavius.“ ultra spem illi coniectura processit: licitati sunt. vicit Octavius et ingentem consecutus est inter suos gloriam, cum quinque sestertiis emisset piscem, quem Caesar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. numerare tantum Octavio fuit turpe: nam ille, qui emerat, ut Tiberio mitteret, quamquam illum quoque reprehenderim, admiratus est rem, qua putavit Caesarem dignum.

Amico aliquis aegro adsidet: probamus. at hoc hereditatis causa facit: vultur est, cadaver exspectat. Eadem aut turpia sunt aut honesta: refert, quare aut quemadmodum fiant. omnia autem honesta fient, si honesto nos addixerimus idque unum in rebus humanis bonum iudicavimus quaeque ex eo sunt: cetera in diem bona sunt. Ergo infigi debet persuasio ad totam pertinens vi-

tam: hoc est, quod decretum voco. Qualis haec persuasio fuerit, talia erunt, quae agentur, quae cogitabuntur: qualia autem haec fuerint, talis vita erit. in particulas suasisse totum ordinanti parum est. M. Brutus in eo ⁴⁵ libro, quem *περὶ καθήκοντος* inscripsit, dat multa praecepta et parentibus et liberis et fratribus: haec nemo faciet, quemadmodum debet, nisi habuerit, quo perferat. proponamus oportet finem summi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum nostrum dictumque respiciat, veluti navigantibus ad aliquod sidus dirigendus est cursus. Vita ⁴⁶ sine proposito vaga est. quod si utique proponendum est, incipiunt necessaria esse decreta. Illud, ut puto, concedes, nihil esse turpius dubio et incerto actu, modo [*progrediente, modo*] pedem referente. hoc in omnibus rebus accidet nobis, nisi eximuntur, quae reprendunt animos et detinent perconarique totos vetant. Quomodo sint di colendi, so- ⁴⁷ let praecipit: accendere aliquem lucernas sabbatis prohibeamus, quoniam nec lumine di egent et ne homines quidem delectantur fuligine. vetemus salutationibus matutinis fungi et foribus adsidere templorum: humana ambitio istis officiis capitur: deum colit, qui novit. vetemus lintea et strigiles Iovi ferre et speculum tenere Iunoni: non quaerit ministros deus: quidni? ipse humano generi ministrat, ubique et omnibus praesto est. Audiat licet, quem ⁴⁸ modum servare in sacrificiis debeat, quam procul resilire a molestiis ac superstitionibus: numquam satis profectum erit, nisi qualem debet deum mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem [*in beneficium*] gratis. Quae causa est dis benefaciendi? natura. errat, si quis ⁴⁹ illos putat nocere nolle: non possunt. nec accipere iniuriam queunt nec facere. laedere etenim laedique coniunctum est. summa illa ac pulcherrima omnium natura quos periculo exemit, ne periculosos quidem fecit. Primus est ⁵⁰ deorum cultus deos credere. deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est. scire illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt interdum curiosi singulorum. hi nec dant malum nec habent: cete-

rum castigant quosdam et coercent et inrogant poenas et aliquando specie boni puniunt. Vis deos propitiare? bonus esto. satis illos coluit, quisquis imitatus est. Ecce altera quaestio, quomodo hominibus sit utendum. Quid agimus? quae damus praecepta? ut parcamus sanguini humano? quantulum est, ei non nocere, cui debeas prodesse! magna scilicet laus est, si homo mansuetus homini est. praecipiemus, ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum dividat? Quando omnia, quae praestanda ac vitanda sunt, dicam? [*cur autem dicam?*] cum possim breviter hanc illi formulam humani officii tradere: omne hoc, quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. natura nos cognatos edidit, cum ex isdem et in eadem gigneret. haec nobis amorem indidit mutuum et sociabiles fecit. illa aequum iustumque composuit. ex illius constitutione miserius est nocere quam laedi. ex illius imperio paratae sint iuvantis manus. Ille versus et in pectore et in ore sit:

Homo sum, humani nihil a me alienum puto.

Habeamus in commune, quod nati sumus. societas nostra lapidum fornicationi¹/simillima est, quae casura, nisi invicem obstaret, hoc ipso sustinetur. Post deos hominesque dispiciamus, quomodo rebus sit utendum. In supervacuum praecepta iactavimus, nisi illud praecesserit, qualem de quacumque re habere debeamus opinionem, de paupertate, de divitiis, de gloria, de ignominia, de patria, de exilio. aestimemus singula fama remota et quaeramus, quid sint, non quid vocentur. Ad virtutes transeamus. Praecipiet aliquis, ut prudentiam magni aestimemus, ut fortitudinem complectamur, [temperantiam amemus], iustitiam, si fieri potest, propius etiam quam ceteras nobis adplicemus. sed nil agemus, si ignoramus, quid sit virtus, una sit an plures separatae aut innexae, an qui unam habet, et ceteras habeat, quo inter se differant. Non est necesse fabro de fabrica quaerere, quod eius initium, quis usus sit, non magis quam pantomimo de arte saltandi: omnes istae artes se sciunt,

nihil deest. non enim ad totam pertinent vitam: virtus et aliorum scientia est et sui. discendum de ipsa est, ut ipsa discatur. Actio recta non erit, nisi recta fuerit voluntas. 57 ab hac enim est actio: rursus voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit. ab hoc enim est voluntas: habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vitae leges perceperit et quid de quoque iudicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit. Non contingit tranquillitas nisi inmutabile certumque iudicium adeptis: ceteri decidunt subinde et reponuntur et inter intermissa adpetitaque alternis fluctuantur. Causa huius iactationis 58 est, quod nihil liquet incertissimo regimine utentibus, fama. si vis eadem semper velle, vera oportet velis: ad verum sine decretis non pervenitur. continent vitam. bona et mala, honesta et turpia, iusta et iniusta, pia et impia, virtutes ususque virtutum, rerum commodarum possessio, existimatio ac dignitas, valitudo, vires, forma, sagacitas sensuum: haec omnia aestimatorem desiderant. scire liceat, quanti quidque in censum deferendum sit. falleris enim et pluris quaedam quam sunt putas, adeoque 59 falleris, ut, quae maxima inter nos habentur, divitiae, gratia, potentia, sestertio nummo aestimanda sint. hoc nescies, nisi constitutionem ipsam, qua ista inter se aestimantur, inspexeris. Quemadmodum folia virere per se non possunt, ramum desiderant, cui inhaereant, ex quo trahant succum: sic ista praecepta, si sola sunt, marcent: infigi volunt sectae. Praeterea non in- 60 tellegunt hi, qui decreta tollunt, eo ipso confirmari illa, quo tolluntur. quid enim dicunt? praeceptis vitam satis explicari, supervacua esse decreta sapientiae, id est dogmata: atqui hoc ipsum, quod dicunt, decretum est tam mehercules quam si nunc ego dicerem recedendum a praeceptis velut supervacuis, utendum esse decretis, in haec sola studium conferendum. hoc ipso, quo negarem curanda esse praecepta, praeciperem. Quaedam admo- 61 nitionem in philosophia desiderant, quaedam probationem et quidem multa, quia involuta sunt vixque summa diligentia ac summa subtilitate aperiuntur. si probationes

necessariae sunt, et decreta, quae veritatem argumentis colligunt. Quaedam aperta sunt, quaedam obscura. aperta, quae sensu comprehenduntur, quae memoria. obscura, quae extra haec sunt. ratio autem non inpletur manifestis: maior eius pars pulchriorque in occultis est. occulta probationem exigunt, probatio non sine decretis
62 est: necessaria ergo decreta sunt. Quae res communem sensum facit, eadem perfectum, certa rerum persuasio: sine qua si omnia in animo natant, necessaria sunt de-
63 creta, quae dant animis inflexibile iudicium. Denique cum monemus aliquem, ut amicum eodem habeat loco, quo se, ut ex inimico cogitet fieri posse amicum, in illo amorem incitet, in hoc moderetur odium, adicimus: „iustum est et honestum.“ iustum autem honestumque decretorum nostrorum continet ratio: ergo haec ne-
64 cessaria est, sine qua nec illa sunt. Sed utrumque iungamus: namque et sine radice inutiles rami sunt et ipsae radices iis, quae genuere, adiuvantur. Quantum utilitatis manus habeant, nescire nulli licet. aperte iuvant: cor illud, quo manus vivunt, ex quo inpetum sumunt, quo moventur, latet. idem dicere de praeceptis possum: aperta sunt. decreta vero sapientiae in abdito. sicut sanctiora sacrorum tantum initiati sciunt, ita in philosophia arcana illa admissis receptisque in sacra ostenduntur: at prae-
65 cepta et alia eiusmodi profanis quoque nota sunt. Posidonius non tantum praeceptionem, nihil enim nos hoc verbo uti prohibet, sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem necessariam iudicat. his adicit causarum inquisitionem, etymologiam, quam quare dicere nos non audeamus, cum grammatici, custodes Latini sermonis, suo iure ita adpellent, non video. ait utilem futuram et descriptionem cuiusque virtutis: hanc Posidonius ethologiam vocat, quidam characterismon adpellant, signa cuiusque virtutis ac vilii et notas reddentem, quibus inter se similia
66 discriminantur. Haec res eandem vim habet quam praecipere. nam qui praecipit, dicit: „illa facies, si voles temperans esse.“ qui describit, ait: „temperans est, qui

illa facit, qui illis abstinet.“ quaeris, quid intersit? alter praecepta virtutis dat, alter exemplar. Descriptiones has et, ut publicanorum utar verbo, iconismos ex usu esse confiteor: proponamus laudanda, invenietur imitator. Putas utile dari tibi argumenta, per quae intel- 67 legas nobilem equum, ne fallaris empturus, ne operam perdas in ignavo: quanto hoc utilius est, excellentis animi notas nosse, quas ex alio in se transferre permittitur?

Continuo pecoris generosi pullus in arvis

68

altius ingreditur et mollia crura reponit:

primus et ire viam et fluvios temptare minantis

audet et ignoto sese committere ponto,

nec vanos horret strepitus: illi ardua cervix

argutumque caput, brevis alvus obesaque terga

luxuriatque toris animosum pectus.

Tum, si qua sonum procul arma dedere,

stare loco nescit, micat auribus et tremat artus

collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Dum aliud agit Vergilius noster, descripsit virum 69 fortem: ego certe non aliam imaginem magno viro dederim. si mihi M. Cato exprimendus, inter fragores bellorum civilium inpavidus et primus incessens admotos iam exercitus Alpibus civilique se bello ferens obvium: non alium illi adsignaverim voltum, non alium habitum. Altius certe nemo ingredi potuit quam qui simul contra 70 Caesarem Pompeiumque se sustulit et aliis Caesareanas opes, aliis Pompeianas foventibus utrumque provocavit ostenditque aliquas esse et reipublicae partes. nam parum est in Catone dicere:

nec vanos horret strepitus.

quidni? cum veros vicinosque non horreat, cum contra decem legiones et Gallica auxilia et mixta barbarica arma civilibus vocem liberam mittat et rempublicam hortetur, ne pro libertate decidat, sed omnia experiatur, honestius in servitutem casura quam itura. Quantum in illo vigoris 71 ac spiritus, quantum in publica trepidatione fiducia est! scit se unum esse, de cuius statu non agatur: non enim quaeri, an liber Cato. sed an inter liberos sit: inde peri-

culorum gladiatorumque contemptus. Libet admirantem invictam constantiam viri inter publicas ruinas non labantis dicere:

luxuriatque toris animosum pectus.

- 72 Proderit non tantum, quales esse soleant boni viri, dicere formamque eorum et lineamenta deducere, sed quales fuerint narrare, et exponere Catonis illud ultimum ac fortissimum vulnus, per quod libertas amisit animam, Laelii sapientiam et cum suo Scipione concordiam, alterius Catonis domi forisque egregia facta, Tuberonis ligneos lectus, cum in publicum sternerent haedinasque pro stragulis pelles et ante ipsius Iovis cellam adposita conviviis vasa fictilia: quid aliud paupertatem in Capitolio consecrare? ut nullum aliud factum eius habeam, quo illum Catonibus inseram, hoc parum credimus? censura fuit illa, non coena. O quam ignorant homines cupidi gloriae, quid illa sit aut quemadmodum petenda! illo die populus Romanus multorum supellectilem spectavit, unius miratus est. omnium illorum aurum argentumque fractum est et milies conflatum: at omnibus seculis Tuberonis fictilia durabunt. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER XVI.

EPISTULA I. (96.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Tamen tu indignaris aliquid aut quereris et non intellegis nihil esse in istis mali nisi hoc unum, quod indignaris et quereris? Si me interrogas, nihil puto viro mi-

serum, nisi aliquid esse in rerum natura, quod putet miserum. Non feram me, quo die aliquid ferre non potero. Male valeo: pars fati est. familia decubuit, fenus offendit, domus crepuit, damna, volnera, labores, metus incucurrerunt: solet fieri. hoc parum est: debuit fieri. decernuntur ista, non accidunt. Si quid credis mihi, 2 intimos adfectus meos tibi cum maxime detego: in omnibus, quae adversa videntur et dura, sic formatus sum: non pareo deo, sed adsentior. ex animo illum, non quia necesse est, sequor. nihil umquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo voltu. nullum tributum invitus conferam: omnia autem, ad quae gemimus, quae expavescimus, tributa vitae sunt: horum, mi Lucili, nec speraveris inmunitatem nec pctieris. Vesicae te dolor 3 inquietavit, epistulae venerunt parum dulces: detrimenta continua. propius accedam: de capite timuisti. quid, tu nescibas haec te optare, cum optares senectutem? Omnia ista in longa vita sunt, quomodo in longa via et pulvis et lutum et pluvia. „Sed volebam vivere, carere tamen in- 4 commodis omnibus.“ Tam effeminata vox virum dedecet. videris, quemadmodum hoc votum meum excipias: ego illud magno animo, non tantum bono facio: neque di neque deae faciant, ut te fortuna in deliciis habeat. Ipse te 5 interroga, si quis potestatem tibi deus faciat, utrum velis vivere in macello an in castris. atqui vivere, Lucili, militare est. itaque hi, qui iactantur et per operosa atque ardua sursum ac deorsum eunt et expeditiones periculosissimas obeunt, fortes viri sunt primoresque castrorum: isti, quos putida quies aliis laborantibus molliter habet, turturillae sunt, tuti contumeliae causa. Vale.

EPISTULA II. (97.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Erras, mi Lucili, si existimas nostri seculi esse vitium 1 luxuriam et negligentiam boni moris et alia, quae obicit suis quisque temporibus: hominum sunt ista, non temporum. Nulla aetas vacavit a culpa. Pet si aestimare licentiam cuiusque seculi incipias, pudet dicere, num-

quam apertius quam coram Catone peccatum
 2 est. Credat aliquis pecuniam esse versatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius ob id adulterium, quod cum Caesaris uxore in operto commiserat violatis religionibus eius sacrificii, quod pro populo fieri dicitur sic submotis extra conceptum omnibus viris, ut picturae quoque masculorum animalium contegantur? atqui dati iudicibus nummi sunt et, quod hac etiam nunc pactione turpius est, stupra insuper matronarum et adolescentulorum nobilium stillarii loco ex-
 3 acta sunt. Minus crimine quam absolute peccatum est: adulterii reus adulteria divisit nec ante fuit de salute securus, quam similes sui iudices suos reddidit. haec in eo iudicio facta sunt, in quo, si nihil aliud, Cato testimonium dixerat. Ipsa ponam verba, quia res fidem excedit:

4 CICERONIS EPISTULARUM AD ATTICUM LIBER I. *Accersivit ad se, promisit, intercessit, dedit. Iam vero, o di boni, rem perditam! etiam noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt.*

5 Non vacat de pretio queri, plus in accessionibus fuit. „Vis severi illius uxorem? dabo illam. vis divitis? huius quoque tibi praestabo concubitum. adulterium nisi feceris, damna. Illa formosa, quam desideras, veniet. illius tibi noctem promitto nec differo: intra conperendinationem fides promissi mei exstabit.“ Plus est distribuere adulteria quam facere: hoc vero matribus familiae de-
 6 nuntiare est. Hi iudices Clodiani a senatu petierant praesidium, quod non erat nisi damnaturis necessarium, et inpetraverant. itaque eleganter illis Catulus absoluto reo: *Quid vos, inquit praesidium a nobis petebatis? an ne nummi vobis eriperentur?* inter hos tamen iocos inpune tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno, qui damnationem peius
 7 effugit quam meruit. Quicquam fuisse corruptius illis moribus credis, quibus libido non sacris inhiberi, non iudiciis poterat, quibus in ea ipsa quaestione, quae extra ordinem senatusconsulto exercebatur, plus quam quaerebatur, admissum est? quaerebatur, an post adulterium

aliquis posset tutus esse: adparuit sine adulterio tutum esse non posse. Hoc inter Pompeium et Caesarem, inter 8 Ciceronem Catonemque commissum est, Catonem inquam illum, quo sedente populus negatur permisisse sibi postulare Florales iocos nudandarum meretricum. Credis spectasse tunc severius homines quam iudicasse? et fient et facta ista sunt et licentia urbium aliquando disciplina metuque, numquam sponte cōsistet. Non est itaque quod credas nos plurimum libidini 9 permisisse, legibus minimum. longe enim frugalior haec tuventus quam illa est, cum reus adulterium apud iudices negaret, iudices apud reum confiterentur, cum stuprum committeretur rei iudicandae causa, cum Clodius iisdem vitiis graciosus, quibus nocens, conciliaturas exerceret in ipsa causae dictione. Credat hoc quisquam? qui damnabatur uni adulterio, absolutus est multis. Omne 10 tempus Clodios, non omne Catones feret. ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest nec comes deesse, et res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit. non *prorum euntibus* tantum ad vitia, sed *praeceps*, et, quod plerosque inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt offenduntque deerrantem: vitae peccata delectant. Non gaudet navigio gubernator 11 everso, non gaudet aegro medicus elato, non gaudet orator, si patroni culpa reus cecidit: at contra omnibus crimen suum voluptati est. laetatur ille adulterio, in quod iritatus est ipsa difficultate. laetatur ille circumscriptione furtoque nec ante illi culpa quam culpa fortuna displicuit. Id prava consuetudine evenit. alioquin ut scias subesse 12 animis etiam in pessima abductis boni sensum nec ignorari turpe, sed negligi: omnes peccata dissimulant et, quamvis feliciter cesserint, fructu illorum utuntur, ipsa subducunt. at bona conscientia prodire vult et conspici: ipsas nequitia tenebras timet. Eleganter itaque ab Epi- 13 curo dictum puto: „Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest.“ aut si hoc modo melius hunc explicari posse iudicas sensum: „Ideo non prodest latere peccantibus, quia latendi etiamsi felicitatem habent,

fiduciam non habent.“ ^P Ita est, tuta scelera esse
 14 possunt, segura non possunt. Hoc ego repugnare
 sectae nostrae, si sic expediatur, non iudico. quare?
 15 quia prima illa et maxima peccantium est poena,
 peccasse nec ullum scelus, licet illud fortuna exornet
 muneribus suis, licet tueatur ac vindicet, inpunitum est,
 quoniam sceleris in scelere supplicium est: sed nihi-
 lominus et hae illam [*malam mentem*] secundae poe-
 nae premunt ac sequuntur, timere semper et expa-
 vescere et securitati diffidere.¹ quare ego hoc supplicio
 nequitiam liberem? quare non semper illam in suspensio
 16 relinquam? Illic dissentiamus cum Epicuro, ubi dicit
 „nihil iustum esse natura et crimina vitanda esse, quia
 vitari metus non posse“: hic consentiamus mala facinora
 conscientia flagellari et plurimum illi tormentorum esse
 eo, quod perpetua illam sollicitudo urget ac verberat,
 quod sponsoribus securitatis suae non potest credere.
 hoc enim ipsum argumentum, Epicure, [*est,*] natura nos
 a scelere abhorrere, quod nulli non etiam inter tuta timor
 16 est. Multos fortuna liberat poena, metu neminem. quare,
 nisi quia infixata nobis eius rei aversatio est, quam natura
 damnavit? ideo numquam fides latendi fit etiam latentibus,
 quia coarguit illos conscientia et ipsos sibi ostendit.
 proprium autem est nocentium trepidare. Male de nobis
 actum erat, quod multa scelera legem et vindicem effu-
 giunt et scripta supplicia, nisi illa naturalia et gravia de
 praesentibus solverent et in locum patientiae timor cederet.
 ¶ Vale.

EPISTULA III. (98.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

1 Numquam credideris felicem quemquam ex
 felicitate suspensum. fragilibus innititur, qui adventicio
 laetus est: exhibet gaudium, quod intravit. at illud
 ex se ortum fidele firmumque est et crescit et ad extre-
 mum usque prosequitur: cetera, quorum admiratio est
 volgo, in diem bona sunt. „Quid ergo? non usui ac vo-
 luptati esse possunt?“ Quis negat? sed ita, si illa ex

nobis pendent, non ex illis nos. Omnia, quae fortunam 2
 intuentur, ita fructifera ac iucunda fiunt, si, qui habet illa,
 se quoque habet nec in rerum suarum potestate est.
 errant enim, Lucili, qui aut boni aliquid nobis aut mali
 iudicant tribuere fortunam: materiam dat bonorum ac
 malorum et initia rerum apud nos in malum bonumve
 exiturarum. valentior enim omni fortuna animus est: in
 utramque partem ipse res suas ducit beataeque ac mi-
 serae vitae sibi causa est. Malus omnia in malum vertit, 3
 etiam quae cum specie optimi venerant: rectus atque in-
 leger corrigit prava fortunae et dura atque aspera ferendi
 scientia mollit idemque et secunda grate excipit modeste-
 que et adversa constanter ac fortiter. qui licet prudens
 sit, licet exacto faciat cuncta iudicio, licet nihil supra vires
 suas temptet: non continget illi bonum illud integrum et
 extra minas [*fortunae*] positum, nisi certus adversus in-
 certa est. Sive alios observare volueris, liberius enim 4
 inter aliena iudicium est, sive te ipsum favore seposito:
 et senties hoc et confiteberis, nihil ex his optabilibus et
 caris utile esse, nisi te contra levitatem casus rerumque
 casum sequentium instruxeris. nisi illud frequenter et
 sine querela inter singula damna dixeris:

dis aliter visum est.

Immo mehercules ut carmen fortius ac iustius petam, quo 5
 animum tuum magis fulcias, hoc dicito, quotiens aliquid
 aliter quam cogitabas evenerit: di melius. sic compo-
 sito nihil accidet. sic autem componetur, si, quid huma-
 narum rerum varietas possit, cogitaverit, antequam sen-
 serit. si et liberos et coniugem et patrimonium sic habuerit
 tamquam non utique semper habiturus et tamquam non
 futurus ob hoc miserior, si habere desierit. Calami- 6
 tosus est animus futuri anxius et ante miseras
 miser, qui sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad ex-
 tremum usque permaneant. nullo enim tempore conque-
 scet et exspectatione venturi praesentia, quibus frui po-
 terat, amittet. in aequo est autem [*dolor*] amissae rei et
 timor amittendae. Nec ideo praecipio tibi negligentiam: 7
 tu vero metuenda declina. quicquid consilio prospici

potest, prospice. quodcumque laesurum est, multo ante quam accidat speculari et averte. in hoc ipsum tibi plurimum conferet fiducia et ad tolerandum omne obfirmata mens. potest fortunam cavere, qui potest ferre. certe in tranquillo non tumultuatur. Nihil est nec miserius nec stultius quam praetimere. quae ista dementia est malum
 8 suum antecedere? Denique ut breviter includam, quod sentio, et istos satagios ac sibi molestos describam tibi, tam intemperantes in ipsis miseriis quam sunt ante illas: plus dolet quam necesse est, qui ante dolet quam necesse est. eadem enim infirmitate dolorem non aestimat, quae non exspectat. eadem intemperantia fingit sibi perpetuam felicitatem suam, fingit crescere debere, quaecumque contigerunt, non tantum durare, et, oblitus huius petauri, quo humana iactantur, sibi uni fortuitorum constantiam
 9 spondet. Egregie itaque videtur mihi Metrodorus dixisse in ea epistula, qua sororem amisso optimae indolis filio adloquitur: *mortale est omne mortalium bonum.* De his loquitur bonis, ad quae concurritur: nam illud verum bonum non moritur, certum est sempiternumque, sapientia
 10 et virtus: hoc unum contingit inmortale mortalibus. Ceterum tam improbi sunt tamque obliti, quo eant, quo illos singuli dies turbent, ut mirentur aliquid ipsos amittere amissuri uno die omnia. Quicquid est, cui dominus inscriberis, apud te est, tuum non est: nihil firmum infirmo, nihil fragili aeternum et invictum est. tam necesse est perire quam perdere et hoc ipsum, si intellegimus, solatium est aequo animo perdere, [quod] pereundum est.
 11 Quid ergo adversus has amissiones auxilii invenimus? hoc, ut memoria teneamus amissa nec cum ipsis fructum excidere patiamur, quem ex illis percepimus. habere eripitur, habuisse numquam. peringratus est, qui cum amisit, pro accepto nihil debet. rem nobis eripit casus, usum fructumque apud nos relinquit,
 12 quem nos iniquitate desiderii perdidimus. Dic tibi: ex istis, quae terribilia videntur, nihil est invictum. singula vicere iam multi: ignem Mucius, crucem Regulus, venenum Socrates, exilium Rutilius, mortem ferro adactam

Cato: et nos vincamus aliquid. Rursus ista, quae ut spe- 13
ciosa et felicia trahunt volgum, a multis et saepe con-
tempta sunt: Fabricius divitias imperator reiecit, censor
notavit. Tubero paupertatem et se dignam et Capitolio
iudicavit, cum fietilibus in publica coena usus ostendit,
debere iis hominem esse contentum, quibus di etiamnunc
uterentur. honores reppulit pater Sextius, qui ita natus,
ut rempublicam deberet capessere, latum clavum divo
Julio dante non recepit. intellegebat enim, quod dari
posset, et eripi posse: nos quoque aliquid et ipsi faciamus
animose: simus inter exempla. Quare deficimus? quare 14
desperamus? quicquid fieri potuit, potest: nos modo
purgemus animum sequamurque naturam, a qua aber-
ranti cupiendum timendumque est et fortuitis serviendum.
Licet reverti in viam, licet in integrum restitui: restitua-
mur, ut possimus dolores, quocumque modo corpus
invaserint, perferre et fortunae dicere: „cum viro tibi ne-
gotium est: quaere, quem vincas.“ ***

*** His sermonibus et his similibus lenitur illa vis 15
ulceris, quam opto mehercules mitigari et aut sanari aut
stare et cum ipso senescere. sed securus de illo sum:
de nostro damno agitur, quibus senex egre-
gius eripitur. nam ipse vitae plenus est, cui adici
nihil desiderat sua causa, sed eorum, quibus utilis est.
Liberaliter facit, quod vivit. alius iam hos cruciatus 16
finisset: hic tam turpe putat mortem fugere quam ad
mortem confugere. „Quid ergo? non, si suadebit res,
exibit?“ Quidni exeat, si nemo iam uti eo poterit? si
nihil aliud quam dolori operam dabit? Hoc est, mi 17
Lucili, philosophiam in opere discere et ad ve-
rum exerceri: videre, quid homo prudens animi
habeat contra mortem, contra dolorem, cum
illa accedat, hic premat. quid faciendum sit, a faciente
discendum est. Adhuc argumentis actum est, an posset 18
aliquis dolori resistere, an mors magnos quoque animos
admota submittere. quid opus est verbis? in rem prae-
sentem eamus: nec mors illum contra dolorem facit for-
tiorem nec dolor contra mortem: contra utrumque sibi

fidit nec spe mortis patienter dolet nec taedio doloris libenter moritur: hunc fert, illam exspectat. Vale.

EPISTULA IV. (99.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Epistolam, quam scripsi Marullo, cum filium parvulum amisisset et diceretur molliter ferre, misi tibi, in qua non sum solitum morem secutus nec putavi leniter illum debere tractari, cum obiurgatione esset quam solatio dignior. afflicto enim et magnum vulnus male ferenti paulisper cedendum est. exsatiat se aut certe primum inpetum
- 2 fundat: hi, qui sibi lugere sumpserunt, protinus castigentur et discant quasdam etiam lacrimarum ineptias esse. solatia exspectas? convicia accipe. tam molliter tu fers mortem filii? quid faceres, si amicum perdidisses? decessit filius incertae spei, parvulus: pusillum temporis
- 3 periit. Causas doloris conquirimus et de fortuna etiam inique queri volumus, quasi non sit iustas querendi causas praebitura: at mehercules satis mihi iam videbaris animi habere etiam adversus solida mala, nedum ad istas umbras malorum, quibus ingemiscunt homines moris causa. Quod damnorum omnium maximum est, si amicum perdidisses, danda opera erat, ut magis gauderes,
- 4 quod habueras, quam moereris, quod amiseras. Sed plerique non computant, quanta perceperint, quantum gavisii sint. hoc habet inter reliqua mali dolor iste: non supervacuum tantum, sed ingratus est. „ergo quod habuisti talem amicum, periit opera? tot annis, tanta coniunctione vitae, tam familiari studiorum societate nihil actum est? cum amico effers amicitiam? et quid doles amisisse, si habuisse non prodest? mihi crede, magna pars ex iis quos amavimus, licet ipsos casus abstulerit, apud nos manet. nostrum est, quod praeteriit tempus nec quicquam est loco tutiore quam quod fuit.“
- 5 Ingrati adversus percepta spe futuri sumus, quasi non quod futurum est, si modo successerit nobis, cito in praeterita transiturum sit. Anguste fructus rerum determinat, qui tantum praesentibus lactus est: et futura et praeterita

delectant, haec exspectatione, illa memoria: sed alterum pendet et non fieri potest, alterum non potest non fuisse. quis ergo furor est certissimo excidere? adquiescamus iis, quae iam hausimus, si modo non perforato animo hauriebamus et transmittente quicquid acceperat. Innumera 6
 merabilia sunt exempla eorum, qui liberos iuvenes sine lacrimis extulerint, qui in senatum aut in aliquod publicum officium a rogo redierint et statim aliud egerint. nec immerito: nam primum supervacuum est dolere, si nihil dolendo proficias. deinde iniquum est queri de eo, quod uni accidit, omnibus restat. deinde desiderii stulta conquestio est, ubi minimum interest inter amissum et desiderantem: eo itaque aequiore animo esse debemus, quod quos amisimus, sequimur. Respice celeritatem rapidissimi temporis. cogita 7
 brevitatem huius spatii, per quod citatissimi currimus. observa hunc comitatum generis humani eodem tendentis minimis intervallis distinctum, etiam ubi maxima videntur: quem putas perisse, praemissus est. quid autem dementius quam, cum idem tibi iter emetiendum sit, flere eum, qui antecessit? Flet aliquis factum, quod non ignoravit futurum? †† flet aliquis factum, quod aiebat non posse non fieri? quisquis aliquem queritur mortuum esse, queritur hominem fuisse. † aut si mortem in homine non cogitavit, sibi inposuit. † omnis eadem condicio devinxit: cui nasci contigit, mori restat. Intervallis distinguimur, 9 exitu aequamur. hoc quod inter primum diem et ultimum iacet, varium incertumque est: si molestias aestimes, etiam puero longum, si velocitatem, etiam seni angustum. nil non lubricum et fallax et omni tempestate mobilius. iactantur cuncta et in contrarium transeunt iubente fortuna, et in tanta volutione rerum humanarum nihil cuiquam nisi mors certum est: tamen de eo queruntur omnes, in quo uno nemo decipitur. „Sed puer decessit.“ Non-10
 dum dico melius agi cum eo, qui vita defungitur: ad eum transeamus, qui consenuit. quantulo vincit infantem? propone temporis profundi vastitatem et universum complectere. deinde hoc, quod aetatem vocamus humanam,

compara inmenso: videbis, quam exiguum sit, quod opta-
 11 mus, quod extendimus. Ex hoc quantum lacrimae, quan-
 tum sollicitudines occupant? quantum mors, antequam
 veniat, optata? quantum valitudo, quantum timor, quan-
 tum tenent aut rudes aut inutiles anni? dimidium ex hoc
 edormitur. adice labores, luctus, pericula: et intelleges
 12 etiam in longissima vita minimum esse, quod vivitur. Sed
quis tibi concedit non melius se habere eum,
cui cito reverti licet, cui ante lassitudinem peractum
est iter? vita nec bonum nec malum est: boni ac mali
locus est. ita nihil ille perdidit nisi aleam in damnum
 certiore: potuit evadere modestus et prudens, potuit
 sub cura tua in meliora formari: sed, quod iustius time-
 13 tur, potuit fieri pluribus similis. Adspice illos iuvenes,
 quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria proiecit.
 adspice illos, qui suam alienamque libidinem exercent
 mutuo inpudici, quorum nullus sine ebrietate, nullus sine
 aliquo insigni flagitio dies exit: plus timeri quam sperari
potuisse manifestum erit. Non debes itaque causas dor-
 14 loris accersere nec levia incommoda indignando cumu-
 lare. Non hortor, ut nitaris et surgas. non tam male de
 te iudico, ut tibi adversus hoc totam putem virtutem ad-
 vocandam. non est dolor iste, sed morsus: tu illum dor-
 lorem facis. Sine dubio multum philosophia profecit, si
 puerum nutrici adhuc quam patri notiozem animo forti
 15 desideras. Quid? nunc ego duritiam suadeo et in funere
 ipso rigere voltum volo et animum ne contrahi qui-
 dem patior? Minime. Inhumanitas est ista, non virtus,
 funera suorum isdem oculis, quibus ipsos, videre nec
 commoveri ad primam familiarium divulsionem. puta au-
 tem me vetare: quaedam sunt sui iuris. excidunt etiam
 16 retinentibus lacrimae et animum profusae levant. Quid
 ergo est? permittamus illis cadere, non imperemus: fluat,
quantum adfectus eiecerit, non quantum poscet imitatio.
nihil vero moerori adiciamus nec illum ad alienum
augeamus exemplum. plus ostentatio doloris exigit quam
dolor: quotusquisque sibi tristis est? clarius, cum au-
diuntur, gemunt et taciti quietique dum secretum est, cum

aliquos videre, in fletus novos excitantur. tunc capiti suo manus ingerunt, quod potuerant facere nullo prohibente liberius. tunc mortem conprecantur sibi. tunc lectulo devolvuntur: sine spectatore cessat dolor. Sequitur nos ut 17 in aliis rebus, ita in hac quoque hoc vitium, ad plurium exempla conponi nec quid oporteat, sed quid soleat, adspicere. a natura discedimus, populo nos damus nullius rei bono auctori et in hac re sicut in [his] omnibus inconstantissimo: videt aliquem fortem in luctu suo: inpium vocat et efferatum. videt aliquem conlabentem et corpori adfusum: effeminatum ait et enervem. Omnia itaque ad 18 rationem revocanda sunt. Stultius vero nihil est quam famam captare tristitiae et lacrimas adprobare, quas iudico sapienti viro alias permissas cadere, alias vi sua latas: dicam quid intersit. Cum primus nos nuntius acerbi funeris perculit, cum tenemus corpus e complexu nostro in ignem transiturum: lacrimas naturalis necessitas exprimit et spiritus ictu doloris impulsus quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adiacentem humorem perpremit et expellit. hae lacrimae 19 per elisionem cadunt nolentibus nobis: aliae sunt, quibus exitum damus, cum memoria eorum, quos amisimus, retractatur et inest quiddam dulce tristitiae, cum occurrunt sermones eorum iucundi, conversatio hilaris, officiosa pietas: tunc oculi velut in gaudio relaxantur. his indulgemus, illis vincimur. Non est itaque, quod lacrimas propter 20 [*turbam*] circumstantem adsidentemque aut contineas aut exprimas: nec cessant nec fluunt umquam tam turpiter quam finguntur: eant sua sponte. ire autem possunt placidis atque compositis. saepe salva sapientis auctoritate fluxerunt tanto temperamento, ut illis nec humanitas nec dignitas deesset. Licet, inquam, naturae obsequi gravi- 21 tate servata. vidi ego in funere suorum verendos, in quorum ore amor eminebat remota omni lugentium scena. nihil erat, nisi quod veris dabatur adfectibus. Est aliquis et dolendi decor: hic sapienti servandus est et quemadmodum in ceteris rebus, ita etiam in lacrimis aliquid sat est: imprudentium ut gaudia sic dolores exun-

- 22 davere. Aequo animo excipe necessaria. quid incredibile, quid novum evenit? quam multis cum maxime funus locatur! quam multis vitalia emuntur! quam multi post luctum tuum lugent! quotiens cogitaveris puerum fuisse, cogita et hominem, cui nihil certi promittitur, quem fortuna non utique perducit ad senectutem:
- 23 unde visum est, dimittit. Ceterum frequenter de illo loquere et memoriam eius, quantum potes, celebra: quae ad te saepius revertetur, si erit sine acerbitate ventura. nemo enim libenter tristi conversatur, nedum tristitiae. si quos sermones eius, si quos quamvis parvoli iocos cum voluptate audieras, saepius repete: potuisse illum implere spes tuas, quas paterna mente con-
- 24 ceperas, audacter adfirma. Oblivisci quidem suorum ac memoriam cum corporibus efferre et effusissime flere, meminisse parcissime, inhumani animi est: sic aves, sic ferae suos diligunt, quarum concitatus est amor et paene rabidus, sed cum amissis totus extinguitur. hoc prudentem virum non decet: meminisse perseveret, lugere de-
- 25 sinat. Illud nullo modo probo, quod ait Metrodorus: esse aliquam cognatam tristitiae voluptatem. hanc esse captandam in eiusmodi tempore. Ipsa Metrodori verba subscripsi. *Μητροδώρου Ἐπιστολῶν ἀπὸς τὴν ἀδελφὴν. Ἔστιν γὰρ πως ἡδονὴ τις λύπη [συμφυῆς,*
- 26 *ἢν χρὴ θραπέυ]ειν κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν.* de quibus non dubito quid sis sensurus. quid enim est turpius quam captare in ipso luctu voluptatem, immo per luctum, et inter lacrimas quoque, quod iuвет, quae-rere? Hi sunt, qui nobis obiciunt nimium rigorem et infamant praecepta nostra duritia, quod dicamus dolorem aut admittendum in animum non esse aut cito expellendum: utrum tandem est aut incredibilius aut inhumanius non sentire amisso amico dolorem an voluptatem in ipso
- 27 dolore aucupari? Nos quod praecipimus, honestum est: cum aliquid lacrimarum adfectus effuderit et, ut ita dicam, despumaverit, non esse tradendum animum dolori: quid, tu dicis miscendam ipsi dolori voluptatem? sic consolamur crustulo pueros, sic infantium fletum infuso lacte

conpescimus. ne illo quidem tempore, quo filius ardet aut amicus exspirat, cessare pateris voluptatem, sed ipsum vis titillare moerorem: utrum honestius dolor ab animo submovetur an voluptas ad dolorem quoque admittitur? admittitur dico? captatur et quidem ex ipso. „Est²⁸ aliqua, inquit, voluptas cognata tristitiae.“ Istuc nobis licet dicere, vobis quidem non licet. Unum bonum nostis voluptatem, unum malum dolorem: quae potest inter bonum et malum esse cognatio? sed puta esse: nunc potissimum eruitur? et ipsum dolorem scrutamur, an aliquid habeat iucundum circa se et voluptarium? Quaedam re-²⁹ media aliis partibus corporis salutaria velut foeda et indecora adhiberi aliis nequeunt, et quod aliubi prodesset sine damno verecundiae, id fit inhonestum loco volneris: non te pudet luctum voluptate sanare? severius ista plaga curanda est. illud potius admone, nullum mali sensum ad eum, qui periit, pervenire: nam si pervenit, non periit. Nulla, inquam, res eum laedit, qui nullus est:³⁰ vivit, si laeditur. utrum putas illi male esse, quod nullus est, an quod est adhuc aliquis? atqui nec ex eo potest ei tormentum esse, quod non est: quis enim nullius sensus est? nec ex eo, quod est: effugit enim maximum mortis incommodum, non esse. Illud quoque dicamus ei,³¹ qui deflet ac desiderat in aetate prima raptum: omnes, quantum ad brevitatem aevi, si universo compares, et iuvenes et senes, in aequo sumus. minus enim ad nos ex aetate omni venit quam quod minimum esse quis dixerit, quoniam quidem minimum aliqua pars est: hoc quod vivimus proximum nihilo est: et tamen, o dementiam nostram! late disponitur. Haec tibi scripsi, non³² tamquam expectaturus esses remedium a me tam serum. liquet enim mihi te locutum tecum, quicquid lecturus es: sed ut castigarem illam exiguum moram, qua a te recessisti et in reliquum adhortarer, contra fortunam tolleres animos et omnia eius tela, non tamquam possent venire, sed tamquam utique essent ventura, prospiceres. Vale.

EPISTULA V. (100.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Fabiani Papirii libros, qui inscribuntur [artium] civilium, legisse te cupidissime scribis, et non respondisse expectationi tuae: deinde oblitus de philosopho agi compositionem eius accusas. Puta esse, quod dicis et effundi verba, non figi: primum habet ista res suam gratiam et est decor proprius orationis leniter lapsae. multum enim interesse existimo, utrum exciderit an fluxerit: nunc in hoc quoque,
- 2 quod dicturus sum, ingens differentia est. Fabianus mihi non effundere videtur orationem, sed fundere: adeo larga est et sine perturbatione, non sine cursu tamen veniens. illud plane fatetur et praefert, non esse tractatam nec diu tortam. Sed ita, ut vis, esse credamus: mores ille, non verba composuit et animis scripsit ista, non auribus.
- 3 Praeterea ipso dicente non vacasset tibi partes intueri: adeo te summa rapuisset, et fere, quae inpetu placent, minus praestant ad manum relata. sed illud quoque multum est primo adspectu oculos occupasse, etiamsi contemplatio diligens inventura est, quod arguat. Si me interrogas, maior ille est, qui iudicium abstulit quam qui meruit: et scio hunc tutiorem esse, scio audacius sibi de futuro promittere. oratio sollicita philosophum non decet: ubi tandem erit fortis et constans, ubi periculum sui
- 5 faciet, qui timet verbis? Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus. itaque nihil invenies sordidum: electa verba sunt, non captata nec huius seculi more contra naturam suam posita et inversa, splendida tamen, quamvis sumantur e medio: sensus honestos et magnificos habes, non coactos in sententiam, sed latius dictos. Videbimus, quid parum recisum sit, quid parum structum, quid non huius recentis politurae: cum circumspexeris
- 6 omnia, nullas videbis angustias inanis. Desit sane varietas marmorum et concisura aquarum cubiculis interfluentium et pauperis cella et quicquid aliud luxuria non contenta decore simplici miscet: quod dici solet, domus

recta est. Adice nunc, quod de compositione non constat: quidam illam volunt esse ex horrido comptam. quidam usque eo aspera gaudent, ut etiam quae mollius casus explicuit, ex industria dissipent et clausulas abrumpant, ne ad exspectatum respondeant. Lege Ciceronem: **con-** 7
positio eius una est, pedem servat lenta et sine infamia mollis. at contra Pollionis Asinii salebrosa et exsiliens et ubi minime exspectes, relictura. denique omnia apud Ciceronem desinunt, apud Pollionem cadunt exceptis paucissimis, quae ad certum modum et ad unum exemplar adstricta sunt. Humilia praeterea tibi videri di- 8
cis omnia et parum erecta: quo vitio carere eum iudico. non sunt enim humilia illa, sed placida et ad animi tenorem quietum compositumque formata nec depressa, sed plana. deest illis oratorius vigor stimuli- que, quos quaeris, et subiti ictus sententiarum. sed totum corpus videris: *quamvis incomptum*, honestum est. non habet oratio eius, sed decet dignitatem. Adfer, quem 9
Fabiano possis praepone- re. dic Ciceronem, cuius libri ad philosophiam pertinentes paene totidem sunt, quot Fabiani: cedam, sed non statim pusilluni est, si quid maximo minus est. dic Asinium Pollionem: cedam et respondeamus: in re tanta eminere est post 10
duos esse. nomina adhuc T. Livium. scripsit enim et dialogos, quos non magis philosophiae adnumerare possis quam historiae, et ex professo philosophiam continentis libros: huic quoque dabo locum: vide tamen, quam multos antecedit, qui a tribus vincitur et tribus eloquentissimis. Sed non praestat omnia: non est fortis oratio 10
 eius, quamvis elata sit. non est violenta nec torrens, quamvis effusa sit. non est perspicua, sed pura. „Desideres, inquis, contra vitia aliquid aspere dici, contra pericula animose, contra fortunam superbe, contra ambitionem contumeliose. volo luxuriam obiurgari, libidinem traduci, inpotentiam frangi. sit aliquid oratorie acre, tragice grande, comice exile.“ Vis illum adsidere pusillae rei, verbis? ille rerum se magnitudini addixit: eloquentiam velut umbram non hoc agens trahit. Non erunt sine 11

dubio singula circumspecta nec in se collecta nec omne verbum excitabit ac punget, fateor. exhibunt multa nec ferient et interdum otiosa praeterlabetur oratio: sed multum erit in omnibus lucis, sed ingens sine taedio spatium. Denique illud praestabit, ut liqueat tibi illum sensisse quae scripsit. intelleges hoc actum, ut tu scires quid illi placeret, non ut ille placeret tibi. ad profectum omnia
 12 tendunt, ad bonam mentem: non quaeritur plausus. Talia esse scripta eius non dubito, etiamsi magis reminiscor quam teneo haeretque mihi color eorum non ex recenti conversatione familiariter, sed summatim, ut solet ex vetere notitia: cum audirem certe illum, talia mihi videbantur, non solida, sed plena, quae adulescentem indolis bonae adtollerent et ad imitationem sui evocarent sine desperatione vincendi: quae mihi adhortatio videtur efficacissima. deterret enim, qui imitandi cupiditatem fecit, spem abstulit. Ceterum verbis abundabat, sine commendatione partium singularum in universum magnificus. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER XVII.

EPISTULA I. (101.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Omnis dies, omnis hora quam nihil simus ostendit et aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos: tum aeterna meditados respicere cogit ad mortem. Quid sibi istud principium velit quaeris? Senecionem Cornelium, equitem Roma-

num splendidum et officiosum, noveras: ex tenui principio se ipse promoverat et iam illi declivis erat cursus ad cetera. facilius enim crescit dignitas quam incipit. Pecunia quoque circa paupertatem plurimum morae habet, dum ex illa erepat. hic etiam Senecio divitiis iminebat, ad quas illum duae res ducebant efficacissimae, et quaerendi et custodiendi scientia, quarum vel altera locupletem facere potuisset. Hic homo summae frugalitatis, non minus patrimonii quam corporis diligens, cum me ex consuetudine mane vidisset, cum per totum diem amico graviter adfecto et sine spe iacenti usque in noctem adsedisset, cum hilaris coenasset: genere valitudinis praecipiti arreptus, angina, vix compressum artatis faucibus spiritum traxit in lucem. intra paucissimas ergo horas, quam omnibus erat sani ac valentis officiis functus, decessit. Ille, qui et mari et terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque nullum relinquens inexpertum genus quaestus accesserat in ipso actu bene cedentium rerum, in ipso procurrentis pecuniae inpetu raptus est:

insere nunc, Meliboe, puros, pone ordine vites.

quam stultum est aetatem disponere ne crastini quidem dominum! o quanta dementia est spes longas inchoantium: emam, aedificabo, credam, exigam, honores geram: tum deinde lassam et plenam senectutem in otium referam. Omnia, mihi crede, etiam felicibus dubia sunt. nihil sibi quisquam de futuro debet promittere. id quoque, quod tenetur, per manus exit et ipsam, quam premimus, horam casus incidit. volvitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum: quid autem ad me, an naturae certum sit, quod mihi incertum est? Navigationes longas et pererratis litoribus alienis seros in patriam reditus proponimus, militiam et castrensiu[m] laborum tarda manipretia, procurationes officiorumque per officia processus, cum interim ad latus mors est, quae quoniam numquam cogitatur nisi aliena, subinde nobis ingeruntur mortalitatis exempla non diutius, quam dum miramur, haesura. Quid autem stultius quam mirari id ullo die factum, quod omni potest fieri? stat quidem ter-

minus nobis, ubi illum inexorabilis fatorum necessitas
 fixit, sed nemo scit nostrum, quam prope versetur ter-
 minus: sic itaque formemus animum, tamquam ad ex-
 trema ventum sit. nihil differamus. cotidie cum vita
 8 paria faciamus. Maximum vitae vitium est, quod in-
perfecta semper est, quod aliquid ex illa differtur. qui
cotidie vitae suae summam manum inposuit, non indiget
tempore. ex hac autem indigentia timor nascitur et cupi-
 ditas futuri exedens animum. nihil est miserius dubita-
 tione venientium, quorsus evadant. quantum sit illud,
 quod restat, aut quale, *contracta mens inexplicabili for-*
 9 *midine agitatur*. Quo modo effugiemus hanc volutatio-
 nem? uno, si vita nostra non prominebit, si in se colligi-
 tur. ille enim ex futuro suspenditur, cui irritum est prae-
 sens: ubi vero, quicquid mihi debui, redditum est, ubi
 stabilita mens scit nihil interesse inter diem et seculum:
 quicquid deinceps dierum rerumque venturum est, ex
 alto prospicit et cum multo risu seriem temporum cogi-
 tat. quid enim varietas mobilitasque casuum perturbabit,
 10 si certus sis adversus incerta? Ideo propera, Lucili, vi-
 vere et singulos dies singulas vitas puta. qui hoc modo
se aptavit, cui vita sua cotidie fuit tota, securus
est: in spem viventibus proximum quodque
 tempus elabitur subitque aviditas et miserrimus
 ac miserrima omnia efficiens metus mortis.
 Inde illud Maecenatis turpissimum votum, quo
 et debilitatem non recusat et deformitatem et novissime
 acutam crucem, dummodo inter haec mala spiritus pro-
 rogetur:

11

*Debilem facito manu,
 debilem pede, coxa,
 tuber adstrue, gibberum,
 lubricos quate dentes:
 vita dum superest, bene est.
 hanc mihi, vel acuta
 si sedeam cruce, sustine.*

12 Quod miserrimum erat, si incidisset, optatur et tamquam
 vita petitur supplicii mora. contemplissimum putarem,

si vivere vellet usque ad crucem: „tu vero, inquit, ne debilites licet, dum spiritus in corpore fracto et inutili maneat. depraves licet, dum monstroso et detorto temporis aliquid accedat. suffigas licet et acutam sessuro crucem subdas“: est tanti volnus suum premere et patibulo pendere districtum, dum differat id, quod est in malis optimum, supplicii finem? est tanti habere animam, ut agam? Quid huic optes nisi deos faciles? quid 13 sibi vult ista carminis effeminati turpitude? quid timoris dementissimi pactio? quid tam foeda vitae mendicatio? huic putes unquam recitasse Vergiliumi

usque adeone mori miserum est?

Optat ultima malorum et, quae pati gravissimum est, extendi ac sustineri cupit: qua mercede? scilicet vitae longioris. quid autem huius vivere est? diu mori. Invenitur 14 aliquis, qui velit inter supplicia tabescere et perire membratim et totiens per stillicidia emittere animam, quam semel exhalare? invenitur, qui velit adactus ad illud infelix lignum, iam debilis, iam pravus et in foedum scapularum ac pectoris tuber elisus, cui multae moriendi causae, etiam citra crucem fuerant, trahere animam tot tormenta tracturam? nega nunc magnum beneficium esse naturae, quod necesse est mori. Multi peiora adhuc pa- 15 cisci parati sunt: etiam amicum prodere, ut diutius vivant, et liberos ad stuprum manu sua tradere, ut contingat lucem videre tot consciam scelerum. Excutienda vitae cupido est discendumque nihil interesse, quando patiaris, quod quandoque patiendum est. quam bene vivas refert, non quamdiu: saepe autem in hoc est bene, ne diu. Vale.

* * *

EPISTULA II. (102.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quomodo molestus est iucundum somnium videnti, qui excitat, aufert enim voluptatem, etiamsi falsam, effectum tamen verae habentem: sic epistula tua mihi fecit iniuriam. revocavit enim me cogitationi aptae traditum et

- 2 iturum, si licuisset, ulterius: iuvabat de aeternitate animarum quaerere, immo mehercules credere. credebam enim me facile opinionibus magnorum virorum rem gratissimam promittentium magis quam probantium. dabam me spei tantae. iam eram fastidio mihi, iam reliquias aetatis infractae contemnebam in immensum illud tempus et in possessionem omnis aevi transiturus: cum subito expergefactus sum epistula tua accepta et tam bellum somnium perdidit. quod repetam, si te dinisero, et redimam.
- 3 Negas me epistula pr[ox]ima totam quaestionem explicuisse, in qua probare conabar id quod nostris placet, claritatem, quae post mortem contingit, bonum esse. id enim me non solvisse, quod obponitur nobis: „nullum, inquit, bonum ex distantibus. hoc autem ex distantibus constat.“ Quod interrogas, mi Lucili, eiusdem quaestionis est, loci alterius, et ideo non hoc tantum, sed alia quoque eodem pertinentia distuleram. quaedam enim, ut scis, moralibus rationalia inmixta sunt. itaque illam partem rectam et ad mores pertinentem tractavi: numquid stultum sit ac supervacuum ultra extremum diem curas transmittere, an cadant bona nostra nobiscum nihilque sit eius, qui nullus est, an ex eo, quod, cum erit, sensuri non sumus, antequam sit,
- 5 aliquis fructus percipi aut peti possit. Haec omnia ad mores spectant: itaque suo loco posita sunt: at quae a dialecticis contra hanc opinionem dicuntur, segreganda fuerunt et ideo seposita sunt. Nunc, quia omnia exigis, omnia, quae dicunt, perse-
- 6 quar, deinde singulis occurram. Nisi aliquid praedixero, intellegi non poterunt, quae refellentur. quid est, quod praedicere velim? quaedam continua esse corpora, ut hominem. quaedam esse composita, ut navem, domum, omnia denique, quorum diversae partes iunctura in unum coactae sunt. quaedam ex distantibus, quorum adhuc membra separata sunt, tamquam exercitus, populus, senatus. illi enim, per quos ista corpora efficiuntur, iure aut officio cohaerent, natura di-
- 7 ducti et singuli sunt. Quid est, quod etiamnunc praedi-

cere velim? nullum bonum putamus esse, quod ex distantibus constat. uno enim spiritu unum bonum contineri ac regi debet, unum esse unius boni principale. hoc si quando desideraveris, per se probabitur: interim ponendum fuit, quia in nos nostra tela mittuntur.

„Dicitis, inquit, nullum bonum ex distantibus esse: 8 claritas autem ista bonorum virorum secunda opinio est. nam quomodo fama non est unius sermo nec infamia unius mala existimatio, sic nec claritas uni bono placuisse. consentire in hoc plures insignes et spectabiles viri debent, ut claritas sit. haec autem ex iudiciis plurium efficitur, id est distantium: ergo non est bonum. Clari- 9 tas, inquit, laus est a bonis bono reddita. laus oratio. oratio vox est aliquid significans: vox autem, licet virorum sit bonorum, non est bonum. nec enim, quicquid vir bonus facit, bonum est: nam et plaudit et sibilat, sed nec plausum quisquam nec sibilum, licet omnia eius admiretur et laudet, bonum dicit, non magis quam sternumentum aut tussim: ergo claritas bonum non est. Ad 10 summam dicite nobis, utrum laudantis an laudati bonum sit: si laudantis bonum esse dicitis, tam ridiculam rem facitis, quam si adfirmetis meum esse, quod alius bene valeat. sed laudare dignos honesta actio est: ita laudantis bonum est, cuius actio est, non nostrum, qui laudamur: atqui hoc quaerebatur.“

Respondebo nunc singulis cursim. Primum 11 an sit aliquod ex distantibus bonum, etiam nunc quaeritur et pars utraque sententias habet. Deinde claritas [non] desiderat multa suffragia: potest et unius boni viri iudicio esse contenta, [si] nos bonos bonus iudicat. „Quid ergo? inquit, et fama erit unius hominis 12 existimatio et infamia unius malignus sermo? gloriam quoque, inquit, latius fusam intellego: consensum enim multorum exigit.“ Diversa horum condicio est et illius. quare? quia, si de me bene vir bonus sentit, eodem loco sum, quo si omnes boni idem sentirent: omnes enim, si me cognoverint, idem sentient. par illis idemque iudicium est. aequo vero insistitur. dissidere non possunt: ita pro

eo est, ac si omnes idem sentiant, quia aliud sentire non
 13 possunt: ad gloriam aut famam non est satis unius opi-
 nio. illic idem potest una sententia, quod omnium, quia
 omnium, si perrogetur, una erit: hic diversa dissimilium
 iudicia sunt, dissimiles adfectus. dubia omnia invenies,
 levia, suspecta. putas tu posse unam omnium esse sen-
 tentiam? non est unius una sententia: illi placet verum.
 veritatis una vis, una facies est: apud hos falsa sunt,
 quibus adsentiuntur. numquam autem falsis constantia
 14 est: variantur et dissident. „Sed laus, inquit, nihil aliud
 quam vox est: vox autem bonum non est.“ Cum dicant
 claritatem esse laudem bonorum a bonis redditam, iam
 non ad vocem referunt, sed ad sententiam. licet enim vir
 bonus taceat, sed aliquem iudicet dignum laude esse,
 15 laudatus est. Praeterea aliud est laus, aliud laudatio:
 haec et vocem exigit: itaque nemo dicit laudem funebrem,
 sed laudationem, cuius officium oratione constat. cum
 dicimus aliquem laude dignum, non verba illi benigna
 hominum, sed iudicia promittimus. ergo laus etiam ta-
 citi est bene sentientis ac bonum virum apud se laudan-
 16 tis. Deinde, ut dixi, ad animum refertur laus, non ad
 verba, quae conceptam laudem egerunt et in notitiam plu-
 rium emittunt. laudat, qui laudandum esse iudicat. cum
 tragicus ille apud nos ait *magnificum esse laudari a laudato*
viro, laude digno, ait. et cum aequae antiquus poeta ait:

laus alit artes,

non laudationem dicit, quae corrumpit artes. nihil enim
 aequae et eloquentiam et omne aliud studium auribus de-
 17 ditum vitiavit quam popularis adsensio. Fama vocem
 utique desiderat, claritas non. potest enim citra vocem
 contingere contenta iudicio. plena est, non tantum inter
 tacentis, sed etiam inter reclamantis. Quid intersit inter
 claritatem et gloriam dicam: gloria multorum iudiciis con-
 18 stat, claritas bonorum. „Cuius, inquit, bonum est clari-
 tas, id est laus bono a bonis reddita? utrum laudati an
 laudantis?“ Utriusque: meum, qui laudor, quia natura
 me amantem omnium genuit, et bene fecisse gaudeo et
 gratos me invenisse virtutum interpretes laetor: hoc plu-

rium bonum est, quod grati sunt, sed et meum. ita enim animo conpositus sum, ut aliorum bonum meum iudicem, utique eorum, quibus ipse sum boni causa. est istud laudantium bonum, virtute enim geritur: omnis autem virtutis actio bonum est. hoc contingere illis non potuisset, nisi ego talis essem. Itaque utriusque bonum est, merito laudari, tam mehercules quam bene iudicasse iudicantis bonum est et eius, secundum quem iudicatum est. Numquid dubitas, quin iustitia et habentis bonum sit et eius, cui debitum solvit? merentem laudare iustitia est: ergo utriusque bonum est.

Cavillatoribus istis abunde responderimus. 20 sed non debet hoc nobis esse propositum arguta disserere et philosophiam in has angustias ex sua maiestate detrahere: quanto satius est ire aperta via et recta quam sibi ipsum flexus disponere, quos cum magna molestia debeas relegere? neque enim quicquam aliud istae disputationes sunt quam inter se perite captantium lusus. 21 Potius, quam naturale sit in inmensum mentem suam extendere. magna et generosa res est humanus animus: nullos sibi poni nisi communes et cum deo terminos patitur. Primum humilem non accipit patriam, Ephesum aut Alexandriam, aut si quod est etiam nunc frequentius incolis, laetius tectis solum: patria est illi, quodcumque suprema et universa circuitu suo cingit, hoc omne convexum, intra quod iacent maria cum terris, intra quod aer humanis divina secernens etiam coniungit, intra quod disposita tot lumina in actus suos excubant. Deinde artam aetatem sibi 22 dari non sinit: „omnes, inquit, ante [*me anni*] mei sunt. nullum seculum magnis ingeniis clusum est, nullum non cogitationi pervium tempus. cum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hic, ubi inveni, relinquam, ipse me dis reddam. nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque delineor carcere.“ Per 23 has mortalis aevi moras illi meliori vitae longiorique proluditur. quemadmodum decem mensibus tenet nos maternus uterus et praeparat non sibi, sed illi loco, in

quem videmur emitti iam idonei spiritum trahere et in aperto durare: sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium maturescimus partum. alia
 24 origo nos exspectat, alius rerum status. Nondum coelum nisi ex intervallo pati possumus: proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice: non est animo suprema, sed corpori. Quicquid circa te iacet rerum, tamquam hospitalis loci sarcinas specta: transeundum est. excudit
 25 redeuntem natura sicut intrantem. Non licet plus efferre quam intuleris, immo etiam ex eo, quod ad vitam adtulisti, pars magna ponenda est: detrahetur tibi haec circumiecta, novissimum velamentum tui, cutis. detrahetur caro et subfusus sanguis discurrensque per totum. detrahentur ossa nervique, firmamenta fluidorum ac laben-
 26 tium. Dies iste, quem tamquam extremum reformidas, aeterni natalis est. depone onus: quid cunctaris, tamquam non prius quoque relicto, in quo latebas, corpore exieris? Haeres, reluctaris: tunc quoque magno nisu matris expulsus es. gemis, ploras: et hoc ipsum flere nascentis est, sed tunc debebat ignosci: rudis et inperitus omnium veneras. ex maternorum viscerum calido mollique fomento emissum adflavit aura liberior, deinde offendit durae manus tactus tenerque adhuc et nullius
 27 rei gnarus obstupuisti inter ignota: nunc tibi non est novum separari ab eo, cuius ante pars fueris: aequo animo membra iam supervacua dimitte et istuc corpus inhabitatum diu pone: scindetur, obruetur, abolebitur. quid contristaris? ita solet fieri: pereunt saepe velamenta nascentium. quid ista sic diligis quasi tua? istis opertus es: veniet, qui te revellat dies et ex contubernio foedi
 28 atque olidi ventris educat. Hinc nunc quoque tu, quantum potes, subvola voluptatique, nisi quae necessariis quoque cohaerebit, alienus iam hinc altius aliquid sublimiusque meditare: aliquando naturae tibi arcana reagentur, discutietur ista caligo et lux undique clara percutiet. Imaginare tecum, quantus ille sit fulgor tot sideribus inter se lumen miscentibus. nulla serenum umbra turbabit. aequaliter splendeat omne coeli latus: dies et

nox aëris infimi vices sunt. tunc in tenebris vixisse te dices, cum totam lucem et totus adspexeris, quam nunc per angustissimas oculorum vias obscure intueris, et tamen admiraris illam iam procul: quid tibi videbitur divina lux, cum illam suo loco videris? Haec cogitatio²⁹ nihil sordidum animo subsidere sinit, nihil humile, nihil crudele. deos rerum omnium esse testes ait. illis nos adprobari, illis in futurum parari iubet et aeternitatem proponere: quam qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur tuba, nullis ad timorem minis agitur. Quidni non timeat, qui mori sperat, si³⁰ is quoque, qui animum tamdiu iudicat manere, quamdiu retinetur corporis vinculo, solutum statim spargi, id agit, ut etiam post mortem utilis esse possit. quamvis enim ipse ereptus sit oculis, tamen

*multa viri virtus animo multusque recursat
gentis honos.*

Cogita, quantum nobis exempla bona prosint: scies magnorum virorum non minus praesentiam esse utilem quam memoriam. Vale.

EPISTULA III. (103.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quid ista circumspicis, quae tibi possunt fortasse evenire, sed possunt et non evenire? incendium dico, ruina, alia, quae nobis incidunt, non insidiantur: illa [potius] vide, illa [de]vita, quae nos observant, quae captant. Rari existunt casus, etiamsi graves, naufragium facere, vehiculo everti: ab homine homini cotidianum. periculum. adversus hoc te expedi, hoc intentis oculis intueri. nullum est malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempestas minatur, antequam² surgat. crepant aedificia, antequam conruant. praenuntiat fumus incendium: subita est ex homine pernicies et eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras, si istorum tibi, qui occurrunt, voltibus credis: hominum effigies habent, animos ferarum, nisi quod illarum perniciosior est primus incursum: quos transiere, non quaerunt. numquam

enim illas ad nocendum nisi necessitas incitat. [hae] aut
fame aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere
 3 hominem libet. Tu tamen ita cogita, quod ex homine pe-
 riculum sit, ut cogites, quod sit hominis officium. alterum
 intuere, ne laedaris, alterum ne laedas. commodis omnium
 laeteris, movearis incommodis et memineris, quae prae-
 4 stare debeas, quae cavere. Sic vivendo quid consequeris?
 non [te] ne noceant, sed ne fallant. quantum potes autem,
in philosophiam secede: illa te sinu suo proteget.
 in huius sacrario eris aut tutus aut tutior. non arietant
 5 inter se nisi in eodem ambulantes. quia autem **. Ipsam
 philosophiam non debebis iactare: multis fuit periculi
 causa insolenter tractata et contumaciter: tibi vitia de-
trahat, non aliis exprobet. non abhorreat a publicis mo-
ribus nec hoc agat, ut quicquid non facit damnare videat-
ur. Licet sapere sine pompa, sine invidia. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER XVIII.

EPISTULA I. (104.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 In Nomentanum meum fugi, quid putas? urbem?
 immo febrem et quidem subrepentem. iam manum mihi
 iniecerat. protinus itaque parari vehiculum iussi Paulina
 mea retinente. medicus initia esse dicebat motis venis et
 incertis et naturalem turbantibus modum. exire perseve-
 ravi: illud mihi in ore erat domini mei Gallionis, qui cum in
 Achaia febrem habere coepisset, protinus navem adscendit
 2 clamitans non corporis esse, sed loci morbum. Hoc ego

Paulinae meae dixi, quae mihi valitudinem meam commendat. nam cum sciam spiritum illius in meo verti, incipio, ut illi consulam, mihi consulere. et cum me fortiorem senectus ad multa reddiderit, hoc beneficium aetatis amitto. venit enim mihi in mentem, in hoc sene et adulescentem esse, cui parcitur. itaque quoniam ego ab illa non impetro, ut me fortius amet, impetrat illa, ut me diligentius amem. Indulgendum est enim honestis ad-³fectibus: et interdum, etiamsi premunt causae, spiritus in honorem suorum vel cum tormento revocandus et in ipso ore retinendus est, cum bono viro vivendum sit non quamdiu iuvat, sed quamdiu oportet: ille, qui non uxorem, non amicum tanti putat, ut diutius in vita commoretur, qui perseverabit mori, delicatus est. hoc quoque imperet sibi animus, ubi utilitas suorum exigit, nec tantum, si vult mori, sed si coepit, intermittat et suis se commodet. Ingentis animi est aliena causa ad vitam reverti,⁴ quod magni viri saepe fecerunt. sed hoc quoque summae humanitatis existimo, senectutem suam, cuius maximus fructus est securior sui tutela et vitae usus animosior, adtentius custodire, si scias alicui tuorum esse dulce, utile, optabile. Habet praeterea in se non mediocre ista⁵ res gaudium et mercedem: quid enim iucundius quam uxori tam carum esse, ut propter hoc tibi carior fias? potest itaque Paulina mea non tantum suum mihi timorem inputare, sed etiam meum. Quaeris ergo, quomodo mihi⁶ consilium profectionis cesserit? Ut primum gravitatem urbis excessi et illum odorem culinarum fumantium, quae motae quicquid pestiferi vaporis obruerant cum pulvere effundunt, protinus mutatam valitudinem sensi. quantum deinde adiectum putas viribus, postquam vineas adtigi? in pascuum emissus cibum meum invasi. repetivi ergo iam me. non permansit marcor ille corporis dubii et male cogitantis. incipio toto animo studere. Non⁷ multum ad hoc locus confert, nisi se sibi praestat animus, qui secretum in occupationibus mediis, si volet, habebit: at ille, qui regiones eligit et otium captat, ubique, quo dstringatur, inveniet. nam Socratem querenti cuidam,

quod nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt: „Non inmerito hoc tibi evenit: tecum enim peregrinaberis.“ O quam bene cum quibusdam ageretur, si a se aberrarent! nunc primum se ipsos sollicitant, corrumpunt, territant? quid prodest mare traicere et urbes mutare? si vis ista, quibus urgeris, effugere, non aliubi sis oportet, sed alius. Puta venisse te Athenas, puta Rhodon. elige arbitrio tuo civitatem: quid ad rem pertinet, quos illa mores habeat? tuos adferes.

9 Divitias iudicabis bonum: torquebit te paupertas et, quod est miserrimum, falsa. quamvis enim multum possideas, tamen, quia aliquis plus habet, tanto tibi videris defici, quanto vinceres. Honores iudicabis bonum: male te habebit ille consul factus, ille etiam relictus. invidebis, quotiens aliquem in fastis saepius legeris. tantus erit ambitionis furor, ut nemo tibi post te videatur, si aliquis ante te fuerit.

10 Maximum malum iudicabis mortem, cum in illa nihil sit mali, nisi quod ante ipsam est, timeri. exterrebunt te non tantum pericula, sed suspensiones. vanis semper agitaris. quid enim proderit

evasisse tot urbes

Argolicas mediosque fugam tenuisse per hostes?

ipsa pax timores subministrabit. ne tutis quidem habebitur fides consternata semel mente. quae ubi consuetudinem pavoris inprovidi fecit, etiam ad tutelam salutis suae inhabilis est. non enim vitat, sed fugit: magis autem periculis patemur aversi.

11 Gravissimum iudicabis malum, aliquem ex his, quos amabis, amittere, cum interim hoc tam ineptum erit quam flere, quod arboribus amoenis et domum tuam ornantibus decidant folia. quicquid te delectat, aequè vide ut [flores] virides: dum virent, utere: alium alio die casus excutiet. sed quemadmodum frondium iactura facilis est, quia renascuntur, sic istorum, quos amas quosque oblectamenta vitae putas esse [damnum], quia

12 reparantur, etiamsi non renascuntur. „Sed non erunt iidem.“ Ne tu quidem idem eris. omnis dies, omnis hora te mutat: sed in aliis rapina facilius adparet, hic latet, quia non ex aperto fit. alii auferuntur: at ipsi nobis furto

subducimur. Horum nihil cogitabis nec remedia volneribus obpones. sed ipse tibi seres sollicitudinum causas alia sperando, alia desperando: si sapis, alterum alteri misces: nec speraveris sine desperatione nec desperaveris sine spe. Quid per se peregrinatio prodesse cuiquam 13 potuit? non voluptates illa temperavit, non cupiditates refrenavit, non iras repressit, non indomitos amoris inpetus fregit: nulla denique animo mala eduxit. non iudicium dedit, non discussit errorem, sed ut puerum ignota mirantem ad breve tempus rerum aliqua novitate detinuit. ceterum inconstantiam mentis, quae maxime aegra est, 14 laccessit, mobiliorem leviolemque reddit ipsa iactatio. itaque, quae petierant cupidissime loca, cupidius deserunt et avium modo transvolant citiusque quam venerant, abeunt. Peregrinatio notitiam dabit gentium, novas tibi 15 montium formas ostendet, invisitata spatia camporum et inriguas perennibus aquis valles, alicuius fluminis sub observatione naturam: sive ut Nilus aestivo incremento tumet, sive ut Tigris eripitur ex oculis et acto per occulta cursu integrae magnitudini redditur, sive ut Maeander, poetarum omnium exercitatio et ludus, implicatur crebris anfractibus et saepe in vicinum alveo suo admotus, antequam sibi influat, flectitur: ceterum neque meliorem faciet neque saniolem. Inter studia versandum est 16 et inter auctores sapientiae, ut quaesita discamus, nondum inventa quaeramus: sic eximendus animus ex miserrima servitute in libertatem adseritur. Quamdiu quidem nescieris, quid fugiendum, quid petendum, quid necessarium, quid supervacuum, quid iustum, quid honestum sit, non erit hoc peregrinari, sed errare. Nullam 17 tibi opem feret iste discursus: peregrinaris enim cum adfectibus tuis et mala te tua sequuntur: utinam quidem sequerentur! longius abessent: nunc fers illa, non ducis. itaque ubique te premunt et paribus incommodis urunt: medicina aegro, non regio quaerenda est. Fregit aliquis 18 crus aut extorsit articulum: non vehiculum navemque conscendit, sed advocat medicum, ut fracta pars iungatur, ut luxata in locum reponatur: quid ergo? animum tot

locis fractum et extortum credis locorum mutatione posse sanari? maius est istud malum, quam ut gestatione curetur. Peregrinatio non facit medicum, non oratorem. nulla ars loco discitur: quid ergo? sapientia, res omnium maxima, in itinere colligitur? Nullum est, mihi crede, iter, quod te extra cupiditates, extra iras, extra metus sistat: aut si quod esset, agmine facto gens illuc humana pergeret. tamdiu ista urgebunt mala macerabuntque per terras ac maria vagum, quamdiu malorum gestaveris causas. Fugam tibi non prodesse miraris? tecum sunt, quae fugis. te igitur emenda, onera tibi detrahe et [emenda] desideria intra salutarem modum contine. omnem ex animo erade nequitiam. Si vis peregrinationes habere iucundas, tuum comitem sana. haerebit tibi avaritia, quamdiu avaro sordidoque convixeris. haerebit tumor, quamdiu superbo conversaberis. numquam saevitiam in tortoris contubernio pones. incendunt libidines tuas adulatorum sodalitia. Si velis vitiis exui, longe a vitiorum exemplis recedendum est: avarus, corruptor, saevus, fraudulentus, multum nocituri, si prope a te fuissent, intra te sunt: ad meliores transi: cum Catonibus vive, cum Laelio, cum Tuberone. quod si convivere etiam Graecis iuvat, cum Socrate, cum Zenone versare: alter te docebit mori, si necesse erit, alter, antequam necesse erit. vive cum Chrysippo, cum Posidonio. hi tibi tradent humanorum divinorumque notitiam: hi iubebunt in opere esse nec tantum scite loqui et in oblectationem audientium verba iactare, sed animum indurare et adversus minas erigere. unus est enim huius vitae fluctuantis et turbidae portus eventura contemnere, stare fidenter adaperitum. tela fortunae adverso pectore excipere, non latitantem nec tergiversantem. Magnanimos nos natura produxit et ut quibusdam animalibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum, ita nobis gloriosum et excelsum spiritum, quaerentem ubi honestissime, non ubi tutissime vivat, simillimum mundo, quem, quantum mortalium passu licet, sequitur aemulaturque. profert se, laudari et adspici credit. Dominus

omnium est, supra omnia est: itaque nulli se rei submit-
tat. nihil illi videatur grave, nihil quod virum incurvet.

Terribiles visu formae letumque labosque:

mimine quidem, si quis rectis oculis intueri illa possit et
 tenebras perrumpere. multa per noctem habita terrori dies
 vertit ad risum.

Terribiles visu formae letumque labosque,

egregie Vergilius noster: non re dixit terribiles esse,
sed visu, id est videri, non esse. Quid, inquam, in istis 25
 est tam formidabile quam fama volgavit? quid est, ob-
 secro te, Lucili, cur timeat laborem vir, mortem homo?
 totiens mihi occurrunt isti, qui non putant fieri posse,
 quicquid facere non possunt et aiunt nos loqui maiora
 quam quae humana natura sustineat: at quanto ego de 26
 illis melius existimo? ipsi quoque haec possunt facere,
 sed nolunt. Denique quem umquam ista destituere temptantem?
 cui non faciliora adparuere in actu? Non quia
difficilia sunt, non audemus, sed quia non au-
demus, difficilia sunt. Si tamen exemplum de- 27
 sideratis, accipite Socraten, perpessicium senem,
 per omnia aspera iactatum, invictum tamen et paupertate,
 quam graviolem illi domestica onera faciebant, et laboribus,
 (quos militares quoque pertulit,) quibus ille (domi)
 exercitus [*est,*] (sive uxorem eius [*spectes*] moribus feram,
 lingua petulantem, sive liberos indociles et matri quam
 patri similiores. Sic fere) aut in bello fuit aut in tyrannide
 aut in libertate bellis ac tyrannis saeviore. Viginti 28
 et septem annis pugnatum est. post finita arma triginta
 tyrannis noxae dedita est civitas, ex quibus plerique ini-
 mici erant. novissima damnatio est sub gravissimis nomi-
 nibus inpleta: obiecta est et religionum violatio et iuventutis
 corruptela, quam inmittere in deos, in patres, in
 rempublicam dictus est. post haec carcer et venenum.
 Haec usque eo animum Socratis non moverunt, ut ne
 voltum quidem moverint. illam mirabilem laudem et singu-
 larem usque ad extremum servavit: nec hilariorem
 quisquam nec tristiolem Socraten vidit. aequalis fuit in
tanta inaequalitate fortunae. Vis alterum exemplum? ac- 29

cipe hunc M. Catonem recentiorem, cum quo et infestius fortuna egit et pertinacius. cui cum omnibus locis obstisset, novissime et in morte, ostendit tamen virum fortem posse invita fortuna vivere, invita mori: tota illi aetas aut in armis est exacta civilibus aut in aetate concipiente iam civile bellum. et hunc licet dicas non minus quam Socraten *servituti se eduxisse*, nisi forte Cn. Pompeium et Caesarem et Crassum putas libertatis socios fuisse.

- 30 Nemo mutatum Catonem totiens mutata republica vidit: eundem se in omni statu praestitit, in praetura, in repulsa, in accusatione, in provincia, in concione, in exercitu, in morte. Denique in illa reipublicae trepidatione, cum illinc Caesar esset decem legionibus pugnacissimis subnixus, tot exterarum gentium praesidiis, hinc Cn. Pompeius, satis unus adversus omnia, cum alii ad Caesarem inclinarent, alii ad Pompeium, solus Cato fecit aliquas
31 et reipublicae partes. Si animo complecti volueris illius imaginem temporis, videbis illinc plebem et omne erectum ad res novas volgus, hinc optimates et equestrem ordinem, quicquid erat in civitate sancti et electi, duos in medio relictos, rempublicam et Catonem. Miraberis, inquam, cum animadverteris

Atriden Priamumque et saevom ambobus Achillen:

- 32 utrumque enim inprobat, utrumque exarmat. Hanc fert de utroque sententiam: ait „se, si Caesar vicerit, moriturum, si Pompeius, exulaturum.“ Quid habebat, quod timeret, qui id sibi et victo et victori constituerat, quae constituta esse ab hostibus iratissimis poterant? periit
33 itaque ex decreto suo. Vides posse homines laborem pati: per medias Africae solitudines pedes duxit exercitum. vides posse tolerari sitim: in collibus arenis sine ullis impedimentis victi exercitus reliquias trahens inopiam humoris loricatus tulit et, quotiens aquae fuerat occasio, novissimus bibit. vides honorem et notam posse contemni: eodem quo repulsus est die in comitio pila lusit. vides posse non timeri potentiam superiorum: et Pompeium et Caesarem, quorum nemo alterum offendere audebat, nisi ut alterum demereretur, simul provocavit.

vides tam mortem posse contemni quam exilium: et exilium sibi indixit et mortem et interim bellum. Possumus³⁴ itaque adversus ista tantum habere animi, libeat modo subducere iugo collum. in primis autem respuendae sunt voluptates: enervant et effeminant et multum petunt. multum autem a fortuna petendum est. deinde spernendae opes: auctoramenta sunt servitutum. aurum et argentum et quicquid aliud felices domos onerat, relinquatur: non potest gratis constare libertas. hanc si magno aestimas, omnia parvo aestimanda sunt. Vale.

EPISTULA II. (105.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quae observanda tibi sint, ut tutior vivas, ¹ dicam. tu tamen sic audias censeo ista praecepta, quomodo si tibi praeciperem, qua ratione bonam valitudinem in Ardeatino tuereris. Considera, quae sint, quae hominem in perniciem hominis instigent: invenies spem, invidiam, odium, metum, contemptum. / Ex omnibus istis adeo levissimum est contemptus, ut multi in illo remedii causa delituerint. quem quis contemnit, calcet sine dubio, sed transit. nemo homini contempto pertinaciter, nemo diligenter nocet. etiam in acie iacens praeteritur, cum stante pugnatur. / Spem improborum vitabis, si nihil habueris, quod cupiditatem alienam et improbam iritet, si nihil insigne possederis. concupiscuntur enim [insignia,] etiam quae rara in notitiam sunt. / Sic [raro] invidiam effugies, si te non ingesseris oculis, si bona tua non iactaveris, si scieris in sinu gaudere. / Odium aut est ex offensa: hoc vitabis neminem lacessendo: aut gratuitum, a quo te sensus communis tuebitur. fuit hoc multis periculosum: quidam odium habuerunt nec inimicum. / Illud, ne timearis, praestabit tibi et fortunae mediocritas et ingenii lenitas. eum esse te homines sciant, quem offendere sine periculo possint: reconciliatio tua et facilis sit et certa. timeri autem tam domi molestum est quam foris, tam a servis quam a liberis. nulli non ad nocendum

satis virium est. adice nunc, quod qui timetur, timet.
 5 nemo potuit terribilis esse secure. / Contemptus super-
 est, cuius modum in sua potestate habet, qui illum sibi
 adiunxit, qui contemnitur, quia voluit, non quia debuit.
 huius incommodum et artes bonae discutiunt et amicitiae
 eorum, qui apud aliquem potentem potentes sunt, qui-
 bus adplicari expedit, non implicari, ne pluris remedium
 6 quam periculum constet. Nihil tamen aequae prode-
 rit quam quiescere et minimum cum aliis lo-
qui, plurimum secum. Est quaedam dulcedo sermonis,
quae inrēpit et blanditur et non aliter quam ebrietas aut
 amor secreta producit. nemo, quod audierit, tacebit.
 nemo, quantum audierit, loquetur. qui rem non tacuerit,
 non tacebit auctorem. habet unusquisque aliquem, cui
 tantum credat, quantum ipsi creditum est. ut garrulita-
 tem suam custodiat et contentus sit unius auribus, popu-
 lum faciet: sic quod modo secretum erat, rumor est.
 7 Securitatis magna portio est nihil iniqui fa-
cere: confusam vitam et perturbatam inpotentes agunt.
tantum metuunt, quantum nocent nec ullo tempore va-
 cant. trepidant enim, cum fecerunt. haerent: conscientia
 aliud agere non patitur ac subinde respondere ad se co-
 git. dat poenas quisquis exspectat: quisquis autem me-
 8 ruit, exspectat. Tutum aliqua res in mala conscientia
 praestat, nulla securum: putat enim se, etiamsi non de-
 prenditur, posse deprendi. et inter somnos movetur et,
 quotiens alicuius scelus loquitur, de suo cogitat: non
 satis illi oblitteratum videtur, non satis tectum. Nocens ha-
 buit aliquando latendi fortunam, numquam fiduciam. Vale.

EPISTULA III. (106.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Tardius rescribo ad epistulas tuas, non quia distri-
 ctus occupationibus sum: — hanc excusationem cave
 audias: vaco et omnes vacant, qui volunt. neminem res
 sequuntur. ipsi illas amplexantur et argumentum esse fe-
 licitatis occupationem putant: — quid ergo fuit, quare
 2 non protinus rescriberem ei, de quo quaerebas? venie-

bat in contextum operis mei. scis enim me moralem philosophiam velle complecti et omnes ad eam pertinentis quaestiones explicare. itaque dubitavi utrum differrem te an, donec suus isti rei veniret locus, ius tibi extra ordinem dicerem: humanius visum est tam longe venientem non detinere. Itaque et hoc ex illa serie rerum cohaerentium excerpam et, si qua erunt eiusmodi, non quaerenti tibi ultro mittam. quae sint haec interrogas? quae scire magis iuvat quam prodest, sicut hoc, de quo quaeris: bonum an corpus sit? Bonum facit: prodest enim. quod facit, corpus est. Bonum agitat animum et quodammodo format et continet, quae propria sunt corporis. quae corporis bona sunt, corpora sunt: ergo et quae animi sunt. nam et hoc corpus est. Bonum hominis necesse est corpus sit, cum ipse sit corporalis. mentior, nisi et quae alunt illum et quae valitudinem eius vel custodiunt vel restituunt, corpora sunt: ergo et bonum eius corpus est. Non puto te dubitaturum, an adfectus corpora sint, — ut aliud quoque, de quo non quaeris infuleciam — tamquam ira, amor, tristitia: si dubitas, vide an voltum nobis mutant, an frontem adstringant, an faciem diffundant, an ruborem evocent, an fugent sanguinem. quid ergo? tam manifestas notas corpori credis inprimi nisi a corpore? Si adfectus corpora sunt, et morbi animorum et avaritia, crudelitas, indurata vitia et in statum inemendabilem adducta: ergo et malitia et species eius omnes, malignitas, invidia, superbia: ergo et bona, primum quia contraria istis sunt, deinde quia eadem tibi indicia praestabunt: an non vides, quantum oculis det vigorem fortitudo? quantam intentionem prudentia? quantam modestiam et quietem reverentia? quantam serenitatem laetitia? quantum rigorem severitas? quantam remissionem lenitas? corpora ergo sunt, quae colorem habitumque corporum mutant, quae in illis regnum suum exercent. omnes autem, quas retuli, virtutes bona sunt et quicquid ex illis est. Numquid est dubium, an id, quo quid tangi potest, corpus sit?

tangere enim et tangi nisi corpus nulla potest res,

ut ait Lucretius: omnia autem ista, quae dixi, non mutantur corpus, nisi tangerent: ergo corpora sunt. Etiam nunc cui tanta vis est, ut inpellat et cogat et retineat et iubeat, corpus est. quid ergo? non timor retinet? non audacia inpellit? non fortitudo inmittit et inpetum dat? non moderatio refrenat ac revocat? non gaudium extol-
 9 lit? non tristitia adducit? Denique quicquid facimus, aut malitiae aut virtutis gerimus imperio: quod imperat corpori, corpus est, quod vim corpori adfert, corpus. Bonum corporis corporalis res est. bonum hominis et corporis bonum est: itaque corporalis res est. Quoniam, ut
 10 voluisti, morem gessi tibi, nunc ipse dicam mihi, quod dicturum esse te video: latrunculis ludimus. in supervacuis subtilitas teritur: non faciunt bonos ista, sed doctos.
 11 apertior res est sapere, immo simplicior. paucis est ad mentem bonam uti literis: sed nos ut cetera in supervacuum diffundimus, ita philosophiam ipsam, quemadmodum omnium rerum, sic literarum quoque intemperantia laboramus: non vitae, sed scholae discimus. Vale.

EPISTULA IV. (107.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Ubi illa prudentia tua? ubi in dispiciendis rebus subtilitas? ubi magnitudo? tam pusilla res te angit? Servi occupationes tuas occasionem fugae putaverunt: si amici deciperent * * * habeant enim sane nomen, quod illis noster Epicurus inposuit, et vocentur, quo turpius non sint * omnibus rebus tuis desunt illi, qui et operam tuam conterebant et [a] te ali[is]
 2 molestum esse credebant? Nihil horum insolitum, nihil inexpectatum est. offendi rebus istis tam ridiculum est quam queri, quod spargaris in publico aut inquineris in luto. Eadem vitae condicio est, quae balnei, turbae, itineris: quaedam in te mittentur, quaedam incident. Non est delicata res vivere. longam viam ingressus es: et laboris oportet et arietes et cadas et lasseris et exclames: „o mors!“ id est mentiaris. alio loco comitem relinques, alio efferes, alio timebis. per eiusmodi offensas emetien-

dum est confragosum hoc iter. [Mori vult.] Praeparetur 3
 animus contra omnia: sciat se venisse, ubi tonat fulmen.
 sciat se venisse ubi

luctus et ultrices posuere cubilia curae

pallentesque habitant morbi tristicque senectus.

in hoc contubernio vita degenda est. effugere ista non
potes: contemnere potes. contemnes autem, si saepe cogitaveris et futura praesumpseris. Nemo non fortius 4
 ad id, cui se diu conposuerat, accessit et duris quoque, si praemeditata erant, obstitit. at contra inparatus etiam levissima expavit. Id agendum est, ne quid nobis inopinatum sit. et quia omnia novitate graviora sunt, hoc cogitatio adsidua praestabit, ut nulli sis malo tiro. „Servi me reliquerunt.“ alium con- 5
 pilaverunt, alium accusaverunt, alium occiderunt, alium prodiderunt, alium calcaverunt, alium veneno, alium criminatione petierunt: quicquid dixeris, multis accidit. Beinceps, quae multa et varia sunt, [in nos diriguntur.] quaedam in nos fixa sunt, quaedam vibrant et cum maxime veniunt, quaedam in alios perventura nos stringunt. Nihil miremur eorum, ad quae nati sumus, quae ideo 6
 nulli querenda, quia paria sunt omnibus: ita dico, paria sunt. nam etiam quod effugit aliquis, pati potuit: aequum autem ius est non quo omnes usi sunt, sed quod omnibus latum est. Imperetur aequitas animo et sine querela mortalitatis tributa pendamus. Hiems frigora addu- 7
 cit: algendum est. aestas calores refert: aestuandum est. intemperies coeli validudinem temptat: aegrotandum est. et fera nobis aliquo loco occurret et homo perniciosior feris omnibus. aliud aqua, aliud ignis eripiet: hanc rerum condicionem mutare non possumus: id possumus, magnum sumere animum et viro bono dignum, quo fortiter fortuita patiamur et naturae consentiamus. Natura 8
 autem hoc, quod vides, regnum mutationibus temperat: nubilo serena succedunt. turbantur maria, cum quieverunt. flant in vicem venti. noctem dies sequitur. pars coeli consurgit, pars mergitur: contrariis rerum aeternitas constat. Ad hanc legem animus noster aptandus est. 9

hanc sequatur, huic pareat. et quaecumque fiunt, debuisse fieri putet nec velit obiurgare naturam. Optimum est pati, quod emendare non possis, et deum, quō auctōre cuncta proveniunt, sine murmuratione comitari: malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur.

10 Quare inpigri atque alacres excipiamus imperia nec deseramus hunc operis pulcherrimi cursum, cui quicquid patimur, intextum est. et sic adloquamur Iovem, cuius gubernaculo moles ista dirigitur, quemadmodum Cleanthes noster versibus disertissimis adloquitur, quos mihi in nostrum sermonem mutare permittitur Ciceronis, disertissimi viri, exemplo. si placuerint, boni consules. si displicuerint, scies me in hoc secutum Ciceronis exemplum.

11 *Duc, o parens celsique dominator poli,
quocumque placuit: nulla parendi mora est.
adsum inpiger. Fac nolle, comitabor gemens
malusque patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

12 Sic vivamus, sic loquamur: paratos nos inveniat atque inpigros fatum. hic est magnus animus, qui se deo tradidit: at contra ille pusillus et degener, qui oblectatur et de ordine mundi male existimat et emendare mavult deos quam se. Vale.

EPISTULA V. (108.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Id, de quo quaeris, ex his est, quae scire tantum eo, ut scias, pertinet. sed nihilominus, quia pertinet, prope-
ras nec vis exspectare libros, quos cum maxime ordino
continentes totam moralem philosophiae partem. statim
expediam: illud tamen prius scribam, quemadmo-
dum tibi ista cupiditas discendi, qua flagrare
te video, digerenda sit, ne ipsa se inpediat.
- 2 Nec passim carpenda sunt nec avide invadenda universa:
per partes pervenietur ad totum. aptari onus viribus de-
bet nec plus occupari, quam cui sufficere possimus. non
quantum vis, sed quantum capis hauriendum est: bonum
tantum habe animum: capies quantum voles. quo plus

recipit animus, hoc se magis laxat. Haec nobis praecipere 3
 Attalum memini, cum scholam eius obsideremus et primi
 veniremus et novissimi exiremus, ambulantem quoque
 illum ad aliquas disputationes evocarem, non tantum
 paratum discentibus, sed obvium. „Idem, inquit, et do-
 centi et discenti debet esse propositum: ut ille prodesse
 velit, hic proficere.“ Qui ad philosophum venit, cotidie 4
 aliquid secum boni ferat: aut sanior domum redeat aut
 sanabilior: redibit autem: ea [enim] philosophiae vis est,
 ut non studentes, sed etiam conversantes iuвет. Qui in
 solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur. qui in
 unguentaria taberna resederunt et paulo diutius commo-
 rati sunt, odorem secum loci ferunt. et qui ad philoso-
 phum fuerunt, traxerint aliquid necesse est, quod prod-
 esset etiam negligentibus. adtende, quid dicam: negle-
 gentibus, non repugnantibus. „Quid ergo? non 5
 novimus quosdam, qui multis apud philosophum annis
 persederint et ne colorem quidem duxerint?“ Quidni no-
 verim? pertinacissimos quidem et adsiduos, quos ego
 non discipulos philosophorum, sed inquilinos voco. Qui 6
 dam veniunt ut audiant, non ut discant, sicut in thea-
 trum voluptatis causa ad delectandas aures oratione vel
 voce vel fabulis ducimur. magnam hanc auditorum par-
 tem videbis, cui philosophi schola diversorium otii sit.
 non id agunt, ut aliqua illo vitia deponant, ut aliquam
 legem vitae accipiant, qua mores suos exigant, sed ut
 oblectamento aurium perfruantur. aliqui tamen et cum
 pugillaribus veniunt, non ut res excipiant, sed ut verba,
 quae tam sine profectu alieno dicant quam sine suo au-
 diunt. Quidam ad magnificas voces excitantur et trans- 7
 eunt in adfectum dicentium alacres voltu et animo, nec
 aliter concitantur quam solent Phrygii tibicinis sono se-
 miviri et ex imperio furentes. rapit illos instigatque rer-
 um pulchritudo, non verborum inanium sonitus. si quid
 acriter contra mortem dictum est, si quid contra fortunam
 contumaciter, iuvat protinus, quae audias, facere. adfi-
 ciuntur illis et sunt, quales iubentur, si illa animo forma
 permaneat, si non inpetum insignem protinus populus,

honesti dissuasor, excipiat: pauci illam, quam conceperant mentem, domum perferre potuerunt. Facile est auditorem concitare ad cupiditatem recti. omnibus enim natura fundamenta dedit semenque virtutum. omnes ad omnia ista nati sumus: cum iritator accessit, tunc illa animi bona veluti sopita excitantur. Non vides, quemadmodum theatra consonent, quotiens aliqua dicta sunt, quae publice adgnosimus et consensu vera esse testamur?

9 *Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.*

In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

ad hos versus ille sordidissimus plaudit et vitiis suis fieri convicium gaudet: quanto magis hoc iudicas evenire, cum a philosopho ista dicuntur, cum salutaribus praeceptis versus inseruntur, efficacius eadem
10 illa demissuri in animum inperitorum? „nam, ut dicebat Cleanthes, quemadmodum spiritus noster clario-rem sonum reddit, cum illum tuba per longi canalis angustias tractum patientiore novissime exitu effudit, sic sensus nostros clariores carminis arta necessitas efficit.“ Eadem neglegentius audiuntur minusque percutiunt, quamdiu soluta oratione dicuntur: ubi accessere numeri et egregium sensum adstrinxere certi pedes, eadem illa
11 sententia velut lacerto excussa torquetur. De contemptu pecuniae multa dicuntur et longissimis orationibus hoc praecipitur. ut homines in animo, non in patrimonio putent esse divitias. eum esse locupletem, qui paupertati suae aptus est et parvo se divitem fecit: magis tamen feriuntur animi, cum carmina eiusmodi dicta sunt:

Is minimo eget mortalis qui minimum cupit.

Quod vult, habet, qui velle, quod satis est, potest.

12 Cum haec atque eiusmodi audimus, ad confessionem veritatis adducimur. illi enim, quibus nihil satis est, admirantur, adclamant, odium pecuniae indicunt: hunc illorum adfectum cum videris, urge, hoc preme, hoc onera relictis ambiguitatibus et syllogismis et cavillationibus et ceteris acuminis inriti ludicris. dic in avaritiam, dic in luxuriam: cum profecisse te videris et animos audientium adfeceris, insta vehementius: verisimile non est, quantum

proficiat talis oratio remedio intenta et tota in bonum audientium versa. facillime enim tenera conciliantur ingenia ad honesti rectique amorem et adhuc docilibus leviterque corruptis inicit manum veritas, si advocatum idoneum nancta est. Ego certe cum Attalum audirem in vi-¹³ tia, in errores, in mala vitae perorantem, saepe misertus sum generis humani et illum sublimem altioremq; humano fastigio credidi. ipse regem se esse dicebat: sed plus quam regnare mihi videbatur, cui liceret censuram agere regnantium. Cum vero commendare pau-¹⁴ pertatem coeperat et ostendere, quam, quicquid usum excederet, pondus esset supervacuum et grave ferenti, saepe exire e schola pauperi libuit. cum coeperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem non tantum ab inlicitis voluptatibus, sed etiam supervacuis, libebat circumscribere gulam ac ventrem. Inde mihi quaedam permansere, Lucili.¹⁵ magno enim in omnia inceptu veneram. deinde ad civitatis vitam reductus ex bene coeptis pauca servavi: inde ostreis boletisque in omnem vitam renuntiatum est. nec enim cibi, sed oblectamenta sunt ad edendum saturos cogentia, quod gratissimum est edacibus et se ultra quam capiunt farcientibus, facile descensura, facile reditura. inde in omnem vitam unguento abstinemus, quoniam¹⁶ optimus odor in corpore est nullus. inde vino carens stomachus. inde in omnem vitam balneum fugimus, decoquere corpus atque exinanire sudoribus inutile simul delicatumque credidimus: cetera proiecta redierunt, ita tamen, ut quorum abstinentiam interrumpi, modum servem et quidem abstinentiae proximior, nescio an difficiliorem, quoniam quidem absciduntur facilius animo quam temperantur. Quoniam coepi tibi exponere, quanto¹⁷ maiore inpetu ad philosophiam juvenis accesserim quam senex pergam, non pudebit fateri, quem mihi amorem Pythagorae iniecerit Sotion. dicebat, quare ille animalibus abstinisset, quare postea Sextius. dissimilis utrique causa erat, sed utrique magna: Hic homini satis alimentorum citra sanguinem¹⁸

- esse credebat et crudelitatis consuetudinem fieri, ubi in voluptatem esset adducta laceratio. adiciebat contrahendam materiam esse luxuriae. colligebat bonae valitudini contraria esse alimenta varia et nostris aliena corporibus:
- 19 at Pythagoras omnium inter omnia cognationem esse dicebat et animorum commercium in alias atque alias formas transeuntium. nulla, si illi credas, anima interit nec cessat quidem nisi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfunditur. Videbimus, per quas temporum vices et quando pererratis pluribus domiciliis in hominem revertatur: interim sceleris hominibus ac parricidii metum fecit, cum possint in parentis animam inscii incurrere et ferro morsuve violare, si in quo cognatus aliqui spiritus
- 20 hospitaretur. Haec cum exposuisset Sotion et inplesset argumentis suis: „non credis, inquit, animas in alia corpora atque alia describi et migrationem esse, quod dicimus mortem? non credis in his pecudibus ferisve aut aqua mersis illum quondam hominis animum morari? non credis nihil perire in hoc mundo, sed mutare regionem? nec tantum coelestia per certos circuitus verti, sed animalia quoque per vices ire et animos per orbem agi?
- 21 Magni ista crediderunt viri: itaque iudicium quidem tuum sustine, ceterum omnia tibi in integro serva: si vera sunt ista, abstinuisse animalibus innocentia est. si falsa, frugalitas est. quod istic credulitatis tuae damnum est? alimen-
- 22 ta tibi leonum et volturum eripio.“ His ego instinctus abstinere animalibus coepi et anno peracto non tantum facilis erat mihi consuetudo, sed dulcis. agitationem mihi animum esse credebam nec tibi hodie adfirmaverim, an fuerit: quaeris, quomodo desierim? in Tiberii Caesaris principatum iuventae tempus inciderat. alienigena tum sacra movebantur, sed inter argumenta superstitionis ponebatur quorundam animalium abstinentia. patre itaque meo rogante, qui non calumniam timebat, sed philosophiam oderat, ad pristinam consuetudinem redii: nec difficulter mihi, ut inciperem melius coenare, persuasit.
- 23 Laudare solebat Attalus culcitam, quae resisteret corpori: tali utor etiam senex, in qua vestigium adparere non

possit. Haec retuli ut probarem tibi, quam vehementes haberent tirunculi inpetus primos ad optima quaeque, si quis exhortaretur illos, si quis inpelleret. sed aliquid praecipientium vitio peccatur, qui nos docent disputare, non vivere, aliquid discentium, qui propositum adferunt ad praeceptores suos non animum excolendi, sed ingenium. itaque quae philosophia fuit, facta philologia est. Multum autem ad rem pertinet, quo proposito²⁴ ad quamque rem accedas. Qui grammaticus futurus Vergilium scrutatur, non hoc animo legit illud egregium

fugit inreparabile tempus:

vigilandum est: nisi properamus, relinquemur. agit nos agiturque velox dies. inscii rapimur. omnia in futurum disponimus et inter praecipitia lenti sumus: sed ut observet, quotiens Vergilius de celeritate temporum dicit, hoc uti verbo illum fugit.

*Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus
et labor et durae rapit inclementia mortis.*

Ille, qui ad philosophiam spectat, haec eadem, quo debet,²⁵ adducit: „numquam Vergilius, inquit, dies dicit ire, sed fugere, quod currendi genus concitatissimum est, et optimos quosque primos rapi: quid ergo cessamus nos ipsi concitare, ut velocitatem rapidissimae rei possimus aequare? meliora praetervolant, deteriora succedunt. Quemadmodum ex amphora primum quod est,²⁶ sincerissimum effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit, sic in aetate nostra quod est optimum, in primo est. id exhauriri [in] aliis potius patimur, ut nobis faecem reservemus? Inhaereat istud animo et tamquam missum oraculo placeat:

*optima quaeque dies miseris mortalibus aevi
prima fugit.*

quare optima? quia quod restat incertum est. quare²⁷ optima? quia iuvenes possumus discere, possumus facilem animum et adhuc tractabilem ad meliora convertere. quia hoc tempus idoneum est laboribus, idoneum agitan-
dis per studia ingeniis et exercendis per opera corpori

bus: quod superest, segnius et languidius est et propius a fine. itaque toto hoc agamus animo et omissis, ad quae devertimur, in rem unam laboremus, ne hanc temporis perniciosissimi celeritatem, quam retinere non possumus, relictis demum intellegamus. primus quisque tamquam optimus dies placeat et redigatur in nostrum.

28 quod fugit occupandum est. Haec non cogitat ille, qui grammatici oculis carmen istud legit, ideo optimum quemque primum esse diem, quia subeunt morbi, quia senectus premit et adhuc adulescentiam cogitantibus supra caput est, sed ait Vergilium semper una ponere morbos et senectutem: non mehercules inmerito.

29 senectus enim insanabilis morbus est. „Praeterea, inquit, hoc senectuti cognomen inposuit, tristem illam vocat: *subeunt morbi tristisque senectus.*

alio loco dicit:

pallentesque habitant morbi tristisque senectus.“

Non est, quod mireris ex eadem materia suis quemque studiis apta colligere: in eodem prato bos herbam quaerit, canis leporem, ciconia lacertam.

30 Cum Cicëronis librum de republica prendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiae deditus, alius alio curam suam mittit: philosophus admiratur contra iustitiam dici tam multa potuisse. cum ad hanc eandem lectionem philologus accessit, hoc subnotat: duos Romanos reges esse, quorum alter patrem non habet, alter matrem: nam de Servii matre dubitatur. Anci pater nullus: Numae nepos

31 dicitur. Praeterea notat eum, quem nos dictatorem dicimus et in historiis ita nominari legimus, apud antiquos magistrum populi vocatum. hodieque id exstat in auguralibus libris et testimonium est, quod, qui ab illo nominatur, magister equitum est. Aequè notat Romulum perisse solis defectione: provocationem ad populum etiam a regibus fuisse: id ita in pontificalibus libris

32 et alii [quiqui] putant et Fenestella. Eosdem libros cum grammaticus explicuit, primum verba expressa, reapse dici a Cicerone, id est re ipsa, in commentarium refert, nec minus seipse, id est se ipse. Deinde transit ad ea,

quae consuetudo seculi mutavit, tamquam ait Cicero:
„quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione revocati.“
 hanc quam nunc in circo cretam vocamus, calcem
 antiqui dicebant. Deinde Ennianos colligit versus et in 33
 primis illos de Africano scriptos:

*cui nemo civis neque hostis
 quivit pro factis reddere operae pretium.*

ex eo se ait intellegere, apud antiquos non tantum auxi-
 lium significasse sed [*opera etiam odii*] operam. ait enim
Ennius neminem potuisse Scipioni neque civem neque
 hostem reddere operae pretium. Felicem deinde 34
 se putat, quod invenerit, unde visum sit Vergilio dicere:

*quem super ingens
 porta tonat coeli.*

Ennium hoc ait Homero subripuisse, Ennio Vergilium.
 esse enim apud Ciceronem in his ipsis de republica
 [*libris*] hoc epigramma *Ennii*:

*Si fas endo plagas coelestium ascendere cuiquam est,
 mi soli coeli maxima porta patet.*

Sed ne et ipse, dum aliud ago, in philologum aut gram- 35
 maticum delabar, illud admoneo, auditionem phi-
 losophorum lectionemque ad propositum bea-
 tae vitae trahendam, non ut verba prisca aut ficta
 captemus et translationes improbas figurasque dicendi,
 sed ut profutura praecepta et magnificas voces et animo-
 sas, quae mox in rem transferantur: sic ista ediscamus,
 ut, quae fuerint verba, sint opera. Nullos autem peius 36
 mereri de omnibus mortalibus iudico, quam qui philoso-
 phiam velut aliquod artificium venale didicerunt, qui aliter
 vivunt quam vivendum esse praecipunt. exempla enim
 se ipsos inutilis disciplinae circumferunt nulli non vitio,
 quod insequuntur, obnoxii. Non magis mihi potest quis- 37
 quam talis prodesse praeceptor quam gubernator in tem-
 pestate nausiabundus: tenendum est rapiente fluctu gu-
 bernaculum, luctandum cum ipso mari, eripienda sunt
 vento vela: quid me potest adiuvere rector navigii adto-
 nitus et vomitans? quanto maiore putas vitam tempestate
 iactari quam ullam ratem? non est loquendum, sed gu-

38bernandum. Omnia quae dicunt, quae turba audiente iactant, aliena sunt: dixit illa Platon, dixit Zenon, dixit Chrysippus et Posidonius: *at* ingens agmen [non] tot ac talium quomodo probare possint sua esse? monstrabo: faciant,
39 quae dixerint. Quoniam quae volueram ad te perferre, iam dixi, nunc desiderio tuo satisfaciam et in alteram epistulam integrum, quod exegeras, transferam, ne ad rem spinosam et auribus erectis curiosisque audiendam lassus accedas. Vale.

EPISTULA VI. (109.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 An sapiens sapienti pro sit scire desideras. dicimus plenum omni bono esse sapientem et summa adeptum: quomodo prodesse aliqui possit summum habenti bonum, quaeritur. Prosunt inter se boni. exercent enim virtutes et sapientiam in suo statu continent. desiderat uterque aliquem, cum quo
2 conferat, cum quo quaerat. Peritos luctandi usus exercet. musicum qui paria didicit, movet: opus est et sapienti agitatione virtutum: ita quemadmodum ipse se movet, sic
3 movetur ab alio sapiente. Quid sapiens sapienti proderit? inpetum illi dabit, occasiones actionum honestarum commonstrabit. praeter haec aliquas cogitationes suas exprimet. docebit, quae invenerit. semper enim etiam a sapiente restabit, quod inveniat et quo animus eius ex-
4 curret. Malus malo nocet. facit quoque peiorem, iram, metus incitando, tristitiae adsentiendo, voluptates laudando, et tunc maxime laborant mali, ubi plurimum vitia miscuere et in unum collata nequitia est: ergo ex contrario bonus bono proderit. „Quomodo?“ inquis. Gaudium illi adferet, fiduciam confirmabit, ex conspectu mutuae tranquillitatis crescet utriusque laetitia. Praeterea quarumdam illi rerum scientiam tradet. non enim omnia sapiens scit. etiamsi sciret, breviores vias rerum aliqui excogitare posset et has indicare, per quas facilius totum
6 opus circumfertur. Proderit sapienti sapiens non suis viribus, sed ipsius, quem adiuvat. potest quidem ille etiam

relictus sibi explicare partes suas. utetur propria velocitate: sed nihilominus adiuvat etiam currentem hortator. Non prodest sapienti sapiens, sed sibi ipse. hoc [ut] scias, detrahe illi vim propriam et ille nihil agit. „Isto modo 7 dicas licet non esse in melle dulcedinem: nam nisi ille, qui esse debeat, ita aptatus lingua palatoque est ad eiusmodi gustum, ut illum talis sapor capiat, offendetur. sunt enim quidam, quibus morbi vitio mel amarum videatur.“ Oportet utrumque valere, ut et ille prodesse possit et hic profuturo idonea materia sit. „In summum, in- 8 quit, perducto calorem calefieri supervacuum est. et in summum perducto bonum supervacuum est, qui prosit. numquid instructus omnibus rebus agricola ab alio instrui quaerit? numquid armatus miles quantum in aciem exituro satis est [uti], amplius arma desiderat? ergo nec sapiens. satis enim vitae instructus, satis armatus est.“ Ad haec respondeo: et qui in summo motus est calore, 9 [eget] adiecto, ut suum teneat. „Sed ipse se, inquit, calor continet.“ Primum multum interest inter ista, quae comparas. calor enim unus est, prodesse varium est. Deinde calor non adiuvatur adiectione caloris, ut caleat: sapiens non potest in habitu mentis suae stare, nisi amicos aliquos similes sui admisit, cum quibus virtutes suas communicet. Adice nunc, quod omnibus inter se virtu- 10 tibus amicitia est. itaque prodest, qui virtutes alicuius pares suis amat amandasque invicem praestat. similia ✓ delectant, utique ubi honesta sunt et probare ac probari sciunt. Etiamnunc sapientis animum perite movere nemo 11 alius potest quam sapiens, sicut hominem movere rationaliter non potest nisi homo. quomodo ergo ad rationem movendam ratione opus est, sic ut moveatur ratio perfecta, opus est ratione perfecta. Prodesse dicuntur et qui 12 media nobis largiuntur, pecuniam, gratiam, incolumitatem, alia in usus vitae cara aut necessaria. in his dicetur etiam stultus prodesse sapienti. prodesse autem est animum secundum naturam movere virtute sua ut eius, qui movebitur. hoc non sine ipsius quoque, qui proderit, bono fiet. necesse [est] enim alienam virtutem exercendo exerceat

- 13 et suam. Sed ut removeas ista, quae aut summa bona sunt aut summorum efficientia, nihilominus prodesse inter se sapientes possunt. invenire enim sapientem sapienti per se res expetenda est, quia natura bonum omne carum est bono et sic quisque conciliatur bono quemadmodum sibi.
- 14 Necesse est ex hac quaestione argumenti causa in alteram transeam. quaeritur enim, an deliberaturus sit sapiens, an in consilium aliquem advocaturus: quod facere illi necessarium est, cum ad haec civilia et domestica venit et, ut ita dicam, mortalia. in his sic illi opus est alieno consilio quomodo medico, quomodo gubernatore, quomodo avvocato et litis ordinatore. proderit ergo sapiens aliquando sapienti. suadebit enim: sed in illis quoque magnis ac divinis, ut diximus, communiter honesta tractando et animos cogitationesque miscendo utilis erit. Praeterea secundum naturam est et amicos complecti et amicorum auctu ut suo proprioque laetari. nam nisi hoc fecerimus, ne virtus quidem nobis permanebit, quae exercendo *usu* sui valet. virtus autem suadet praesentia bene collocare, in futurum consulere, deliberare et intendere animum: facilius intendet explicabitque, qui aliquem sibi adsumpserit. quaerit itaque aut perfectum virum aut proficientem vicinumque perfecto. proderit autem ille perfectus, si consilium communi prudentia iuverit. Aiunt homines plus in alieno negotio videre quam in suo. hoc illis evenit, quos amor sui excaecat quibusque dispectum utilitatis timor in periculis excutit: incipiet sapere securior et extra metum positus. sed nihilominus quaedam sunt, quae etiam sapientes in alio quam in se diligentius vident. Praeterea illud dulcissimum et honestissimum „*idem velle atque idem nolle*“ sapiens sapienti praestabit: egregium opus pari iugo ducet.
- 17 Persolvi quod exegeras, quamquam in ordine rerum erat, quas moralis philosophiae voluminibus complectimur. Cogita, quod soleo frequenter tibi dicere, in istis nos nihil aliud quam acumen exercere. totiens enim illo revertor: quid ista me res iuvat? fortiorem

faciet, iustiozem, temperatiozem? nondum exerceri vacat: adhuc medico mihi opus est. Quid me poscis scientiam 18 inutilem? magna promisisti, exigua video: dicebas intrepidum fore, etiamsi circa me gladii micarent, etiamsi mucro tangeret iugulum. dicebas securum fore, etiamsi circa me flagrarent incendia, etiamsi subitus turbo toto navem meam mari raperet: haec mihi praesta interim * *ut* voluptatem, ut gloriam contemnam: postea docebis impli- c[*i*]ta solvere, ambigua distinguere, obscura perspicere: nunc doce, quod necesse est. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER XIX.

EPISTULA I. (110.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

Ex Nomentano meo te saluto et iubeo habere mentem 1 bonam, hoc est propitios deos omnes, quos habet placatos et faventes, quisquis sibi se propitiavit. Sepone in praesentia, quae quibusdam placent, unicuique nostrum paedagogum dari deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae ex eorum numero, quos Ovidius ait „*de plebe deos*“: ita tamen hoc seponas volo, ut memineris maiores nostros, qui crediderunt, Stoicos fuisse: singulis enim et Genium et Iunonem dederunt. Postea videbimus, an tantum dis vacet, ut privatorum 2 negotia procurarent: interim illud scito, sive adsignati sumus, sive neglecti et fortunae dati, nulli te posse inprecari quicquam gravius, quam si inprecatus fueris, ut se habeat iratum. Sed non est, quare cuiquam, quem poena

putaveris dignum, optes, ut infestos deos habeat: habet, inquam, etiamsi videtur eorum [cura et] favore produci.

- 3 Adhibe diligentiam tuam et intueri, quid sint res nostrae, non quid vocentur: et scies plura mala contingere nobis quam accidere. quotiens enim felicitatis et causa et initium fuit, quod calamitas vocabatur? quotiens magna gratulatione excepta res gradum sibi struxit in praeceps et aliquem iam eminentem adlevavit etiamnunc, 4 tamquam adhuc ibi staret, unde tuto cadunt? Sed ipsum illud cadere non habet in se mali quicquam, si exitum spectes, ultra quem natura neminem deiecit. prope est rerum omnium terminus: prope est, inquam, et illud, unde felix eicitur, et illud, unde infelix emittitur: nos utraque extendimus et longa spe ac metu facimus. sed si sapis, omnia humana condicione metire: simul et quod gaudes et quod times, contrahe. est autem tanti nihil diu gaudere, 5 ne quid diu timeas. Sed quare istuc malum adstringo? non est, quod quicquam timendum putes. vana sunt ista, quae nos movent, quae adtonitos habent. nemo nostrum, quid veri esset, excussit, sed metum alter alteri tradidit. nemo ausus est ad id, quo perturbabatur, accedere et naturam ac bonum timoris sui nosse. itaque res falsa et inanis habet adhuc fidem, quia 6 non coarguitur. Tanti putemus oculos intendere: iam adparebit, quam brevia, quam incerta, quam tuta timeantur. talis est animorum nostrorum confusio, qualis Lucretio visa est:

*nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, ita nos in luce timemus.*

- 7 Quid ergo? Non omni puero stultiores sumus, qui in luce timemus? Sed falsum est, Lucreti, non timemus in luce: omnia nobis fecimus tenebras. nihil videmus, nec quid noceat nec quid expediat. tota vita incursitamus nec ob hoc resistimus aut circumspicius pedem ponimus. vides autem, quam sit furiosa res in tenebris inpetus: at mehercules id agimus, ut longius revocandi simus, et cum ignoremus, quo feramur, velociter tamen illo, quo intendimus, perseveramus. Sed lucescere, si velimus,

potest: uno aulem modo potest, si quis hanc humanorum divinorumque notitiam acceperit, si illa se non perfuderit, sed infecerit, si eadem, quamvis sciat, retractaverit et ad se pertulerit, si quaesierit, quae sint bona, quae mala, quibus hoc falso sit nomen adscriptum, si quaesierit de honestis, de turpibus, de providentia. nec intra haec humani ingenii sagacitas sistitur: prospicere et ultra mundum libet, quo feratur, unde surrexerit, in quem exitum tanta rerum velocitas properet. Ab hac divina contemplatione abductum animum in sordida et humilia pertraximus, ut avaritiae serviret, ut relicto mundo terminisque eius et dominis cuncta versantibus terram rimaretur et quaereret, quid ex illa mali effoderet, non contentus oblati. Quicquid nobis bono futurum erat, deus¹⁰ et parens noster in proximo posuit. non expectavit inquisitionem nostram et ultro dedit: nocitura altissime pressit. nihil nisi de nobis queri possumus: ea, quibus periremus, nolente rerum natura et abscondente protulimus. addiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum est, tradidimus ambitioni et famae, ceteris aequae vanis et inanibus. Quid ergo nunc te hortor ut¹¹ facias? Nihil novi, — nec enim novis malis remedia quaeruntur, — sed hoc primum, ut tecum ipse dispicias, quid sit necessarium, quid supervacuum. necessaria tibi ubique occurrent: supervacua et semper et toto animo quaerenda sunt. Non est¹² autem, quod te nimis laudes, si contempseris aureos lectos et gemmeam suppellectilem. quae est enim virtus supervacua contemnere? tunc te admirare, cum contempseris necessaria. Non magnam rem facis, quod vivere sine regio adparatu potes, quod non desideras miliarios apros nec linguas phoenicopterorum et alia portenta luxuriae iam tota animalia fastidientis et certa membra ex singulis eligentis: tunc te admirabor, si non contempseris etiam sordidum panem, si tibi persuaseris herbam, ubi necesse est, non pecori tantum, sed homini nasci, si scieris cacumina arborum explementum esse ventris, in quem sic pretiosa congerimus tamquam recepta servantem. sine

fastidio inplendus est. quid enim ad rem pertinet, quid
 13 accipiat, perditurus, quicquid acceperit? Delectant te dis-
 posita, quae terra marique capiuntur, alia eo gratiora, si
 recentia perferuntur ad mensam, alia, si diu pasta et
 coacta pinguescere fluunt ac vix saginam continent suam.
 delectat te nidor horum arte quaesitus: at mehercules
 ista sollicite scrutata varieque condita cum subierint ven-
 trem, una atque eadem foeditas occupabit. vis ciborum
 14 voluptatem contemnere? exitum specta. Attalum memini
 cum magna admiratione omnium haec dicere:

„Diu, inquit, mihi inposuere divitiae: stupebam, ubi
 aliquid ex illis alio atque alio loco fulserat. existimabam
 similia esse, quae laterent, his, quae ostenderentur. Sed
 in quodam adparatu vidi totas opes urbis caelatas et auro
 et argento et his, quae pretium auri argentique vicerunt,
 exquisitos colores et vestes ultra non tantum nostrum,
 sed ultra finem hostium advectas: hinc puerorum perspi-
 cuos cultu atque forma greges, hinc feminarum et alia,
 quae res suas recognoscens summi imperii fortuna protu-
 15 lerat. Quid hoc est, inquam, aliud quam irritare cupidi-
 tates hominum per se incitatas? quid sibi vult ista pecu-
 niae pompa? ad descendam avaritiam convenimus: at
 mehercules minus cupiditatis istinc effero quam adtule-
 ram. contempsisti divitias, non quia supervacuae, sed quia
 16 pusillae sunt. Vidistine, quam intra paucas horas ille
 ordo quamvis lentus dispositusque transierit? hoc totam
 vitam nostram occupabit, quod totum diem occupare non
 potuit? Accessit illud quoque: tam supervacuae mihi visae
 17 sunt habentibus quam fuerunt spectantibus. Hoc itaque
 ipse mihi dico, quotiens tale aliquid praestrinxerit oculos
 meos, quotiens occurrit domus splendida, cohors culta
 servorum, lectica formosis inposita calonibus: quid mi-
 raris? quid stupes? pompa est. ostenduntur istae res,
 18 non possidentur et, dum placent, transeunt: ad veras po-
 tius te converte divitias. disce parvo esse contentus et
 illam vocem magnus atque animosus exclama: habemus
 aquam, habemus polentam: Iovi ipsi controversiam de felici-
 tate faciamus. faciamus, oro te, etiamsi ista defuerint.

turpe est beatam vitam in auro et argento reponere, aequè turpe in aqua et polenta. „Quid ergo faciam, si ista non 19 fuerint?“ Quaeris, quod sit remedium inopiae? famem famem finit: alioquin quid interest, magna sint an exigua, quae servire te cogant? quid refert, quantum sit, quod tibi possit negare fortuna? Haec ipsa aqua et polenta in 20 alienum arbitrium cadit: liber est autem non in quem parum licet fortunae, sed in quem nihil. Ita est: nihil desideres oportet, si vis Iovem provocare nihil desiderantem.“

Haec nobis Attalus dixit: natura omnibus dixit. quae si voles frequenter cogitare, id ages, ut sis felix, non ut videaris, et ut tibi videaris, non aliis. Vale.

EPISTULA II. (111.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quid vocentur Latine sophismata, quae- 1
sisti a me. Multi temptaverunt illis nomen inponere, nullum haesit. videlicet, quia res ipsa non recipiebatur a nobis nec in usu erat, nomini quoque repugnatum est. aptissimum tamen videtur mihi, quo Cicero usus est: cavillationes vocat, quibus quisquis se tradi- 2
dit, quaestiunculas quidem vafras neclit, ceterum ad vitam nihil proficit. neque fortior fit neque temperantior neque elatior: at ille, qui philosophiam in remedium suum exercuit, ingens fit animo, plenus fiduciae, inexcusable et maior adeunti. Quod in magnis 3
evenit montibus, quorum proceritas minus adparet longe intuentibus, cum accesseris, tunc manifestum fit, quam in arduo summa sint: talis est, mi Lucili, verus et rebus, non artificii philosophus: in edito stat admirabilis, celsus, magnitudinis verae. non exurgit in plantas nec summis ambulat digitis eorum more, qui mendacio staturam adjuvant longioresque quam sunt, videri volunt: contentus est magnitudine sua. Quidni contentus sit eo usque 4
crevisse, quo manus fortuna non porrigit? ergo et supra humana est et par sibi in omni statu rerum, sive secundo cursu vita procedit, sive fluctuatur per adversa ac difficilia: hanc constantiam cavillationes istae, de quibus paulo

ante loquebar, praestare non possunt. Iudit istis animus, non proficit et philosophiam a fastigio suo deducit in planum. Nec te prohibuerim aliquando ista agere, sed tunc, cum voles nihil agere. hoc tamen habent in se pessimum, dulcedinem quamdam sui faciunt et animum specie subtilitatis inductum tenent ac morantur, cum tanta rerum moles vocet, cum vix tota vita sufficiat, ut hoc unum discas, vitam contemnere. „Quid, regere?“ inquis. Secundum opus est: nam nemo illam bene rexit nisi qui contempserat. Vale.

EPISTULA III. (112.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Cupio mehercules amicum tuum formari, ut desideras, et institui: sed valde durus capitur, immo, quod est molestius, valde mollis capitur et consuetudine mala ac diutina fractus. volo tibi ex nostro artificio exemplum re-
2 ferre: non quaelibet insitionem vitis patitur: si vetus et exesa est, si infirma gracilisque, aut non recipiet surculum aut non alet nec adplicabit sibi nec in qualitatem eius naturamque transibit. itaque solemus supra terram praecidere, ut, si non respondit, temptari possit secunda fortuna et iterum repetita infra terram inseratur. Hic, de quo
3 scribis et mandas, non habet vires: indulsit vitiis. simul et emarcuit et induruit. non potest recipere rationem, non potest nutrire. „At cupit ipse.“ Noli credere. non dico illum mentiri tibi: putat se cupere. stomachum illi fecit
4 luxuria: cito cum illa redibit in gratiam. „Sed dicit se offendi vita sua.“ Non negaverim. quis enim non offenditur? homines vitia sua et amant simul et oderunt: tunc itaque de illo feremus sententiam, cum fidem nobis fecerit invisam iam sibi esse luxuriam: nunc illis male convenit. Vale.

EPISTULA IV. (113.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Desideras tibi scribi a me, quid sentiam de hac quaestione iactata apud nostros: an iustitia, fortitudo,

prudentia ceteraque virtutes animalia sint. Hac subtilitate effecimus, Lucili carissime, ut exercere ingenium inter inrita videremur et disputationibus nihil profuturis otium terere. Faciam, quod desideras, et quid nostris videatur, exponam. sed me in alia esse sententia profiteor. puto quaedam esse, quae deceant phaecasiatum palliatumque: quae sint ergo, quae antiquos moverint, dicam. Animum constat animal esse, cum ipse efficiat, ut ²simus animalia, [et] cum ab illo animalia nomen hoc traxerint. virtus autem nihil aliud est quam animus quodammodo se habens: ergo animal est. Deinde virtus agit aliquid. agi autem nihil sine inpetu potest. si inpetum habet, qui nulli est nisi animali, animal est. „Si animal ³est, inquit, virtus, habet ipsa virtutem.“ Quidni habeat se ipsam? quomodo sapiens omnia per virtutem gerit, sic virtus per se. „Ergo, inquit, et omnes artes animalia sunt et omnia, quae cogitamus quaeque mente complectimur. sequitur, ut multa milia animalium habitent in his angustiis pectoris et singuli multa simus animalia aut multa habeamus animalia.“ Quaeris, quid adversus istuc respondeatur? unaquaeque ex istis res animal erit: multa animalia non erunt. quare? dicam, si mihi adcommo-
 veris subtilitatem et intentionem tuam. Singula animalia ⁴singulas habere debent substantias. ista omnia unum animum habent. itaque singula esse possunt, multa esse non possunt. Ego et animal sum et homo, non tamen duos esse dices. quare? quia separati debent esse: ita dico, alter ab altero debet esse diductus, ut duo sint. ^PQuicquid in uno multiplex est, sub unam naturam cadit. ^Qitaque unum est. Et animus meus animal est et ego animal sum: duo ⁵tamen non sumus. quare? quia animus mei pars est. Tunc aliquid per se numerabitur, cum per se stabit: ubi vero alterius membrum erit, non poterit videri aliud. quare? dicam: quia quod aliud est, suum oportet esse et proprium et totum et intra se absolutum. Ego in alia esse ⁶me sententia professus sum. non enim tantum virtutes animalia erunt, si hoc recipitur, sed obposita quoque illis vitia et adfectus, tamquam ira, timor, luctus, suspicio.

- ultra res ista procedet: omnes sententiae, omnes cogitationes animalia erunt, quod nullo modo recipiendum est.
- 7 non enim quicquid ab homine fit, homo est. „Iustitia quid est?“ inquit. Animus quodammodo se habens. „Itaque si animus animal est, et iustitia.“ Minime. haec enim habitus animi est et quaedam vis. idem animus in varias figuras convertitur et non totiens animal aliud est, quotiens
- 8 aliud facit. nec illud, quod fit ab animo, animal est. Si iustitia animal est, si fortitudo, si ceterae virtutes, utrum desinunt esse animalia subinde aut rursus incipiunt, an semper sunt? desinere virtutes non possunt. ergo multa animalia, immo innumerabilia in hoc animo versantur.
- 9 „Non sunt, inquit, multa, quia ex uno religata sunt et partes unius ac membra sunt.“ Talem ergo faciem animi nobis proponimus, qualis est hydrae multa habentis capita, quorum unumquodque per se pugnat, per se nocet. atqui nullum ex illis capitibus animal est, sed animalis caput: ceterum ipsa unum animal est. Nemo in Chimaera leonem animal esse dixit aut draconem: hae partes erant
- 10 eius. partes autem non sunt animalia. Quid est, quo colligas iustitiam animal esse? „Agit, inquit, aliquid et prodest. quod autem agit [aliquid] et prodest, inpetum habet: quod autem inpetum habet, animal est.“ Verum est, si suum
- 11 inpetum habet: suum autem non habet, sed animi. Omne animal, donec moriatur, id est quod coepit: homo, donec moriatur, homo est, equus equus, canis canis. transire in aliud non potest: iustitia, id est animus quodammodo se habens, animal est. credamus: deinde animal est fortitudo, id est animus quodammodo se habens. quis animus? ille, qui modo iustitia erat? tenetur in priore animali, in aliud animal transire ei non licet: in eo illi, in quo primum
- 12 esse coepit, perseverandum est. Praeterea unus animus duorum esse animalium non potest, multo minus plurium. si iustitia, fortitudo, temperantia ceteraeque virtutes animalia sunt, quomodo unum animum habebunt? singuios
- 13 habeant oportet aut non sunt animalia. Non potest unum corpus plurium animalium esse. hoc et ipsi fatentur: iustitiae quod est corpus? animus. quid? fortitudinis quod est

corpus? idem animus. atqui unum corpus esse duorum animalium non potest. „Sed idem animus, inquit, iustitiae 14 habitum induit et fortitudinis et temperantiae.“ Hoc fieri posset, si, quo tempore iustitia esset, fortitudo non esset, quo tempore fortitudo esset, temperantia non esset: nunc vero omnes virtutes simul sunt. ita quomodo singulae erunt animalia, cum unus animus sit, qui plus quam unum animal non potest facere? Denique nullum animal pars 15 est alterius animalis. iustitia autem pars est animi: non est ergo animal. Videor mihi in re confessa perdere operam. magis enim indignandum de isto quam disputandum est: nullum animal alteri par est. circumspice omnium corpora: nulli non et color proprius est et figura sua et magnitudo. inter cetera, propter quae mirabile divini ar- 16 tificis ingenium est, hoc quoque existimo, quod in tanta copia rerum numquam in idem incidit: etiam quae similia videntur, cum contuleris, diversa sunt. tot fecit genera foliorum: nullum non sua proprietate signatum. tot animalia: nullius *imago tota* cum altero convenit, utique aliquid interest. exegit a se, ut, quae alia erant, et dissimilia essent et inparia: virtutes omnes, ut dicitis, pares sunt. ergo non sunt animalia. Nullum non animal per se ali- 17 quid agit: virtus autem per se nihil agit, sed cum homine. Omnia animalia aut rationalia sunt, ut homines, ut di, aut irrationalia, ut ferae, ut pecora: virtutes utique rationales sunt. atqui nec homines sunt nec di: ergo non sunt animalia. Omne rationale animal nihil agit, nisi primum 18 specie alicuius rei irritatum est, deinde impetum cepit, deinde adsensio confirmavit hunc impetum. quid sit adsensio, dicam: oportet me ambulare: tunc demum ambulo, cum hoc mihi dixi et adprobavi hanc opinionem meam. oportet me sedere: tunc demum sedeo [*cum in hoc adsensu*]. haec adsensio in virtute non est: puta enim pru- 19 dentiam esse, quomodo adsentietur? oportet me ambulare? hoc natura non recipit. prudentia enim ei, cuius est, prospicit, non sibi. nam nec ambulare potest nec sedere. ergo adsensionem non habet: quod adsensionem non habet, rationale animal non est. virtus si animal est, ratio-

- 20nale est. rationale autem non est: ergo nec animal. Si virtus animal est, virtus autem [*bonum est, omne autem aliud*] bonum non est, omne bonum animal est. hoc nostri fatentur. Patrem servare bonum est, et sententiam prudenter in senatu dicere bonum est, et iuste decernere bonum est: ergo et patrem servare animal est et prudenter sententiam dicere animal est: eo usque res exiit, ut risum tenere non possis: prudenter tacere bonum est. coenare
- 21bene bonum est: ita et tacere et coenare animal est. Ego mehercules titillare non desinam et ludos mihi ex istis subtilibus ineptiis facere. Iustitia et fortitudo, si animalia sunt, certe terrestria sunt. omne animal terrestre alget, esurit, sitit: ergo iustitia alget, fortitudo esurit, clementia
- 22sitit. Quid porro? non interrogabo illos, quam figuram habeant ista animalia? hominis, an equi, an ferae? si rotundam illis qualem deo dederint, quaeram, an et avaritia et luxuria et dementia aequae rotundae sint? sunt enim et ipsae animalia. si has quoque conrotundaverint, etiamnunc interrogabo, an prudens ambulatio animal sit? necesse est confiteantur. deinde dicant ambulationem
- 23animal esse et quidem rotundum. Ne putes autem me primum ex nostris non ex praescripto loqui, sed meae sententiae esse: inter Cleanthen et discipulum eius Chrysippum non convenit, quid sit ambulatio. * * Cleanthes ait spiritum esse a principali usque in pedes permissum, Chrysippus ipsum principale. Quid est ergo, cur non ipsius Chrysippi exemplo sibi quisque se vindicet et ista tot animalia, quot mundus ipse non potest capere, deri-
- 24deat? „Non sunt, inquit, virtutes multa animalia, et tamen animalia sunt. nam quemadmodum aliquis et poeta est et orator, et tamen unus, sic virtutes istae animalia sunt, sed multa non sunt. idem est animus et iustus et prudens et fortis, ad singulas virtutes quodammodo se habens.“
- 25Sublata est quaestio, convenit nobis. nam et ego interim fateor animum animal esse, postea visurus, quam de ista re sententiam feram: actiones eius animalia esse nego. alioquin et omnia verba erunt animalia et omnes versus. nam si prudens sermo bonum est, bonum autem omne

animal est: sermo ergo animal est. Prudens versus bonum est, bonum autem omne animal est: versus ergo animal est. ita

arma virumque cano

animal est, quod non possunt rotundum dicere, cum sex pedes habeat. „Textorium, inquis, totum mehercules 26 istud, quod cum maxime agitur.“ Dissilio risu, cum mihi propono soloecismum animal esse et barbarismum et syllogismum et aptas illis facies tamquam pictor adsigno. Haec disputamus adtractis superciliis, fronte rugosa. non possum hoc loco dicere illud Caecilianum: „O tristes ineptias!“ ridiculae sunt: quin itaque potius aliquid utile nobis ac salutare tractamus et quaerimus, quomodo ad virtutes venire possimus, quae nos ad illas via adducat. Doce me non an 27 fortitudo animal sit, sed nullum animal felix esse sine fortitudine, nisi contra fortuita convaluit et omnes casus, antequam exciperet, meditando praedomuit. Quid est fortitudo? munimentum humanae inbecillitatis inexpugnabile, quod qui circumdedit sibi, securus in hac vitae obsidione perdurat. utitur enim suis viribus, suis telis. Hoc loco 28 tibi Posidonii nostri referre sententiam volo: „Non est, quod unquam fortunae armis putes esse te tutum: tuis pugna. contra ipsam fortuna non armat: itaque contra hostes instructi, contra ipsam inermes sunt.“ Alexander 29 quidem Persas et Hyrcanos et Indos et quicquid gentium usque in oceanum extendit oriens vastabat fugabatque, sed ipse modo occiso amico, modo amisso iacebat in tenebris, alias scelus, alias desiderium suum moerens, victor tot regum atque populorum irae tristitiaque succumbens. id enim egerat, ut omnia potius haberet in potestate quam adfectus. O quam magnis homines tenen- 30 tur erroribus, qui ius dominandi trans maria cupiunt permittere felicissimosque se iudicant, si multas per milites provincias obtinent et novas veteribus adiungunt, ignari, quod sit illud ingens parque dis regnum: imperare sibi maximum imperium est. Doce[at] me, quam sacra 31 res sit iustitia alienum bonum spectans, nihil ex se petens

nisi usum sui. nihil sit illi cum ambitione famaue: sibi placeat. Hoc ante omnia sibi quisque persuadeat: me iustum esse gratis oportet: parum est. adhuc illud persuadeat sibi: me in hanc pulcherrimam virtutem ultro etiam inpendere iuvet. tota cogitatio a privatis commodis quam longissime aversa sit. non est quod spectes, quod
 32 sit iustae rei praemium: maius iniustae est. Illud adhuc tibi adfige, quod paulo ante dicebam: nihil ad rem pertinere, quam multi aequitatem tuam noverint. qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriae. Non vis esse iustus sine gloria? at mehercules saepe iustus esse debebis cum infamia. et tunc, si sapis, mala opinio bene parta delectet. Vale.

EPISTULA V. (114.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Quare quibusdam temporibus provenerit corrupti generis oratio quaeris et quomodo in quaedam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, ut aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta et in morem cantici ducta? quare alias sensus audaces et fidem egressi placuerint, alias abruptae sententiae et suspiciosae, in quibus plus intellegendum esset quam audiendum? quare aliqua aetas fuerit, quae translationis iure uteretur inverecunde? hoc quod audire volgo soles, quod apud Graecos in proverbium cessit: talis hominibus fuit oratio qualis vita. Quemadmodum autem uniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores, si disciplina civitatis laboravit et se in delicias dedit. argumentum est luxuriae publicae orationis lascivia, si modo non in uno
 2
 3 aut in altero fuit, sed adprobata est et recepta. Non potest alius esse ingenio, alius animo color: si ille sanus est, si compositus, gravis, temperans, ingenium quoque siccum ac sobrium est: illo vitiatum hoc quoque adflatur. non vides, si animus elanguit, trahi membra et pigre moveri pedes? si ille effeminatus est, in ipso incessu adparere mollitiam? si ille acer est et ferox, concitari gradum? si

furit aut, quod furori simile est, irascitur, turbatum esse corporis motum nec ire, sed ferri? quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totum animo permixtum est, ab illo fingitur, illi paret, inde legem petit. Quomodo 4 Maecenas vixerit notius est, quam ut narrari nunc debeat, quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. quid ergo? non oratio eius aequae soluta est quam ipse discinctus? non tam insignita illius verba sunt quam cultus, quam comitatus, quam domus, quam uxor? magni vir ingenii fuerat, si illud egisset via rectiore, si non vitasset intellegi, si non etiam in oratione diffliueret. videbis itaque eloquentiam ebrii hominis, involutam et errantem et licentiae plenam. MAECENAS DE CULTU SUO. Quid turpius? *Amne 5 silvisque ripa comantibus vide ut alveum lintribus arent. versoque vado remittunt hortos.* — Quid? si quis

*feminae cincinnos crispat et labris columbatur
incipit[que] suspirans, ut cervice lassa fanantur*
nemoris tyranni.*

Inremediabilis factio: rimantur epulis lagonaque temptant domos et spe mortem exigunt — Genium festo vix suo testem — tenuisve cerei fila et crepacem molam focum mater aut uxor investiunt.

Non statim, cum haec legeris, hoc tibi occurret, hunc 6 esse, qui solutis tunicis in urbe semper incesserit? nam etiam cum absentis Caesaris partibus fungeretur, signum a discincto petebatur: hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico coetu sic adparuerit, ut pallio velaretur caput exclusis utrimque auribus, non aliter quam in mimo divites fugitivi solent: hunc esse, cui tunc maxime civilibus bellis strepentibus et sollicita urbe et armata comitatus hic fuerit in publico, spadones duo, magis tamen viri quam ipse: hunc esse qui uxorem miliens duxit, cum unam habuerit. Haec verba tam inprobe structa, tam 7 neglegenter abiecta, tam contra consuetudinem omnium posita ostendunt mores quoque non minus novos et praevos et singulares fuisse. Maxima laus illi tribuitur mansuetudinis: pepercit gladio, sanguine abstinuit nec ulla

alia re, quid posset, quam licentia ostendit: hanc ipsam laudem suam corrumpit istis orationis portentosissimae delictis. adparet enim mollem fuisse, non mitem. hoc istae ambages compositionis, hoc verba transversa, hoc sensus, [mihi] magni quidem saepe, sed enervati, dum exeunt, cuivis manifestum facient: motum illi felicitate nimia caput. quod vitium hominis interdum esse, interdum temporis solet. Ubi luxuriam late felicitas fudit, *cultus* primum corporum esse diligentior incipit. deinde suppellectili laboratur. deinde in ipsas domos inpenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum respondeat nitor. deinde ad coenas lautitia transfertur et illic commendatio ex novitate et soliti ordinis commutatione captatur, ut ea, quae includere solent coenam, prima ponantur, ut, quae advenientibus 10 dabantur, exeuntibus dentur. Cum adsuevit animus fastidire, quae ex more sunt, et illi pro sordidis solita sunt, etiam in oratione quod novum est, quaerit et modo antiqua verba atque exoleta revocat ac profert, modo fingit et ignota ac deflectit, modo, id quod nuper increbruit, pro cultu habetur audax translatio ac 11 frequens. Sunt qui sensus praecedant et hoc gratiam sperent, si sententia pependerit et audienti suspicionem sui fecerit. sunt qui illos detineant et porrigant. sunt qui non usque ad vitium accedant, necesse est enim hoc facere aliquid grande temptanti, sed qui ipsum vitium ament. itaque ubicumque videris orationem corruptam placere, ibi mores quoque a recto descivisse non erit dubium. quomodo conviviorum luxuria, quomodo vestium aegrae civitatis indicia sunt, sic orationis licentia, si modo frequens est, ostendit animos quoque, a quibus verba 12 exeunt, procidisse. Mirari quidem non debes corrupta excipi non tantum a corona sordidiore, sed ab hac quoque turba cultiore. togis enim inter se isti, non iudiciis distant: hoc magis mirari potes, quod non tantum vitiosa, sed vitia laudentur. nam illud semper factum est: nullum sine venia placuit ingenium. da mihi, quemcumque

vis, magni nominis virum: dicam, quid illi aetas sua igno-
 verit, quid in illo sciens dissimulaverit. multos tibi dabo,
 quibus vitia non nocuerint, quosdam, quibus profuerint.
 dabo, inquam, maximae famae et inter admiranda propo-
 sitos, quos, si quis corrigit, delet: sic enim vitia virtutibus
 inmixta sunt, ut illas secum tractura sint. Adice nunc, 13
 quod oratio certam regulam non habet: consuetudo illam
 civitatis, quae numquam in eodem diu stetit, versat: multi
 ex alieno seculo petunt verba: duodecim tabulas loquun-
 tur. Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et re-
 centes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanium redeunt:
 quidam contra, dum nihil nisi tritum et usitatum volunt,
 in sordes incidunt. Utrumque diverso genere corruptum 14
 est, tam mehercules quam nolle nisi splendidis uti ac so-
 nantibus et poeticis, necessaria atque in usu posita vitare.
 tam hunc dicam peccare quam illum: alter se plus iusto
 colit, alter plus iusto neglegit. ille et crura, hic ne alas
 quidem vellit. Ad compositionem transeamus: quot ge- 15
 nera tibi in hac dabo, quibus peccetur? quidam praefrac-
 tam et asperam probant. disturbant de industria, si quid
 placidius effluxit. nolunt sine salebra esse iuncturam.
 virilem putant et fortem, quae aurem inaequalitate per-
 cutiat. quorundam non est compositio, modulatio est:
 adeo blanditur et molliter labitur. Quid de illa loquar, 16
 in qua verba differuntur et diu exspectata vix ad clausu-
 las redeunt? quid illa in exitu lenta, qualis Ciceronis est,
 devexa et molliter detinens nec aliter quam solet, ad mo-
 rem suum pedemque respondens? Non tantum in genere
 sententiarum vitium est, si aut pusillae sunt et pueriles
 aut improbae et plus ausae quam pudore salvo licet: sed
 si floridae sunt et nimis dulces, si in vanum exeunt et
 sine effectu nihil amplius quam sonant. Haec vitia unus 17
 aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est: ceteri imi-
 tantur et alter alteri tradunt: sic Sallustio vigente anpu-
 tatae sententiae et verba ante exspectatum cadentia et
 obscura brevitatis fuere pro cultu. L. Arruntius, vir ra-
 rae frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit,
 fuit Sallustianus et in illud genus nitens. Est apud

- Sallustium: *exercitum argento fecit*, id est, pecunia paravit. hoc Arruntius amare coepit: posuit illud omnibus paginis. dicit quodam loco: *fugam nostris fecere*. alio loco: *Hiero, rex Syracusanorum, bellum fecit*. et alio loco: *Quae audita Panhormitanos dedere Romanis fecere*.
- 18 Gustum tibi dare volui: totus his contextitur liber. quae apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt et paene continua, nec sine causa: ille enim in haec incidebat, at hic illa quaerebat. vides autem, quid sequatur,
- 19 ubi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Sallustius: *aquīs hiemantibus*. Arruntius in primo libro belli Punici ait: *repente hiemavit tempestas*. et alio loco cum dicere vellet frigidum annum fuisse, ait: *totus hiemavit annus*. et alio loco: *Inde sexaginta onerarias leves praeter militem et necessarios nautarum hiemante aquilone misit*. non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco dicit Sallustius: *Inter arma civilia aequi bonique famas petit*. Arruntius non temperavit, quo minus primo statim libro
- 20 poneret: *ingentes esse famas de Regulo*. Haec ergo et eiusmodi vitia, quae alicui inpressit imitatio, non sunt indicia luxuriae nec animi corrupti: propria enim esse debent et ex ipso nata, ex quibus tu aestimes alicuius affectus: iracundi hominis iracunda oratio est, commoti
- 21 nimis incitata, delicati tenera et fluxa. Quot vides istos sequi, qui aut vellunt barbam aut intervellunt, qui labra pressius tondent et abradunt servata et submissa cetera parte, qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucen-tem togam, qui nolunt facere quicquam, quod hominum oculis transire liceat? iniritant illos et in se advertunt. volunt vel reprehendi, dum conspici: talis est oratio Maecenatis omniumque aliorum, qui non casu errant sed
- 22 scientes volentesque. Hoc a magno animi malo oritur: quomodo in vino non ante lingua titubat quam mens cessit oneri et inclinata vel perdita est: ita ista oratio, quid aliud quam ebrietas? nulli molesta est, nisi animus labat: ideo ille curetur: ab illo sensus, ab illo verba exeunt, ab illo nobis est habitus, voltus, incessus. illo sano ac valente oratio* quoque robusta,

fortis, virilis est: si ille procubuit, et cetera ruinam sequuntur.

Rege incolumi mens omnibus una est: 23
amisso rupere fidem.

Rex noster est aninus: hoc incolumi cetera manent in officio, parent, obtemperant: cum ille paulum vacillavit, simul dubitant. cum vero cessit voluptati, artes quoque eius actusque marcent et omnis ex languido fluvidoque conatus est. Quoniam hac similitudine usus sum, perse- 24
verabo: animus noster modo rex est, modo tyrannus: rex, cum honesta intuetur, salutem commissi sibi corporis curat et illi nihil imperat turpe, nihil sordidum. ubi vero inpotens, cupidus, delicatus est, transit in nomen detestabile ac dirum et fit tyrannus: tunc illum excipiunt adfectus inpotentes. et instant, qui initio quidem gaudent, ut solet populus largitione nocitura frustra plenus, et quae non potest haurire, contrectans. Cum vero magis ac 25
magis vires morbus exedit et in medullas nervosque descendere deliciae, conspectu eorum, quibus se nimia aviditate inutilem reddidit, laetus, pro suis voluptatibus habet alienarum spectaculum, subministrator libidinum testisque, quarum usum sibi ingerendo abstulit. nec illi tam gratum est abundare iucundis, quam acerbum, quod non omnem illum adparatum per gulam ventremque transmittit, quod non cum omni exoletorum feminarumque turba convolutatur, moeretque, quod magna pars suae felicitatis exclusa corporis angustiis cessat. Numquid 26
enim, mi Lucili, in hoc furor non est, quod nemo nostrum mortalem se cogitat? quod nemo inbecillum? immo [in illo] quod nemo nostrum unum esse se cogitat? adspice culinas nostras et concursantis inter tot ignes coquos: unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus? adspice veteraria nostra et plena multorum seculorum vindemiis horrea: unum putas videri ventrem, cui tot consulum regionumque vina cluduntur? adspice, quot locis vertatur terra, quot milia colonorum arent, fodiant: unum videri putas ventrem, cui et in Sicilia et in Africa seritur? Sani erimus et modica concupiscemus, si unus- 27

quisque se numeret. metiatur simul corpus: sciet, quam nec multum capere nec diu possit. nihil tamen aequè tibi profuerit ad temperantiam omnium rerum quam frequens cogitatio brevis aevi et huius incerti: quicquid facies, respice ad mortem. Vale.

EPISTULA VI. (115.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Nimis anxium esse te circa verba et compositionem, mi Lucili, nolo: habeo maiora, quae cures. quaere, quid scribas, non quemadmodum. et hoc ipsum non ut scribas, sed ut sentias, ut illa, quae senseris, magis adplices tibi et velut signes. Cuiuscumque orationem videris sollicitam et politam, scito animum quoque non minus esse pusillis occupatum: magnus ille remissius loquitur et securius. quaecumque dicit, plus habent fiduciae quam curae. Nosti conplures iuvenes barba et coma nitidos, de capsula totos: nihil ab illis speraveris forte, nihil solidum. Oratio cultus animi est: si circumtonsa est et fucata et manu facta, ostendit illum quoque non esse sincerum et habere aliquid fracti.
- 3 non est ornamentum virile concinnitas. Si nobis animum boni viri liceret inspicere, o quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus, hinc iustitia, illinc fortitudine, hinc temperantia prudentiaque lucentibus! praeter has frugalitas et continentia et tolerantia et liberalitas comitasque et, quis credat? in homine rarum humanitas bonum, splendorem illi suum adfunderent. tunc providentia cum elegantia et ex istis magnanimitas eminentissima quantum, di boni, decoris illi, quantum ponderis gravitatisque adderent! quanta esset cum gratia auctoritas! nemo illam amabilem, qui non simul venerabilem diceret.
- 4 Si quis viderit hanc faciem altiore fulgentioreque quam cerni inter humana consuevit, nonne velut numinis occurso obstupefactus resistat et, ut fas sit vidisse, tacitus precetur? tum evocante ipsa voltus beni-

gnitate productus adoret ac supplicet, et diu contemplatus multum exstantem superque mensuram solitorum inter nos adspici elatam, oculis mite quiddam, sed nihilominus vivido igne flagrantibus, tunc deinde illam Vergilii nostri vocem verens atque adtonitus emittat?

*O quam te memorem virgo? namque haud tibi voltus 5
mortalis nec vox hominem sonat.*

Sis felix nostrumque leves quaecumque laborem.

aderit levabitque, si colere eam voluerimus. colitur autem non taurorum opimis corporibus contrucidatis nec auro argentoque suspenso nec in thesaurus stipe infusa, sed pia et recta voluntate. Nemo, inquam, non amore eius 6 arderet, si nobis illam videre contingeret: nunc enim multa obstrigillant et aciem nostram aut splendore nimio re-percutiunt aut obscuro retinent. sed si, quemadmodum visus oculorum quibusdam medicamentis acui solet et re-purgari, sic nos aciem animi liberare impedimentis vo-luerimus, poterimus perspicere virtutem etiam obrutam corpore, etiam paupertate obposita, etiam hu-militate et infamia obiacentibus. Cernemus, inquam, 7 pulchritudinem illam quamvis sordido obtectam: rursus aequae malitiam et aerumnosi animi veterum perspicie-mus, quamvis multus circa divitiarum radiantium splendor impediatur et intuentem hinc honorum, illinc magnarum po-testatum falsa lux verberet. Tunc intellegere nobis 8 ticebit, quam contemnenda miremur, simillimi pueris, quibus omne ludicrum in pretio est: parentibus quippe nec minus fratribus praeferunt parvo aere empta monilia. quid ergo inter nos et illos interest, ut Ariston ait, nisi quod nos circa tabulas et statuas insanimus ca-zius inepti? illos reperti in litore calculi laeves et aliquid habentes varietatis delectant, nos ingentium maculae col-umnarum, sive ex Aegyptiis arenis sive ex Africae soli-tudinibus advectae porticum aliquam vel capacem populi coenationem ferunt. Miramur parietes tenui marmore 9 inductos, cum sciamus, quale sit quod absconditur. oculis nostris inponimus, et cum auro tecta perfudimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? scimus enim sub

- illo auro foeda ligna latitare. nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue praetenditur: omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est: inspicere, et scies, sub ista tenui membrana dignitatis
- 10 quantum mali iaceat. Haec ipsa res, quae tot magistratus, tot iudices detinet, quae et magistratus et iudices facit, pecunia, ex quo in honore esse coepit, verus rerum honor cecidit, mercatoresque et venales invicem facti quaerimus non quale sit quidque, sed quanti: ad mercedem pii sumus, ad mercedem impii, et honesta, quamdiu aliqua illis spes inest, sequimur, in contrarium transituri,
- 11 si plus scelera promittent. Admirationem nobis parentes auri argentique fecerunt et teneris infusa cupiditas altius sedit crevitque nobiscum. deinde totus populus in alia discors in hoc convenit. hoc suspiciunt, hoc suis optant, hoc dis velut rerum humanarum maximum, cum grati videri volunt, consecrant. denique eo mores redacti sunt, ut paupertas maledicto probroque sit, contempta divitibus, invisita pauperibus.
- 12 Accedunt deinde carmina poetarum, quae adfectibus nostris facem subdant, quibus divitiae velut unicum vitae decus ornamentumque laudantur. nihil illis melius nec dare videntur di immortales posse nec habere.

- 13 *Regia Solis erat sublimibus alta columnis
clara micante auro*

eiusdem currum adspice:

*aureus axis erat, temo aureus, aurea summae
curvatura rotae, radiorum argenteus ordo.*

- Denique quod optimum videri volunt seculum, aureum
- 14 adpellant. Nec apud Graecos tragicos desunt, qui lucro innocentiam, salutem, opinionem bonam mutant.

Sine me vocari pessimum, ut dives vocer.

An dives, omnes quaerimus, nemo, an bonus.

Non quare et unde, quid habeas, tantum rogant.

Ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.

Quid habere nobis turpe sit quaeris? nihil.

Aut dives opto vivere aut pauper mori.

Bene moritur, quisquis moritur, dum lucrum facit.

*Pecunia, ingens generis humani bonum,
cui non voluptas matris aut blandae potest
par esse prolis, non sacer meritis parens:
tam dulce si quid Veneris in voltu micat,
merito illa amores coelitem atque hominum movet.*

Cum hi novissimi versus in tragoedia Euripidis pronun- 15
tati essent, totus populus ad eiciendum et actorem et
carmen consurrexit uno inpetu, donec Euripides in me-
dium ipse prosilivit petens, ut *exspectarent viderentque*,
quem admirator auri exitum faceret: dabat in illa fabula
poenas Bellerophontes, quas in sua quisque dat. nulla 16
enim avaritia sine poena est, quamvis satis sit
ipsa poenarum. o quantum lacrimarum, quantum
laborum exigit! quam misera desideratis, quam misera
partis est! adice cotidianas sollicitudines, quae pro
modo habendi quemque discruciant. maiore tormento
pecunia possidetur quam quaeritur. quantum damnis in-
gemescunt, quae et magna incidunt et videntur maiora!
denique ut illis fortuna nihil detrahat, quicquid non ad-
quiritur, damnum est. „At felicem illum homines et di- 17
vitem vocant et consequi optant, quantum ille possidet.“
Fateor. quid ergo? tu ullos esse condicionis peioris exi-
stimas quam qui habent et miseriam et invidiam? utinam
qui divitias optaturi essent, cum divitibus deliberarent!
utinam honores petaturi cum ambitiosis et summum adeptis
dignitatis statum! profecto vota mutassent, cum interim
illi nova suspiciunt, cum priora damnaverint. nemo enim
est, cui felicitas sua, etiamsi cursu venit, satisfaciat. que-
runtur et de consiliis et de processibus suis maluntque
semper, quae reliquerunt. Itaque hoc tibi philoso- 18
phia praestabit, quo equidem nihil maius existimo:
numquam te poenitebit tui. Ad hanc tam solidam
felicitatem, quam tempestas nulla concutiat, non perducent
te apte verba contexta et oratio fluens leniter: eant, ut vo-
lent, dum animo compositio sua constet, dum sit magnus et
opinionum securus et ob ipsa, quae aliis displicent, sibi
placens, qui profectum suum vita aestimet et tantum scire
se iudicet, quantum non cupit, quantum non timet. Vale.

EPISTULA VII. (116.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Utrum satius sit modicos habere adfectus
 an nullos, saepe quaesitum est: nostri illos expellunt.
 Peripatetici temperant. ego non video, quomodo salubris
 esse aut utilis possit ulla mediocritas morbi. Noli timere:
 nihil eorum, quae tibi non vis negari, eripio. facilem me
 indulgentemque praebebo rebus, ad quas tendis et quas
 aut necessarias vitae aut utiles aut iucundas putas: de-
 traham vitium. nam cum tibi cupere interdixero,
 velle permittam, ut eadem illa intrepidus facias, ut
 certiore consilio, ut voluptates ipsas magis sentias:
 quidni ad te magis perventurae sint, si illis imperabis,
 2 quam si servies? „Sed naturale est, inquis, ut desiderio
 amici torquear. da ōus lacrimis tam iuste cadentibus. nat-
 urale est opinionibus hominum tangi et adversis contri-
 stari: quare mihi non permittas hunc tam honestum malae
 opinionis metum?“ Nullum est vitium sine patrocinio.
 nulli non initium verecundum est et exorabile: sed ab
 hoc latius funditur. non obtinebis, ut desinat, si incipere
 3 permiseris. Inbecillus est primo omnis adfectus. deinde
 ipse se concitat et vires, dum procedit, parat: excluditur
 facilius quam expellitur. Quis negat omnis adfectus a
 quodam quasi naturali fluere principio? curam nobis
 nostri natura mandavit, sed huic ubi nimium indulseris,
 vitium est. voluptatem natura necessariis rebus admi-
 scuit, non ut illam peteremus, sed ut ea, sine quibus non
 possumus vivere, gratiora nobis illius faceret accessio:
 [si] suo veniat iure, luxuria est. Ergo intransibilibus re-
 sistamus, quia facilius, ut dixi, non recipiuntur
 4 quam exeunt. „Aliquatenus, inquis, dolere, aliquate-
 nus timere permitte.“ Sed illud aliquatenus longe
 producit nec ubi vis, accipit finem. sapienti non solli-
 cite custodire se tutum est: et lacrimas suas et voluptates,
 ubi volet, sistet: nobis quia non est regredi facile, opti-
 5 mum est omnino non progredi. Eleganter mihi videtur
 Panaetius respondisse adulescentulo cuidam quaerenti,

an sapiens amaturus esset: de sapiente, inquit, videbimus: mihi et tibi, qui adhuc a sapiente longe absumus, non est committendum, ut incidamus in rem commotam, inpotentem, alteri emancipatam, vilem sibi. sive enim nos respicit, humanitate eius inritamur, sive contempsit, superbia accendimur. aequae facilitas amoris quam difficultas nocet: facilitate capimur, cum difficultate certamus. Itaque conscii nobis inbecillitatis nostrae quiescamus.“ †† Quod Panaetius de amore quaerenti respondit, hoc ego de 6 omnibus adfectibus dico: † nec vino infirmum animum committamus nec formae nec adulationi nec ullis rebus blande trahentibus. † quantum possumus [nos], a lubrico recedamus: in sicco quoque parum fortiter stamus. Oc- 7 cures hoc loco mihi illa publica contra Stoicos voce: „nimis magna promittitis, nimis dura praecipitis. Nos homunciones sumus, omnia nobis negare non possumus: dolebimus, sed parum. concupiscemus, sed temperate. irascemur, sed placabimur.“ Scis, quare? non possu- 8 mus ista, quia nos posse non credimus. immo mehercules aliud est in re: vitia nostra quia amamus, defendimus et malumus excusare illa quam excutere. Satis natura homini dedit roboris, si illo utamur, si vires nostras colligamus ac totas pro nobis, certe non contra nos concitemus: nolle in causa est, non posse praetenditur. Vale.

EPISTULA VIII. (117.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Multum mihi negotii concinnabis et, dum nescis, in 1 magnam me litem ac molestiam inpinges, qui mihi tales quaestiunculas ponis, in quibus ego nec dissentire a nostris salva gratia nec consentire salva conscientia possum: quaeris, an verum sit, quod Stoicis placet, sapientiam bonum esse, sapere bonum non esse. Primum exponam, quid Stoicis videatur. deinde tunc dicere sententiam audebo. Placet nostris, 2 quod bonum est, corpus esse, quia, quod bonum est, facit: quicquid facit, corpus est. quod bonum est, prodest. faciat autem aliquid oportet, ut prosit: si facit, corpus

est. sapientiam bonum esse dicunt: sequitur, ut necesse
 3 sit illam corporalem quoque dicere. At sapere non putant eiusdem condicionis esse. incorporale est et accidens alteri, id est sapientiae: itaque nec facit quicquam nec prodest. „Quid ergo? inquit, non dicimus, bonum est sapere? dicimus referentes ad id, ex quo pendet, id est,
 4 ad ipsam sapientiam.“ Adversus hos quid ab aliis respondeatur, audi, antequam ego incipio secedere et in alia parte considerare. „Isto modo, inquit, nec beate vivere bonum est.“ velint nolint, respondendum est beatam vitam bonum esse, beate vivere bonum non esse.
 5 Etiamnunc nostris illud quoque obponitur: „Vultis sapere. ergo expetenda res est sapere. si expetenda res est, bonum est.“ Coguntur nostri verba torquere et unam syllabam expetendo interponere, quam sermo noster inseri non sinit. ego illam, si pateris, adiungam. „Expetendum est, inquit, quod bonum est: expetibile, quod nobis contingit, cum bonum consecuti sumus. non petitur
 6 tamquam bonum, sed petito bono accedit.“ Ego non idem sentio et nostros iudico in hoc descendere, quia iam primo vinculo tenentur et mutare illis formulam non licet. Multum dare solemus praesumptioni omnium hominum et apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri: tamquam deos esse inter alia hoc colligimus, quod omnibus insita de dis opinio est nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque proiecta, ut non aliquos deos credat. cum animarum aeternitatem
 disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium: utor hac publica persuasione: neminem invenies, qui non putet et sapientiam bonum et sapere bonum. Non faciam,
 7 quod victi solent, ut provocem ad populum: nostris incipiamus armis configere. Quod accidit alicui, utrum extra id, cui accidit, est, an in eo, cui accidit? si in eo est, cui accidit, tam corpus est quam illud, cui accidit. nihil enim accidere sine tactu potest: quod tangit, corpus est. Si extra est, posteaquam acciderat, recessit. quod recessit, motum habet. quod motum habet, corpus est.

Speras me dicturum non esse aliud cursum, aliud currere 8
nec aliud calorem, aliud calere nec aliud lucem, aliud lu-
cere: concedo ista alia esse, sed non sortis alterius. si
valitudo indifferens est, bene valere indifferens est. si
forma indifferens est, et formosum esse. si iustitia bonum
est, et iustum esse. si turpitude malum est, et turpem esse
malum est, tam mehercules quam, si lippitudo malum est,
et lippire quoque malum est: hoc ut scias, neutrum esse
sine altero potest: qui sapit, sapiens est. qui sapiens est,
sapit: adeo non potest dubitari, an, quale illud sit, tale
hoc sit, ut quibusdam utrumque unum videatur atque
idem. Sed illud libenter quaesierim, cum omnia aut mala 9
sint aut bona aut indifferentia, sapere in quo numero sit?
bonum negant esse. malum utique non est: sequitur ut
medium sit. id autem medium atque indifferens vocamus,
quod tam malo contingere quam bono possit, tamquam
pecunia, forma, nobilitas: hoc, ut sapiat, contingere nisi
bono non potest: ergo indifferens non est. Atqui ne
malum quidem est, quod contingere malo non potest:
ergo bonum est. Quod nisi bonus non habet, bonum est.
sapere non nisi bonus habet: ergo bonum est. „Accidens 10
est, inquit, sapientiae.“ Hoc ergo, quod vocas sapere,
utrum facit sapientiam an patitur? sive facit illud sive
patitur, utroque modo corpus est. nam et quod fit et quod
facit, corpus est: si corpus est, bonum est. unum enim
illi deerat, quo minus bonum esset, quod incorporale erat.
Peripateticis placet nihil interesse inter sapientiam et sa- 11
pere, cum in utrolibet eorum et alterum sit. numquid
enim quemquam existimas sapere, nisi qui sapientiam
habet? numquid quemquam, qui sapit, non putas habere
sapientiam? Dialectici veteres ista distinguunt: ab illis 12
divisio usque ad Stoicos venit. qualis sit haec, dicam:
aliud est ager, aliud agrum habere, quidni? cum habere
agrum ad habentem, non ad agrum pertineat. sic aliud
est sapientia, aliud sapere. puto concedes duo esse haec,
id, quod habetur, et eum, qui habet: habetur sapientia.
habet qui sapit. sapientia est mens perfecta vel ad sum-
mum optimumque perducta. ars enim vitae est. sapere

quid est? non possum dicere mens perfecta, sed id, quod contingit perfectam mentem habenti: ita alterum est mens
 13 bona, alterum quasi habere mentem bonam. „Sunt, inquit, naturae corporum, tamquam hic homo est, hic equus: has deinde sequuntur motus animorum enuntiativi corporum. hi habent proprium quiddam et a corporibus seductum: tamquam video Catonem ambulantem. hoc sensus ostendit, animus credit. corpus est, quod video, cui et oculos intendi et animum. dico deinde: Cato ambulat. non corpus, inquit, est, quod nunc loquor, sed enuntiativum quiddam de corpore, quod alii effatum vocant, alii enuntiatum, alii edictum. Sic cum dicimus sapientiam, corporale quiddam intellegimus: cum dicimus sapit, de corpore loquimur. plurimum autem interest, utrum illud dicas an de illo.“ Putemus in praesentia ista duo esse. nondum enim, quid mihi videatur, pronuntio: quid prohibet, quo minus aliud quidem sit, sed nihilo minus bonum? Dicebas paulo ante aliud esse agrum, aliud habere agrum. quidni? in alia enim natura est, qui habet, in alia, quod habetur: illa terra est, hic homo est. at in hoc, de quo agitur, eiusdem naturae sunt utraque, et qui habet sapientiam, et ipsa [quae habetur].
 15 Praeterea illic aliud est, quod habetur, alius, qui habet: hic in eodem est et quod habetur et qui habet. ager iure possidetur, sapientia natura. ille abalienari potest et alteri tradi, haec non discedit a domino. non est itaque, quod compares inter se dissimilia. Coeperam dicere posse ista duo esse et tamen utraque bona, tamquam sapientia et sapiens duo sunt et utrumque bonum esse concedis. quomodo nihil obstat, quo minus et sapientia bonum sit et habens sapientiam, sic nihil obstat, quo minus et sapientia bonum sit et habere sapientiam, id est
 16 sapere. Ego in hoc volo sapiens esse, ut sapiam. quid ergo? non est id bonum, sine quo nec illud bonum est? vos certe dicitis sapientiam, si sine usu detur, accipiendam non esse: quid est usus sapientiae? sapere: hoc est in illa pretiosissimum, quo detracto supervacua fit. Si tormenta mala sunt, torqueri malum est, adeo quidem,

ut illa non sint mala, si, quod sequitur, detraxeris. Sapientia habitus perfectae mentis est, sapere usus perfectae mentis: quomodo potest usus eius bonum non esse, quae sine usu bonum *non* est? Interrogo te, an sapientia ex-17 petenda sit? fateris. interrogo, an usus sapientiae expetendus sit? fateris. negas enim te illam recepturum, si uti ea prohibearis: quod expetendum est, bonum est. sapere sapientiae usus est, quomodo eloquentiae eloqui, quomodo oculorum videre: ergo sapere sapientiae usus est. usus autem sapientiae expetendus est: sapere ergo expetendum est. si expetendum est, bonum est.

Olim ipse me damno, qui illos imitor, dum accuso, et 18 verba apertae rei inpendo. cui enim dubium potest esse, quin, si aestus malum est, et aestuare malum sit? si algor malum est, malum sit algere? si vita bonum est, et vivere bonum sit. omnia ista circa sapientiam, non in ipsa sunt: at nobis in ipsa commorandum est. Etiam si quid evagari 19 libet, amplos habet illa spatiososque secessus: de deorum natura quaeramus, de siderum alimento, de his tam variis stellarum discursibus: an ad illarum motus nostra moveantur, an corporibus omnium animisque illinc inpetus veniat, an et haec, quae fortuita dicuntur, certa lege constricta sint nihilque in hoc mundo repentinum aut expers ordinis volutetur: ista iam a formatione morum recesserunt, sed levant animum et ad ipsarum, quas tractat, rerum magnitudinem adtollunt: haec vero, de quibus paulo ante dicebam, minuunt et deprimunt nec, ut putatis, exacuunt, sed extenuant. Obsecro vos, tam necessariam 20 curam maioribus melioribusque debitam in re nescio an falsa, certe inutili terimus? quid mihi profuturum est scire, an aliud sit sapientia, aliud sapere? quid mihi profuturum est scire illud bonum esse [*hoc non esse*]? Temere me geram, subibo huius voti aleam: tibi sapientia, mihi sapere contingat: pares erimus. Potius id age, ut mihi 21 viam monstres, qua ad ista perveniam. dic, quid vitare debeam, quid adpetere. quibus animum labantem studiis firmem. quemadmodum, quae me ex transverso feriunt aguntque, procul a me repellam. quomodo par esse tot

malis possim. quomodo istas calamitates removeam, quae ad me intruperunt, quomodo illas, ad quas ego intrupi. Doce, quomodo feram aerumnam sine gemitu meo, felicitatem sine alieno. quomodo ultimum [ac] necessarium [vitae terminum] non exspectem, sed ipsemet, cum visum
 22 erit, profugiam. Nihil mihi videtur turpius quam optare mortem. nam si[ve] vis vivere, quid optas mori? sive non vis, quid deos rogas, quod tibi nascenti dederunt? nam ut quandoque moriaris, etiam invito positum est, ut cum voles, in tua manu est. alterum tibi necesse est, al-
 23 terum licet. Turpissimum his diebus principium diserti mehercules viri legi: „*Ita*, inquit, *quamprimum moriar.*“ homo demens, optas rem tuam. „*Ita quamprimum moriar.*“ fortasse inter has voces senex factus es. alioquin quid in mora est? nemo te tenet: evade, qua visum est. elige quamlibet rerum naturae partem, quam tibi praebere exitum iubeas: haec nempe sunt [et elementa], quibus hic mundus administratur, aqua, terra, spiritus: omnia ista
 24 tam causae vivendi sunt quam viae mortis. „*Ita quamprimum moriar*“: quamprimum istud quid esse vis? quem illi diem ponis? citius fieri quam optas, potest. Inbecillae mentis ista sunt verba et hac detestatione misericordiam captantis: non vult mori, qui optat. deos vitam et salutem roga: si mori placuit, hic mortis est fructus,
 25 optare desinere. Haec, mi Lucili, tractemus, his formemus animum. hoc est sapientia, hoc est sapere, non disputatiunculis inanibus subtilitatem vanissimam agitare. Tot quaestiones fortuna tibi posuit: nondum illas solvisti: iam cavillaris? quam stultum est, cum signum pugnae acceperis, ventilare. remove ista lusoria arma: decretoriis opus est. dic, qua ratione nulla animum tristitia, nulla formido perturbet, qua ratione hoc secretarum cupidita-
 26 tum pondus effundam. agatur aliquid. „Sapientia bonum est, sapere non est bonum“: sic fit, [ut] negemur sapere, ut hoc totum studium derideatur tamquam operatum supervacuis. Quid, si scires etiam illud quaeri, an bonum sit futura sapientia? quid enim dubii est, oro te, an nec messem futuram iam sentiant horrea nec futuram

adulescentiam pueritia viribus aut ullo robore intellegat? aegro interim nil ventura sanitas prodest, non magis quam currentem luctantemque post multos secuturum menses otium reficit. Quis nescit, hoc ipso non esse bonum id, 27 quod futurum est, quia futurum est? nam quod bonum est, utique prodest. nisi praesentia prodesse non possunt: si non prodest, bonum non est. si prodest, iam est. Futurus sum sapiens: hoc bonum erit, cum fuero: interim non est. prius aliquid esse debet, deinde quale esse. Quomodo, oro te, quod adhuc nihil est, iam bonum est? 28 quomodo autem tibi magis vis probari non esse aliquid, quam si dixero: futurum est? nondum enim venisse adparet, quod venit. Ver secuturum est: scio nunc hiemem esse. aestas secutura est: scio aestatem non esse. maximum argumentum habeo nondum praesentis futurum esse. Sapiam: spero, sed interim non sapio. si illud 29 bonum haberem, iam hoc carerem malo. futurum est, ut sapiam: ex hoc licet nondum sapere me intellegas. non possum simul et in illo bono et in hoc malo esse. duo ista non coeurt nec apud eundem sunt una malum et bonum. Transcurramus sollertissimas nugae 30 et ad illa, quae nobis aliquam opem sunt la-tura, properemus. Nemo, qui obstetricem parturienti filiae sollicitus accersit, edictum et ludorum ordinem perlegit. nemo, qui ad incendium domus suae currit, tabulam latrunculariam prospicit, ut sciat, quomodo adligatus exeat calculus: at mehercule omnia tibi undique nun- 31 tiantur, et incendium domus et periculum liberorum et obsidio patriae et bonorum direptio. adice isto naufragia motusque terrarum et quicquid aliud timeri potest: inter ista districtus, rebus nihil aliud quam animum oblectantibus vacas? quid inter sapientiam et sapere intersit inquiris? nodos nectis ac solvis tanta mole inpendente capiti tuo? Non tam benignum ac liberale tempus natura 32 nobis dedit, ut aliquid ex illo vacet perdere: et vide, quam multa etiam diligentissimis pereant: aliud validudo sua cuique abstulit, aliud suorum. aliud necessaria negotia, aliud publica occupaverunt. vitam nobiscum dividit

somnus: ex hoc tempore tam angusto et rapido et nos auferente quid iuvat maiorem partem mittere in vanum?

33 Adice nunc, quod adsuescit animus delectare se potius quam sanare et philosophiam oblectamentum facere, cum remedium sit. Inter sapientiam et sapere quid intersit nescio: scio mea non interesse, sciam ista an nesciam. dic mihi: cum, quid inter sapientiam et sapere intersit, didicero, sapiam? cur ergo potius inter vocabula me sapientiae detines quam inter opera? fac me fortiorem, fac securiorem, fac fortunae parem, fac superiorem. possum autem superior esse, si direxero [eo] omne, quod disco. Vale.

L. ANNAEI SENECAE

AD LUCILIUM

EPISTULARUM MORALIUM

LIBER XX.

EPISTULA I. (118.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Exigis a me frequentiores epistulas: rationes conferamus: solvendo non eris. Convenerat quidem, ut tua priora essent: tu scriberes, ego rescriberem. sed non ero difficilis: bene credi tibi scio. itaque in antecessum dabo, nec faciam, quod Cicero, vir disertissimus, facere Atticum iubet, ut „*etiamsi rem nullam habebit, quod in buccam venerit, scribat.*“ Numquam potest deesse, quod scribam, ut omnia illa, quae Ciceronis implent epistulas, transeam: *quis candidatus laboret. quis alienis, quis suis viribus pugnet. quis consulatum fiducia Caesaris, quis Pompeii, quis arcae petat. quam durus sit fenerator Caecilius, a quo minoris centesimis propinqui nummum movere non*

possint: sua satius est mala quam aliena tractare, se excutere et videre, quam multarum rerum candidatus sit, et non suffragari. Hoc est, mi Lucili, egregium, hoc securum ac liberum, nihil petere et tota fortunae comitia transire. quam putas esse iucundum tribubus vocatis, cum candidati in templis suis pendeant et alius nummos pronuntiet, alius per sequestrem agat, alius eorum manus osculis conterat, quibus designatus contingendam manum negaturus est, omnes adtoniti vocem praeconis exspectent, stare otiosum et spectare illas nundinas nec ementem quicquam nec vendentem? Quanto hic maiore gaudio 4
fruitur, qui non praetoria aut consularia comitia securus intuetur, sed magna illa, in quibus alii honores anniversarios petunt, alii perpetuas potestates, alii bellorum eventus prosperos triumphosque, alii divitias, alii matrimonia ac liberos, alii salutem suam suorumque! quanti animi res est solum nihil petere, nulli supplicare et dicere: „nihil mihi tecum, fortuna. non facio mei tibi copiani. scio apud te Catones repelli, Vatinios fieri. nihil rogo.“ hoc est privatam facere fortunam. Licet ergo haec in- 5
vicem scribere et hanc integram semper egerere materiam circumspectantibus tot milia hominum inquieta, qui ut aliquid pestiferi consequantur, per mala nituntur in malum petuntque mox fugienda aut etiam fastidienda. cui enim 6
adsecuto satis fuit, quod optanti nimium videbatur? non est, ut existimant homines, avida felicitas, sed pusilla: itaque neminem satiat. Tu ista credis excelsa, quia longe ab illis iaces: ei vero, qui ad illa pervenit, humilia sunt. mentior, nisi adhuc quaerit escendere: istuc, quod tu summum putas, gradus est. Omnes autem male habet 7
ignorantia veri. tamquam ad bona feruntur decepti rumoribus: deinde mala esse aut inania aut minora quam speraverint, adepti ac multa passi vident. maiorque pars miratur ex intervallo fallentia et volgo bona pro magnis sunt. Hoc ne nobis quoque eveniat, quaeramus, quid 8
sit bonum. Varia eius interpretatio fuit: alius illud aliter expressit. quidam ita finiunt: „bonum est quod invitat animos, quod ad se vocat.“ huic statim obponitur:

quid, si invitat quidem, sed in perniciem? scis, quam multa mala blanda sint. verum et verisimile inter se differunt: ita quod bonum est, vero iungitur. non est enim bonum nisi verum est: at quod invitat ad se et adlice-
 9 facit, verisimile est: subrepat, sollicitat, adtrahit. Quidam ita finierunt: „bonum est, quod adpetitionem sui movet.“ vel, quod inpetum animi tendentis ad se movet.“ et huic idem obponitur: multa enim inpetum animi movent, quae petantur petentium malo. Melius illi, qui ita finierunt: „bonum est, quod ad se inpetum animi secundum naturam movet et ita demum petendum est, cum coepit esse expetendum.“ iam et honestum est: hoc enim est perfecte
 10 petendum. Locus ipse me admonet, ut, quid intersit inter bonum honestumque, dicam: aliquid inter se mixtum habent et inseparabile: nec potest bonum esse, nisi cui aliquid honesti inest, et honestum utique bonum est. quid ergo inter duo interest? honestum est perfectum bonum, quo beata vita completur, cuius contactu alia
 11 quoque bona fiunt. Quod dico, tale est: sunt quaedam neque bona neque mala, tamquam militia, legatio, iurisdictio. haec cum honeste administrata sunt, bona esse incipiunt et ex dubio in bonum transeunt. bonum societate honesti fit, honestum per se bonum est. bonum ex honesto fluit, honestum ex se est. quod bonum est, malum esse potuit. quod honestum est, nisi bonum esse non
 12 potuit. Hanc quidam finitionem reddiderunt: „bonum est, quod secundum naturam est.“ adtende, quid dicam: quod bonum est, secundum naturam est. non protinus quod secundum naturam est, etiam bonum est. multa naturae quidem consentiunt, sed tam pusilla sunt, ut non conveniat illis boni nomen. levia enim sunt, contemnenda: nullum est minimum [et contemnendum] bonum. nam quamdiu exiguum est, bonum non est: cum bonum esse coepit, non est exiguum. Unde agnoscitur
 13 bonum? si perfecte secundum naturam est. „Fateris, inquis, quod bonum est, secundum naturam esse. haec eius proprietas est. fateris et alia secundum naturam quidem esse. sed bona non esse: quomodo ergo illud bonum

est, cum haec non sint? quomodo ad aliam proprietatem pervenit, cum utrique praecipuum illud commune sit, secundum naturam esse? Ipsa scilicet magnitudine. nec hoc novum est quaedam crescendo mutari. Infans fuit. factus est pubes: alia eius proprietas fit. ille enim irrationalis est, hic rationalis. Quaedam incremento non tantum in maius exeunt, sed in aliud. „Non fit, inquit, aliud, quod maius fit. utrum lagenam an dolium inpleas vino, nihil refert: in utroque proprietas vini est. et exiguum mellis pondus et magnum sapore non differt.“ Diversa ponis exempla: in istis enim eadem qualitas est. quamvis augeantur, manet. Quaedam amplificata in suo genere et in sua proprietate perdurant. quaedam post multa incrementa ultima demum vertit adiectio et novam illis aliamque quam in qua fuerunt, condicionem imprimit. Unus lapis facit fornicem, ille, qui latera inclinata cuneavit et interventu suo vinxit. Summa adiectio quare plurimum facit vel exigua? non [quia] auget, sed inplet. Quaedam processu priorem exuunt formam et in novam transeunt: ubi aliquid animus diu protulit et magnitudinem eius sequendo lassatus est, infinitum coepit vocari. quod longe aliud factum est quam fuit, cum magnum videretur, sed finitum. eodem modo aliquid difficulter secari cogitavimus: novissime crescente hac difficultate insecabile inventum est. sic ab eo, quod vix et aegre movebatur, processimus ad immobile. Eadem ratione aliquid secundum naturam fuit: hoc in aliam proprietatem magnitudo sua transtulit et bonum fecit. *** Vale.

EPISTULA II. (119.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Quotiens aliquid inveni, non exspecto, donec dicas „in commune!“ ipse mihi dico. Quid sit, quod invenerim quaeris? sinum laxa, merum lucrum est. docebo, quomodo fieri dives celerrime possis. quam valde cupis audire! nec inmerito: ad maximas te divitias compendiaria ducam. opus erit tamen tibi creditore. ut negotiari possis, aes alienum facias oportet: sed nolo per

intercessorem mutueris, nolo proxenetæ nomen tuum
 2 iactent: paratum tibi creditorem dabo, Catonianum illum:
 „a te mutuum sumes.“ Quantulumcumque est, satis
 erit, si, quicquid deerit, id a nobis petierimus. nihil enim,
 mi Lucili, interest, utrum non desideres an habeas. summa
 rei in utroque eadem est: non torqueberis. Nec illud
 praecipio, ut aliquid naturæ neges: contumax est, non
 potest vinci, suum poscit. sed ut, quicquid naturam ex-
 3 cedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio:
 edendum est. utrum hic panis sit plebeius an siligineus,
 ad naturam nihil pertinet. illa ventrem non delectari vult,
 sed impleri. sitio: utrum haec aqua sit, quam ex lacu pro-
 ximo excepero, an ea, quam multa nive clusero, ut ri-
 gore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. illa
 hoc unum iubet, sitim extinguere: utrum sit aureum pocu-
 lum an crystallinum an murreum an Tiburtinus calix an
 4 manus concava, nihil refert. Finem omnium rerum spe-
 cta et supervacua dimittes: fames me adpellat: ad pro-
 xima quaeque porrigatur manus et ipsa mihi commenda-
 bit, quodcumque comprehendero. nihil contemnit esu-
 5 riens. Quid sit ergo, quod me delectaverit quaeris? videtur
 mihi egregie dictum: Sapiens divitiarum natura-
 lium est quaesitor acerrimus. „Inani me, inquis,
 lance muneras. quid est istud? ego iam paraveram fiscos.
 circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus inmitte-
 rem, quod publicum agitarem, quas accerserem merces.
 decipere est istud, docere paupertatem, cum divitias pro-
 miseris.“ Ita tu pauperem iudicas, cui nihil deest? „Suo,
 inquis, et patientiae suae beneficio, non fortunae.“ Ideo
 ergo illum non iudicas divitem, quia divitiae eius desi-
 6 nere non possunt? Utrum mavis habere multum an satis?
 qui multum habet, plus cupit. quod est argumentum non-
 dum illum satis habere: qui satis habet, consecutus est,
 quod numquam divitiis contingit, finem: an has ideo non
 putas esse divitias, quia propter illas nemo proscriptus
 est? quia propter illas nulli venenum filius, nulli uxor
 inpegit? quia in bello tutae sunt? quia in pace otiosae?
 quia nec habere illas periculosum est nec operosum dis-

ponere? „At parum habet, qui tantum non alget, non 7
 esurit, non sitit.“ Plus Iuppiter non habet. Numquam
 parum est, quod satis est, et numquam multum est, quod
 satis non est: post Dareum et Indos pauper est Alexan-
 der. mentior: quaerit, quod suum faciat, scrutatur maria
 ignota, in oceanum classes novas mittit et [ipsa], ut ita
 dicam, mundi claustra perrumpit. Quod naturae satis est, 8
 homini non est: inventus est, qui concupisceret aliquid
 post omnia: tanta est caecitas mentium et tanta initiorum
 suorum unicuique, cum processit, oblivio. ille modo igno-
 bilis anguli non sine controversia dominus tacto fine ter-
 rarum per suum rediturus orbem tristis est. Neminem 9
 pecunia divitem fecit, immo contra nulli non maiorem sui
 cupidinem incussit. quaeris, quae sit huius rei causa?
 plus incipit habere posse, qui plus habet. Ad summam,
 quem voles mihi ex his, quorum nomina cum Crasso Li-
 cinoque numerantur, in medium licet protrahas. adferat
 census et quicquid habet et quicquid sperat, simul con-
 putet: iste, si mihi credis, pauper est, si tibi, potest
 esse. At hic, qui se ad id, quod exigit natura, conpo- 10
 suit, non tantum extra sensum est paupertatis, sed extra
 metum: sed ut scias, quam difficile sit res suas ad na-
 turalem modum coartare, hic ipse, quem circa * [naturam]
 dicimus, quem tu vocas pauperem, habet aliquid et su-
 pervacui. At excaecant populum et in se convertunt opes, 11
 si numerati multum ex aliqua domo effertur, si multum
 auri tecto quoque eius inlinitur, si familia aut corporibus
 electa aut spectabilis cultu est. omnium istorum felicitas
 in publicum spectat: ille, quem nos et populo et fortu-
 nae subduximus, beatus introrsum est. Nam quod ad il- 12
 los pertinet, apud quos falso divitiarum nomen invasit
 occupata paupertas, sic divitias habent, quomodo ha-
 bere dicimur febrem, cum illa nos habeat. e contrario
 dicere solemus: febris illum tenet. eodem modo di-
 cendum est: divitiae illum tenent. Nihil ergo mo-
 nuisse te malim quam hoc, quod nemo monetur satis, ut
 omnia naturalibus desideriis metiaris, quibus aut gratis
 satisfiat aut parvo: tantum miscere vitia desideriis noli.

13 Quaeris, quali mensa, quali argento, quam paribus ministeriis et laevibus adferatur cibus? nihil praeter cibum natura desiderat.

num tibi, cum fauces urit sitis, aurea quaeris pocula? num esuriens fastidis omnia praeter pavonem rhombumque?

14 ambitiosa non est fames, contenta desinere est: quo desinat, non nimis curat. infelicis luxuriae ista tormenta sunt: quaerit, quemadmodum post saturitatem quoque esuriat, quemadmodum non inpleat ventrem, sed farciat, quemadmodum sitim prima potione sedatam revocet. egregie itaque Horatius negat ad sitim pertinere, quo poculo aqua aut quam eleganti manu ministretur. nam si pertinere ad te iudicas, quam cinitus puer et quam per-

15 lucidum tibi poculum porrigat, non sitis. Inter reliqua hoc nobis praestitit natura praecipuum, quod necessitati fastidium excussit. recipiunt supervacua dilectum: hoc parum decens. illud parum laudatum. oculos hoc meos laedit: id actum est ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi iura descripsit, ut salvi essemus, non ut delicati. ad salutem omnia parata sunt et in promptu: deliciis

16 omnia misere ac sollicite comparantur. Utamur ergo hoc naturae beneficio inter magna numerando et cogitemus nullo nomine melius illam meruisse de nobis, quam quia, quicquid ex necessitate desideratur, sine fastidio sumitur. Vale.

EPISTULA III. (120.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

1 Epistula tua per plures quaestiunculas vagata est, sed in una constitit et hanc expediri desiderat: quomodo ad nos boni honestique notitia pervenerit? Haec duo apud alios diversa sunt, apud nos tan-

2 tum divisa. quid sit hoc dicam. Bonum putant esse aliqui, quod utile est. itaque hoc et divitiis et equo et vino et caleo nomen inponunt: tanta fit apud illos boni vilitas et adeo in sordida usque descendit. Honestum putant, cui ratio recti officii constat, tamquam pie curatam

patris senectutem, adiutam amici paupertatem, fortem
 expeditionem, prudentem moderatamque sententiam. [Nos] 3
 ista duo quidem facimus, sed ex uno: nihil est bonum,
 nisi quod honestum est. quod honestum, est utique bo-
 num. supervacuum iudico adicere, quid inter ista discrimi-
 nis sit, cum saepe dixerim. hoc unum dicam, nihil
 nobis bonum videri, quo quis et male uti potest: vides
 autem divitiis, nobilitate, viribus quam multi male utan-
 tur. Nunc ergo ad id revertor, de quo desideras dici:
 quomodo ad nos prima boni honestique notitia
 pervenerit. Hoc nos natura docere non potuit: semina 4
 nobis scientiae dedit, scientiam non dedit. Quidam aiunt
 nos in notitiam incidisse, quod est incredibile, virtutis
 alicui speciem casu occurrisset: nobis videtur obser-
 vatio collegisse et rerum saepe factarum inter se conlatio:
 per analogiam nostri intellectum et honestum et bonum
 iudicant. (Hoc verbum cum Latini grammatici civitate do-
 naverint, ego [damnandum] non puto in civitatem suam
 redigendum: utar ergo illo non tantum tamquam recepto,
 sed tamquam usitato.) Quae sit haec analogia, di- 5
 cam: noveramus corporis sanitatem: ex hac cogitavi-
 mus esse aliquam et animi. noveramus corporis vires:
 ex his collegimus esse et animi robur. aliqua benigna fa-
 cta, aliqua humana, aliqua fortia nos obstupefecerant:
 haec coepimus tamquam perfecta mirari. suberant illis
 multa vitia, quae species conspicui alicuius facti fulgor-
 que celabat: haec dissimulavimus. natura iubet augere
 laudanda. nemo non gloriam ultra verum tulit: ex his
 ergo speciem ingentis boni traximus. Fabricius Pyrrhi re- 6
 gis aurum reppulit maiusque regno iudicavit regias opes
 posse contemnere. idem medico Pyrrhum promittente ve-
 nenum se regi daturum monuit Pyrrhum, caveret insidias:
 eiusdem animi fuit auro non vinci, veneno non vincere.
 admirati sumus ingentem virum, quem non regis, non
 contra regem promissa flexissent, boni exempli tenacem,
 quod difficillimum est, in bello innocentem, qui aliquod
 esse crederet etiam in hostes nefas, qui in summa pau-
 pertate, quam sibi decus fecerat, non aliter refugit divi-

tias quam venenum. „Vive, inquit, beneficio meo, Pyrrhe, et gaude, quod adhuc dolebas, Fabricium non posse
 7 corrumpi.“ Horatius Cocles solus inplevit pontis angustias adimique a tergo sibi reditum, dummodo iter hosti auferretur, iussit et tam diu prementibus restitit, donec revulsa ingenti ruina tigna sonuerunt. postquam respexit et extra periculum esse patriam periculo suo sensit: „veniat, si quis vult, inquit, sic euntem sequi“ iecitque se in praeceps, et non minus sollicitus in illo rapido alveo fluminis, ut armatus quam ut salvus exiret, retento armorum victricium decore tam tutus rediit, quam si ponte
 8 venisset. Haec et huiusmodi facta imaginem nobis ostendere virtutis. adiciam, quod mirum fortasse videatur: mala interdum speciem honesti obtulere et optimum ex contrario nituit. sunt enim, ut scis, virtutibus vitia confinia et perditis quoque ac turpibus recti similitudo est. sic mentitur prodigus liberalem, cum plurimum intersit, utrum quis dare sciat an servare nesciat. multi, inquam, sunt, Lucili, qui non donant, sed proiciunt. non voco ego liberalem pecuniae suae iratum. imitatur negligentia
 9 facilitatem, temeritas fortitudinem. Haec nos similitudo coegit attendere et distinguere specie quidem vicina, re autem plurimum inter se dissidentia. dum observamus eos, quos insignes egregium opus fecerat, coepimus adnotare, quis rem aliquam generoso animo fecisset et magno inpetu. sed simul hunc vidimus in bello fortem, in foro timidum, animose paupertatem ferentem, humiliter infamiam: factum laudavimus, contempsimus virum.
 10 Alium vidimus adversus amicos benignum, adversus inimicos temperatum, et publica et privata sancte ac religiose administrantem, non deesse ei in his, quae toleranda erant, patientiam, in his, quae agenda, prudentiam. vidimus, ubitribuendum esset, plena manu dantem, ubi laborandum, pertinacem et obnixum et lassitudinem corporis animo sublevantem. praeterea idem erat semper et in omni actu par sibi, iam non consilio bonus, sed more eo perductus, ut non tantum recte facere posset, sed nisi recte facere non posset: intelleximus in illo perfe-

ctam esse virtutem. Hanc in partes divisimus: oportebat¹¹
cupiditates refrenari, metus conprimi, facienda provideri,
reddenda distribui: comprehendimus temperantiam, fortitudinem,
prudentiam, iustitiam et suum cuique dedimus officium. Ex quo ergo virtutem intelleximus? Ostendit
illam nobis ordo eius et decor et constantia et omnium
inter se actionum concordia et magnitudo super omnia
efferens sese. Hinc intellecta est illa beata vita secundo
defluens cursu, arbitrii sui tota. Quomodo ergo hoc ip-¹²
sum nobis adparuit? dicam: numquam vir ille perfectus
adeptusque virtutem fortunae maledixit. numquam acci-
dentia tristis excepit. civem esse se universi et militem
credens labores velut imperatos subiit. quicquid incide-
rāt, non tamquam malum aspernatus est et in se casu
delatum, sed quasi delegatum sibi. „Hoc qualecumque
est, inquit, meum est. asperum est, durum est: in hoc
ipso navemus operam.“ Necessario itaque magnus¹³
adparuit, qui numquam malis ingemuit, num-
quam de fato suo questus est: fecit multis intelle-
ctum sui et non aliter quam in tenebris lumen effulsit ad-
vertitque in se omnium animos, cum esset placidus et
lenis, humanis divinisque rebus pariter aequus. Habebat¹⁴
perfectum animum ad summam sui adductus, supra quam
nihil est nisi mens dei, ex quo pars et in hoc pectus
mortale defluxit, quod numquam magis divinum est,
quam ubi mortalitatem suam cogitat et scit in hoc natum
hominem, ut vita defungeretur, nec domum esse hoc cor-
pus, sed hospitium et quidem breve hospitium, quod re-
linquendum est, ubi te gravem esse hospiti videas. Maxi-¹⁵
mum, inquam, mi Lucili, argumentum est animi ab alti-
ore sede venientis, si haec, in quibus versatur, humilia
iudicat et angusta, si exire non metuit. scit enim, quo
exiturus sit, qui, unde venerit, meminit. non videmus,
quam multa nos incommoda exagitent, quam male nobis
conveniat hoc corpus? nunc de capite, nunc de ventre,¹⁶
nunc de pectore ac faucibus querimur. alias nervi nos,
alias pedes vexant, nunc deiectio, nunc distillatio. ali-
quando superest sanguis, aliquando deest. hinc atque

illinc temptamur et expellimur. Hoc evenire solet in alieno
 17 habitantibus. At nos corpus tam putre sortiti nihilo mi-
 nus aeterna proponimus, et in quantum potest aetas hu-
 mana protendi, tantum spe occupamus, nulla contenti pe-
 cunia, nulla potentia. quid hac re fieri inpudentius, quid
 stultius potest? Nihil satis est morituris, immo morientibus:
 18 cotidie enim propius ab ultimo stamus et illo, unde
 nobis cadendum est, hora nos omnis inpellit. Vide in
 quanta caecitate mens nostra sit: hoc, quod futurum
 dico, cum maxime fit et pars eius magna iam facta est.
 nam quod viximus tempus, eo loco est, quo [erat] ante-
 quam viximus. erramus autem, qui ultimum timemus
 diem, cum tantumdem in mortem singuli conferant. non
 ille gradus lassitudinem facit, in quo deficimus, sed ille
 profitetur. ad mortem dies extremus pervenit, accedit
 omnis. carpit nos illa, non corripit. Ideo magnus ani-
 mus, conscius sibi melioris naturae, dat quidem operam,
 ut in hac statione qua positus est, honeste se atque in-
 industrie gerat: ceterum nihil horum, quae circa sunt, suum
 iudicat, sed ut commodatis utitur peregrinus et prope-
 19 rans. Cum aliquem huius videremus constantiae, quidni
 subiret nos species non usitatae indolis, utique si hanc,
 ut dixi, magnitudinem veram esse ostendebat aequalitas?
 veri tenor permanet, falsa non durant: quidam alternis
 Vatinii, alternis Catones sunt et modo parum illis severus
 est Curius, parum pauper Fabricius, parum frugi et
 contentus vilibus Tubero: modo Licinum divitiis, Apicium
 20 coenis, Maecenatem deliciis provocant. Maximum indi-
 cium est malae mentis fluctuatio et inter simulationem
 virtutum amoremque vitiorum adsidua iactatio. [Is]

habebat saepe ducentos,

*saepe decem servos. modo reges atque tetrarchas,
 omnia magna loquens, modo: „sit mihi mensa tripes et
 concha salis puri, toga quae defendere frigus
 quamvis crassa queat.“ Decies centena dedisses
 huic parco, paucis contento: quinque diebus
 nil erat in oculis.*

21 Omnes isti tales sunt, qualem hunc describit Horatius

Flaccus, numquam eundem, ne similem quidem sibi: adeo in diversum aberrat. multos dixi: prope est, ut omnes sint. nemo non cotidie et consilium mutat et votum: modo uxorem vult habere, modo amicam. modo regnare vult, modo id agit, ne quis sit officiosior servus. modo dilatat se usque ad invidiam, modo subsidit et contrahitur infra humilitatem vere iacentium. nunc pecuniam spargit, nunc rapit. Sic maxime coarguitur animus imprudens: alius²² prodit atque alius et, quo turpius nihil iudico, inpar sibi est. Magnam rem puta, unum hominem agere. praeter sapientem autem nemo unum agit: ceteri multiformes sumus. modo frugi tibi videbimur et graves, modo prodigi et vani. Mutamus subinde personam et contrariam ei sumimus, quam exuimus. † de aliquo, quem here vidisti, merito dici potest: hic qui est? tanta mutatio est. † Hoc ergo a te exige, ut, qualem institueris praestare te, talem usque ad exitum serves. Effice ut possis laudari: si minus, ut adgnosci. †† Vale.

EPISTULA IV. (121.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Litigabis, ego video, cum tibi hodiernam quaestiunculam, 1 in qua satis diu haesimus, exposuero. iterum enim exclamabis [*hoc* quod clamare soles]: „hoc quid ad mores?“ sed exclama, dum tibi primum alios obponam, cum quibus litiges, Posidonium et Archidemum: hi iudicium accipient. deinde dicam: non quicquid morale est, bonos mores facit. Aliud ad hominem alendum pertinet, aliud ad exercendum, 2 aliud ad vestiendum, aliud ad docendum, aliud ad delectandum: omnia tamen ad hominem pertinent, etiamsi non omnia meliorem eum faciunt: mores alia aliter attingunt: quaedam illos corrigunt et ordinant, quaedam naturam eorum et originem scrutantur. Cum quaeritur, quare 3 hominem natura produxerit, quaeritur, quare praetulerit animalibus ceteris, longe me iudicas mores reliquisse? falsum est: quomodo enim scies, qui habendi sint, nisi, quid homini sit optimum, inveneris? nisi naturam eius inspexeris? tunc demum intelleges, quid faciendum tibi.

- quid vitandum sit, cum didiceris, quid naturae tuae de-
 4 beas. „Ego, inquis, volo discere, quomodo minus cupiam, minus timeam: superstitionem mihi excute. doce leve esse vanumque hoc, quod felicitas dicitur: unam illi syllabam facillime accedere.“ Desiderio tuo satisfaciam et virtutes exhortabor et vitia converberabo. licet aliquis nimium inmoderatumque in hac parte me iudicet, non desistam persequi nequitiam et adfectus efferatissimos inhibere et voluptates ituras in dolorem conpescere et votis obstrepere. quidni? cum maxima malorum optaverimus et ex gratulatione natum sit, quicquid adloquimur.
- 5 Interim permitte mihi ea, quae paulo videntur remotiora, excutere: quaerebamus, an esset omnibus animalibus constitutionis suae sensus? esse autem ex eo maxime adparet, quod membra apte et expedite movent non aliter quam in hoc erudita. nulli non partium suarum agilitas est: artifex instrumenta sua tractat ex facili. rector navis scit gubernaculum flectere. pictor colores, quos ad reddendam similitudinem multos variosque ante se posuit, celerrime denotat et inter ceram opusque facili voltu ac manu com meat: sic animal in omnem usum
- 6 sui mobile [*est*]. Mirari solemus saltandi peritos, quod in omnem significationem rerum et adfectuum parata illorum est manus et verborum velocitatem gestus adsequitur: quod illis ars praestat, his natura. nemo aegre molitur artus suos, nemo in usu sui haesit. ad hoc edita protinus faciunt. cum hac scientia prodeunt. instituta nascuntur.
- 7 „Ideo, inquit, partes suas animalia apte movent, quia, si aliter moverint, dolorem sensura sunt.“ Ita, ut vos dicitis, coguntur metusque illa in rectum, non voluntas movet, quod est falsum. tarda enim sunt, quae necessitate impelluntur: agilitas sponte motis est. adeo autem non adigit illa ad hoc doloris timor, ut in naturalem motum etiam prohibente dolore nitantur.
- 8 Sic infans, qui stare meditatur et ferre se adsuescit, simul temptare vires suas coepit, cadit et cum fletu totiens resurgit, donec se per dolorem ad id, quod natura poscit, exercuit. animalia quaedam tergi durioris inversa tamdiu se torquent ac pe-

des exserunt et obliquant, donec ad locum reponantur. nullum tormentum sentit supina testudo: inquieta est tamen desiderio naturalis status nec ante desinit [niti,] quaterere se, quam in pedes constitit. Ergo omnibus constitutionis suae sensus est et inde membrorum tam expedita tractatio, nec ullum maius indicium habemus cum hac illa ad vivendum venire notitia, quam quod nullum animal ad usum sui rude est. „Constitutio, inquit, est, ut vos 10 dicitis, principale animi quodam modo se habens erga corpus. hoc tam perplexum et subtile et vobis quoque vix enarrabile quomodo infans intellegit? omnia animalia dialectica nasci oportet, ut istam finitionem magnae parti hominum togatorum obscuram intellegant.“ Verum erat 11 quod obponis, si ego ab animalibus constitutionis finitionem intellegi dicerem, non ipsam constitutionem. facilius natura intellegitur quam enarratur. itaque infans ille, quid sit constitutio, non novit, constitutionem suam novit. et quid sit animal, nescit, animal esse se sentit. Praeterea 12 ipsam constitutionem [suam] crasse intellegit et summatim et obscure. nos quoque animum habere nos scimus: quid sit animus, ubi sit, qualis sit aut unde, nescimus. Qualis ad nos [pervenerit] animi nostri sensus, quamvis naturam eius ignoremus ac sedem, talis ad omnia animalia constitutionis suae sensus est. necesse est enim id sentiant, per quod alia quoque sentiunt. necesse est eius sensum habeant, cui parent, a quo reguntur. Nemo non ex nobis 13 intellegit esse aliquid, quod inpetus suos moveat: quid sit illud, ignorat. et conatum sibi esse scit: quis sit aut unde sit, nescit. sic infantibus quoque animalibusque principalis partis suae sensus est non satis dilucidus nec expressus. „Dicitis, inquit, omne animal primum consti- 14 tutioni suae conciliari. hominis autem constitutionem rationalem esse et ideo conciliari hominem sibi non tamquam animali, sed tamquam rationali. ea enim parte sibi carus est homo, qua homo est: quomodo ergo infans conciliari constitutioni rationali potest, cum rationalis nondum sit?“ Unicuique aetati sua constitutio est, alia 15 infanti, alia puero, alia seni: omnes ei constitutioni con-

ciliantur, in qua sunt. Infans sine dentibus est: huic constitutioni suae conciliatur. enati sunt dentes: huic constitutioni conciliatur. nam et illa herba, quae in segetem frugemque ventura est, aliam constitutionem habet tenera et vix eminens sulco, aliam, cum convaluit et molli quidem culmo, sed quo ferat onus suum, constitit, aliam, cum flavescit et ad aream spectat et spica eius induruit: in quamcumque constitutionem venit, eam tuetur, in eam
 16 conponitur. Alia est aetas infantis, pueri, adolescentis, senis: ego tamen idem sum, qui et infans fui et puer et adolescens. sic, quamvis alia atque alia cuique constitutio sit, conciliatio constitutionis suae eadem est. non enim puerum mihi aut iuvenem aut senem, sed me natura commendat. ergo infans ei constitutioni suae conciliatur, quae tunc infanti est, non quae futura iuveni est. neque enim, si aliquid illi maius, in quod transeat, restat, non hoc
 17 quoque, in quo nascitur, secundum naturam est. Primum sibi ipsum conciliatur animal: debet enim aliquid esse, ad quod alia referantur: voluptatem peto, cui? mihi: ergo mei curam ago. dolorem refugio, pro quo? pro me: ergo mei curam ago. si omnia propter curam mei facio, ante omnia est mei cura. haec animalibus inest cunctis
 18 nec inseritur, sed innascitur. Producit fetus suos natura, non abicit. et quia tutela certissima ex proximo est, sibi quisque commissus est. itaque, ut in prioribus [epistulis] dixi, tenera quoque animalia et materno utero vel quoquo modo effusa, quid sit infestum ipsis, protinus norunt et mortifera devitant: umbram quoque transvolantium reformidant obnoxia avibus raptis viventibus. Nullum ani-
 19 mal ad vitam prodit sine metu mortis. „Quemadmodum, inquit, editum animal intellectum habere aut salutaris aut mortiferae rei potest?“ Primum quaeritur, an intellegat, non quemadmodum intellegat. esse autem illis intellectum, ex eo adparet, quod nihil amplius, si intellexerint, facient. quid est, quare pavonem, quare anserem gallinae ne fugiat, at tanto minorem et ne notum quidem sibi accipitrem? quare pulli faelem timeant, canem non timeant? adparet illis inesse nocituri scientiam non experimento

collectam: nam antequam possint experiri, cavent. Deinde 20
ne hoc casu existimes fieri, nec metuunt alia quam de-
bent nec umquam obliviscuntur huius tutelae et diligentiae:
aequalis est illis a pernicioso fuga. Praeterea non fiunt
timidiora vivendo. ex quo quidem adparet non usu illa
in hoc pervenire, sed naturali amore salutis suae. et tar-
dum est et varium, quod usus docet: quicquid natura
trahit, et aequale omnibus est et statim. ** si tamen exi- 21
gis, dicam. Quomodo omne animal perniciose intellegere
conatur? sentit se carne constare: itaque [cum] sentit,
quid sit, quo secari caro, quo uri, quo obteri possit, quae
sint animalia armata ad nocendum: horum speciem trahit
inimicam et hostilem. Inter se ista coniuncta sunt: simul
enim conciliatur saluti suae quidque et iuventia petit,
laesura formidat. Naturales ad utilia inpetus, naturales
a contrariis aspernationes sunt: sine ulla cogitatione,
quae hoc dictet, sine consilio fit, quicquid natura praecep-
pit. Non vides, quanta sit subtilitas apibus ad fingenda 22
domicilia? quanta dividendi laboris obeundique concor-
dia? non vides, quam nulli mortalium imitabilis illa ara-
nei textura? quanti operis sit fila disponere, alia in re-
ctum inmissa firmamenti loco, alia in orbem currentia ex
denso rara, quae minora animalia, in quorum perniciem
illa tenduntur, velut retibus implicata teneantur? Nascitur 23
ars ista, non discitur. itaque nullum est animal altero do-
ctius: videbis araneorum pares telas, par in favis angu-
lorum omnium foramen. Incertum est et inaequabile,
quicquid ars tradit: ex aequo venit, quod natura distri-
buit. haec nihil magis quam tutelam sui et eius peritiam
tradidit ideoque etiam simul incipiunt et discere et vivere.
nec est mirum cum eo nasci illa, sine quo frustra nasce- 24
rentur. primum hoc instrumentum illis natura contulit
[ad permanendum] in conciliationem et caritatem sui. non
poterant salva esse, nisi vellent: nec [unum] hoc per se
profuturum erat, sed sine hoc nulla ars profuisset. Sed
in nullo deprendes vilitatem sui, ne negligentiam quidem.
tacitis quoque et brutis, quamvis in cetera torpeant, ad

vivendum sollertia est: videbis, quae aliis inutilia sunt, sibi ipsa non deesse. Vale.

EPISTULA V. (122.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

- 1 Detrimentum iam dies sensit. resiliit aliquantum, ita tamen ut liberale adhuc spatium sit, si quis cum ipso, ut ita dicam, die surgat. officiosior meliorque, si quis illum exspectat et lucem primam *excipit*: turpis, qui alto sole semisomnus iacet, cuius vigilia medio die incipit: et ad-
- 2 huc multis hoc antelucanum est. Sunt qui officia lucis noctisque perverterint nec ante diducant oculos hesterna graves crapula quam adpetere nox coepit. qualis illorum condicio dicitur, quos natura, ut ait Vergilius, sedibus nostris subditos e contrario posuit,
- nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis,*
illis sera rubens accendit lumina Vesper:
- talis horum contraria omnibus non regio, sed vita est. Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui, ut M. Cato ait, „*nec orientem umquam solem viderunt nec occidentem.*“
- 3 Hos tu existimas scire, quemadmodum vivendum sit, qui nesciunt, quando? et hi mortem timent, in quam se vivi condiderunt? tam infausti homines quam nocturnae aves sunt: licet in vino unguentoque tenebras suas exigant, licet epulis et quidem in multa *fericula discretis* totum perversae vigiliae tempus educant: non convivantur, sed iusta sibi faciunt. Mortuis certe interdium parentatur: at mehercules nil agenti dies longus est. extendamus vitam: huius et officium et argumentum actus est. circumscribatur
- 4 nox et aliquid ex illa in diem transferatur. Aves, quae conviviis comparantur, ut inmotae facile pinguescant, in obscuro continentur: ita sine ulla exercitatione iacentibus tumor pigrum corpus invadit et super membra iners sagina subcrescit: ita istorum corpora, qui se tenebris dicaverunt, foeda visuntur. quippe suspectior illis quam morbo pallentibus color est: languidi et evanidi albescent et in vivis caro morticina est. Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim: quanto plus tenebrarum in animo est?

ille in se stupet, ille caligat, invidet caecis. Quis unquam oculos tenebrarum causa habuit? Interrogas, quomodo 5 haec animo pravitas fiat a versandi diem et totam vitam in noctem transferendi? Omnia vitia contra naturam pugnant, omnia debitum ordinem deserunt: hoc est luxuriae propositum gaudere perversis nec tantum discedere a recto, sed quam longissime abire, deinde etiam e contrario stare. Non videntur tibi contra 6 naturam vivere, qui ieiuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis et ad cibum ebrii transeunt? atqui frequens hoc adolescentium vitium est, qui vires excolunt, ut in ipso paene balinei limine inter nudos bibant, immo potent et sudorem, quem moverunt potionibus crebris ac ferventibus, subinde destringant: post prandium aut coenam bibere volgare est. hoc patresfamiliae rustici faciunt et verae voluptatis ignari: merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod libere penetrat ad nervos. illa ebrietas iuvat, quae in vacuum venit. Non videntur tibi contra 7 naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem? non vivunt contra naturam, qui spectant, ut pueritia splendeat tempore alieno? quid fieri crudelius vel miserius potest? numquam vir erit, ut diu virum pati possit? et cum illum contumeliae sexus eripuisse debuerat, ne aetas quidem eripiet? Non vivunt contra naturam, qui 8 hieme concupiscunt rosam fomentoque aquarum calentium et locorum apta mutatione brumalium florem vernum exprimunt? non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt? quorum silvae in tectis domuum ac fastigiis nutant, inde ortis radicibus, quo inprobe cacumina egissent? Non vivunt contra naturam, qui fundamenta thermarum in mari iaciunt *nec* delicate natate ipsis videntur, nisi calentia stagna fluctu ac tempestate feriantur? Cum instituerunt omnia contra naturae con- 9 suetudinem velle, novissime in totum ab illa desciscunt: „lucet: somni tempus est. quies est: nunc exerceamur, nunc gestemur, nunc prandeamus. iam lux propius accedit: tempus est coenae. Non oportet id facere, quod populus. res sordida est trita ac volgari via vivere: dies

publicus relinquatur: proprium nobis ac peculiare mane
 10 fiat.“ Isti vero mihi defunctorum loco sunt. quantum
 enim a funere absunt et quidem acerbo, qui ad faces et
 cereos vivunt? Hanc vitam agere eodem tempore multos
 meminimus, inter quos et Acilium Butam, praetorium.
 cui post patrimonium ingens consumptum Tiberius pau-
 11 pertatem confitenti „sero, inquit, *experrectus es*.“ Reci-
 tabat Montanus Iulius carmen, tolerabilis poeta et amicitia
 Tiberii notus et frigore. ortus et occasus libentissime in-
 serebat. (itaque cum indignaretur quidam illum toto die
 recitasse et negaret accedendum ad recitationes eius,
 Natta Pinarius ait: „*numquam possum liberalius agere:*
 12 *paratus sum illum audire ab ortu ad occasum.*“) Cum hos
 versus recitasset:

*Incipit arduos Phoebus producere flammam,
 spargere se rubicunda dies, iam tristis hirundo
 argutis reditura cibos inmittere nidis
 incipit et molli partitos ore ministrat:*

Varus eques Romanus, M. Vinicii comes, coenarum bo-
 narum adsector, quas improbitate linguae merebatur,
 13 exclamavit: „*incipit Buta dormire.*“ Deinde cum subinde
 recitasset:

*iam sua pastores stabulis armenta locarunt,
 iam dare sopitis nox pigra silentia terris
 incipit:*

idem Varus inquit: „*Quid dicis? iam nox est? ibo et Bu-
 tam salutabo.*“ Nihil erat notius hac eius vita in contra-
 rium circumacta. quam, ut dixi, multi eodem tempore
 14 egerunt. Causa autem est ita vivendi quibusdam, non
 quia aliquid existiment noctem ipsam habere iucundius,
 sed quia nihil iuvat publicum et gravis malae conscientiae
 lux est et omnia concupiscenti aut contemnti, prout
 magno aut parvo empta sunt, fastidio est lumen gratuitum.
 Praeterea luxuriosi vitam suam esse in sermonibus, dum
 vivunt, volunt. nam si tacetur, perdere se putant operam.
 itaque male habent, quotiens faciunt, quod excidat fama.
 multi bona comedunt, multi amicas habent. ut inter istos
 nomen invenias, opus est non tantum luxuriosam rem,

sed notabilem facere: in tam occupata civitate fabulas
 vulgaris nequitia non invenit. Pedonem Albinovanum ¹⁵
 narrantem audieramus, erat autem fabulator elegantissi-
 mus, habitasse se supra domum Sp. Papinii. is erat ex
 hac turba lucifugarum. „Audio, inquit, [circum]circa
 horam tertiam noctis flagellorum sonum. quaero, quid
 faciat: dicitur rationes accipere. audio circa horam sextam
 noctis clamorem concitatum: quaero, quid sit: dicitu
 vocem exercere. quaero circa horam octavam noctis, quid
 sibi ille sonus rotarum vellet: gestari dicitur. Circa lu- ¹⁶
 cem discurretur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuan-
 tur. quaero, quid sit: dicitur mulsum et alicam poposcisse,
 a balneo exisse. *Extendebat*, inquit, coena eius diem
 minime. valde enim frugaliter vivebat: nihil consumebat
 nisi noctem. itaque credo dicentibus illum quibusdam
 avarum et sordidum: vos, inquit, illum et *lychnobium*
 dicetis. Non debes admirari, si tantas invenis vitiorum ¹⁷
 proprietates: varia sunt, innumerabiles habent facies,
 comprehendi eorum genera non possunt: simplex recti cura
 est, multiplex pravi et quantumvis novas declinationes
 capit. Idem moribus evenit: naturam sequentium faciles
 sunt, soluti sunt, exiguas differentias habent: [his] distorti
 plurimum et omnibus et inter se dissident. *Causa* tamen ¹⁸
 praecipua mihi videtur huius morbi vitae com-
 munitis fastidium. quomodo cultu se a ceteris distin-
 guunt, quomodo elegantia coenarum, munditiis vehiculo-
 rum, sic volunt separare etiam temporum dispositiones.
 nolunt solita peccare, quibus peccandi praemium infamia
 est. hanc petunt omnes isti, qui, ut ita dicam, *retro* vivunt.
 Ideo, Lucili, tenenda nobis via est, quam natura prae- ¹⁹
 scripsit nec ab illa declinandum: illam sequentibus omnia
 facilia, expedita sunt. contra illam nitentibus non alia vita
 est quam contra aquam remigantibus. Vale.

EPISTULA VI. (123.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Itinere confectus incommodo magis quam longo in 1
 Albanum meum multa nocte perveni: nihil habeo parati

nisi me. itaque in lectulo lassitudinem pono, hanc coqui ac pistoris moram boni consulo. mecum enim de hoc ipso loquor, quam nihil sit grave, quod leviter excipias, quam indignandum nihil, *si nihil* ipse indignando adstruas. Non habet panem meus pistor: sed habet vilicus, sed habet atriensis, sed habet colonus. „malum panem“ inquis: exspecta: bonus fiet. [et]iam illum tibi tenerum et siligineum fames reddet. Ideo non est ante edendum quam illa imperat. exspectabo ergo nec ante edam quam aut bonum panem habere coepero aut malum fastidire desiero. **3** Necessarium est parvo adsuescere: multae difficultates locorum, multae temporum etiam locupletibus et instructis a *communibus* optantem prohibentes occurrent. quicquid vult habere nemo potest: illud potest, nolle quod non habet, rebus oblati hilaris uti. magna pars libertatis est bene moratus ventem et contumeliae patiens. Aestimari non potest, quantam voluptatem capiam ex eo, quod lassitudo mea sibi ipsa adsuescit: non unctores, non balneum, non ullum aliud remedium quam temporis quaero. nam quod labor contraxit, quies tollit. haec qualiscumque coena aditiali iucundior erit. **5** [Aliquod enim] experimentum animi sumpsi subito. hoc enim est simplicius et verius: nam ubi se praeparavit et indixit sibi patientiam, non aequae adparet, quantum habeat verae firmitatis: illa sunt certissima argumenta, quae ex tempore dedit. si non tantum aequus molesta, sed placidus adspexit. si non excanduit, non litigavit. si, quod dari deberet, ipse sibi non desiderando supplevit et cogitavit aliquid consuetudini suae, sibi nihil **6** deesse. Multa quam supervacua essent, non intelleximus, nisi deesse coeperunt. utebamus enim illis, non quia debebamus, sed quia habebamus. quam multa autem paramus, quia alii paraverunt, quia apud plerosque sunt! inter causas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla nec ratione conponimur, sed consuetudine abducimur. quod, si pauci facerent, nollemus imitari: cum plures facere coeperunt, quasi honestius sit, quia frequentius, sequimur. et recti

apud nos locum tenet error, ubi publicus factus est. Omnes iam sic peregrinantur, ut illos Numidarum prae-
 currat equitatus, ut agmen cursorum antecedit: turpe
 est nullos esse, qui occurrentis via deiciant, aut qui ho-
 nestum hominem venire magno pulvere ostendant. omnes
 iam mulos habent, qui crystallina et murrina et caelata
 magnorum artificum manu portent: turpe est videri eas
 te habere sarcinas totas, quae tuto concuti possint.
 omnium paedagogia oblita facie vehuntur, ne sol, neve
 frigus teneram cutem laedat: turpe est neminem esse in
 comitatu puerorum, cuius sana facies medicamentum de-
 sideret. Horum omnium sermo vitandus est: hi 8
 sunt, qui vitia tradunt et alio aliunde transfe-
 runt. Pessimum genus [horum] hominum videbatur,
 qui verba gestarent: sunt quidam, qui vitia gestant. ho-
 rum sermo multum nocet. nam etiamsi non statim profeci-
 cit, semina in animo relinquit sequiturque nos etiam cum
 ab illis discessimus, resurrecturum postea malum. Quem- 9
 admodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in
 auribus modulationem illam ac dulcedinem cantuum, quae
 cogitationes inpedit nec ad seria patitur intendi, sic adu-
 latorum et prava laudantium sermo diutius haeret quam
 auditur. nec facile est animo dulcem sonum excutere:
 prosequitur et durat et ex intervallo recurrit. Ideo clu-
 dendae sunt aures malis vocibus et quidem primis: nam,
 cum initium fecerunt admissaeque [in]sunt, plus audent.
 inde ad haec pervenitur verba:

„Virtus et philosophia et iustitia verborum inanium 10
 crepitus est: una felicitas est bene vitae facere: esse,
 bibere, frui patrimonio, hoc est vivere, hoc est se morta-
 lem esse meminisse. fluunt dies et inreparabilis vita de-
currit: dubitamus? quid iuvat sapere et aetati non semper
voluptates recepturae interim, dum potest, dum poscit,
ingerere frugalitatem et mortem praecurrere et quicquid
illa ablatura est, iam sibi interdicare? Non amicam habes,
non puerum, qui amicae moveat invidiam. cotidie sobrius
prodis. sic coenas tamquam ephemeridem patri adproba-
turus: non est istud vivere, sed alienae vitae interesse.

- 11 Quanta dementia est heredis sui res procurare et sibi negare omnia, ut tibi ex amico inimicum magna faciat hereditas? plus enim gaudebit tua morte, quo plus acceperit. Istos tristes et superciliosos alienae vitae censors, suae hostes, publicos paedagogos assis ne feceris nec dubita-
veris bonam vitam quam opinionem bonam malle.“
- 12 Hae voces non aliter fugiendae sunt quam illae, quas Ulixes nisi adligatus praetervehi noluit: idem possunt: abducunt a patria, a parentibus, ab amicis, a virtutibus et inter spem *et* vitam miseram *situ* turpi inludunt: quanto satius est rectum sequi limitem et eo se perducere, ut ea
- 13 demum sint tibi iucunda, quae honesta? quod adsequi poterimus, si scierimus duo esse genera rerum, quae nos aut invitent aut fugent: invitant [ut] divitiae, voluptates, forma, ambitio, cetera blanda et adridentia: fugat labor, mors, dolor, ignominia, victus adstrictior. debemus itaque exerceri ne haec timeamus, ne illa cupiamus. In contra-
rium pugnemus et ab invitantibus recedamus, adversus
- 14 potentia concitemur. Non vides, quam diversus sit descendentium habitus et adscendentium? qui per pronum eunt, resupinant corpora, qui in arduum, incumbunt. nam si descendas, pondus suum in priorem partem dare, si adscendas, retro abducere cum vitio, Lucili, consentire est. In voluptates descenditur, in aspera et dura subeun-
- 15 dum est: hic inpellamus corpora, illic refrenemus. Hoc nunc me existimas dicere, eos tantum perniciosos esse auribus nostris, qui voluptatem laudant, qui dolores et metus, per se formidabiles res, incutiunt? illos quoque nocere nobis existimo, qui nos sub specie Stoicae sectae hortantur ad vitia. hoc enim iactant: solum sapientem et doctum esse amatorem. „solus aptus ad hanc artem. aequae conbibendi et convivendi sapiens est peritissimus: quaeramus, ad quam usque aetatem iuvenes amandi sint.“
- 16 Haec Graecae consuetudini data sint: nos ad illa potius aures dirigamus: „Nemo est casu bonus. discenda virtus est. voluptas humilis res et pusilla est et in nullo habenda pretio, communis cum mutis animalibus, ad quam minima et contemptissima advolant. gloria

vanum et volubile quiddam est auraque mobilius. pau-
peritas nulli malum est nisi repugnanti. Mors malum
non est: quid sit quaeris? sola ius aequum generis hu-
mani. superstitio error infantis est: amandos timet,
quos colit violat. quid enim interest, utrum deos neges
 an infames? Haec discenda, immo ediscenda sunt: non 17
debet excusationes vitio philosophia suggerere. nullam
habet spem salutis aeger, quem ad intemperantiam medi-
cus hortatur. Vale.

EPISTULA VII. (124.)

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM.

Possum multa tibi veterum praecepta referre, 1
ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.

non refugis autem nec ulla te subtilitas abigit. non est
 elegantiae tuae tantum magna sectari, sicut illud probo,
 quod omnia ad aliquem profectum redigis et tunc tantum
 offenderis, ubi summa subtilitate nihil agitur, quod ne
 nunc quidem fieri laborabo: quaeritur, utrum sensu
 comprehendatur an intellectu bonum? huic adiunctum
 est in mutis animalibus et infantibus non
 esse. Quicumque voluptatem in summo ponunt, sen- 2
 sibile iudicant bonum: nos contra intellegibile, qui
 illud animo damus. si de bono sensus iudicarent, nullam
 voluptatem reiceremus. nulla enim non invitat, nulla non
 delectat. et e contrario nullum dolorem volentes subire-
 mus. nullus enim non offendit sensum. Praeterea non 3
 essent digni reprehensione, quibus nimium voluptas pla-
 cet quibusque summus est doloris timor: atqui improba-
 mus gulae ac libidini addictos et contemnimus illos, qui
 nihil viriliter ausuri sunt doloris metu. quid autem pec-
 cant, si sensibus, id est iudicibus boni ac mali, parent?
 his enim tradidistis adpetitionis et fugae arbitrium. Sed 4
 videlicet ratio isti rei praeposita est: illa quemadmodum
 [debeat] de vita, quemadmodum de virtute, de honesto,
 sic et de bono maloque constituit. nam apud istos vilis-
 simae parti datur de meliore sententia, ut de bono pro-
 nuntiet sensus, obtunsa res et hebes et in homine quam

5 in aliis animalibus tardior. Quid, si quis vellet non oculis, sed tactu minuta discernere? subtilior adhuc acies nulla quam oculorum et intentior * daret bonum malumque dinoscere. Vides, in quanta ignorantia veritatis versetur et quam humi sublimia ac divina proiecerit. apud
6 quem de summo bono maloque iudicat tactus. „Quemadmodum, inquit, omnis scientia atque ars aliquid debet habere manifestum sensuque comprehensum, ex quo oriatur et crescat, sic beata vita fundamentum et initium a manifestis ducit et eo, quod sub sensum cadat. nempe vos a manifestis beatam vitam initium sui capere dicitis.“
7 Dicimus beata esse, quae secundum naturam sint: quid autem secundum naturam sit, palam et protinus adparet, sicut quid sit integrum. Quod secundum naturam est, quod contigit protinus nato, non dico bonum, sed initium boni. tu summum bonum, voluptatem, infantiae donas, ut inde incipiat nascens, quo consummatus homo
8 pervenit. cacumen radicis loco ponis. Si quis diceret illum in materno utero latentem, sexus quoque incerti, tenerum et imperfectum et informem iam in aliquo bono esse, aperte videretur errare: atqui quantum interest inter eum, qui cum maxime vitam accipit, et illum, qui maternorum viscerum latens onus est? uterque, quantum ad intellectum boni ac mali, aequè maturus est et non magis infans adhuc boni capax est quam arbor aut mutum aliquod animal. quare autem bonum in arbore animalique muto non est? quia nec ratio. ob hoc in infante quoque non est. nam et huic deest: tunc ad bonum
9 perveniet, cum ad rationem pervenerit. Est aliquod irrationale animal, est aliquod nondum rationale, est rationale sed imperfectum: in nullo horum bonum: ratio illud secum adfert. quid ergo inter ista, quae retuli, distat? in eo, quod irrationale est, numquam erit bonum. in eo, quod nondum rationale est, tunc esse bonum non potest. sed in eo, quod est rationale sed imperfectum, iam
10 potest esse bonum, sed non est. Ita dico, Lucili: bonum non in quolibet corpore, non in qualibet aetate invenitur et tantum abest ab infantia, quantum a primo ultimum,

quantum ab initio perfectum: ergo nec in tenero, modo coalescente corpusculo est. quidni non sit? non magis quam in semine hoc esse dicas. Aliquod arboris ac sati¹¹ bonum novimus: hoc non est in prima fronde, quae emissa cum maxime solum rumpit. est aliquod bonum tritici: hoc nondum est in herba lactente nec, cum folliculo se exserit spica mollis, sed cum frumentum aestas et debita maturitas coxit. [?] Quemadmodum omnis natura bonum suum nisi consummata non profert, ita hominis bonum non est in homine, nisi cum illi ratio perfecta est. Quod autem hoc bonum? dicam: liber animus, erectus,¹² alia subiciens sibi, se nulli. hoc bonum adeo non recipit infantia, ut pueritia non speret, adulescentia inprobe speret: bene agitur cum senectute, si ad illud longo studio intentoque pervenit: si hoc, et bonum [et] intelligibile est. „Dixisti, inquit, aliquod bonum esse arbo-¹³ ris, aliquod herbae: potest ergo aliquod esse et infantis.“ Verum bonum nec in arboribus nec in mutis animalibus: hoc, quod in illis bonum est, precario bonum dicitur. „quod est?“ inquis. hoc, quod secundum cuiusque naturam est. bonum quidem cadere in mutum animal nullo modo potest: felicioris meliorisque naturae est: nisi ubi rationi locus est, bonum non est. Quatuor hae naturae¹⁴ sunt, arboris, animalis, hominis, dei: haec duo, quae rationalia sunt, eandem naturam habent, illo diversa sunt, quod alterum immortale, alterum mortale est. ex his ergo unius bonum natura perficit, dei [scilicet], alterius cura, hominis: cetera tantum in sua natura perfecta sunt, non vere perfecta, a quibus abest ratio. hoc enim demum perfectum est, quod secundum universam naturam perfectum. universa autem natura rationalis est: cetera possunt in suo genere esse perfecta. In quo non¹⁵ potest beata vita esse, nec id potest, quo beata vita efficitur: beata autem vita bonis efficitur. in muto animali non est beata vita nec id, quo beata vita efficitur: ergo in muto animali bonum non est. Mutum animal sensu¹⁶ comprehendit praesentia. praeteritorum reminiscitur, cum id incidit, quo sensus admoneretur: tamquam equus re-

miniscitur viae, cum ad initium eius admotus est: in sta-
 bulo quidem nulla illi viae quamvis saepe calcatae me-
 moria est. tertium vero tempus, id est futurum, ad muta
 17 non pertinet. Quomodo ergo potest eorum videri per-
 perfecta natura, quibus usus perfecti temporis non est? tem-
 pus enim tribus partibus constat, praeterito, praesente,
 venturo: animalibus tantum quod brevissimum est, in
 transcurso datum, praesens. praeteriti rara memoria est
 18 nec umquam revocatur nisi praesentium occursum. non
 potest ergo perfectae naturae bonum in imperfecta esse
 natura: aut si *muta animalia* habent hoc, habent et sata.
 Nec illud nego, ad ea, quae videntur secundum naturam,
 magnos esse mutis animalibus inpetus et concitados, sed
 inordinatos ac turbidos: numquam autem aut inordina-
 19 tum est bonum aut turbidum. „Quid ergo? inquis: muta
 animalia perturbate et indisposite moventur?“ Dicerem
 illa perturbate et indisposite moveri, si natura illorum
 ordinem caperet: nunc moventur secundum naturam
 suam. perturbatum enim id est, quod esse aliquando et
 non perturbatum potest: sollicitum est, quod potest esse
 securum. nulli vitium est, nisi cui virtus potest esse:
 20 mutis animalibus talis ex natura sua motus est. Sed ne
 te diu teneam, erit aliquando [*aliquid*] bonum in muto
 animali, erit aliqua virtus, erit aliquid perfectum: sed
 nec bonum absolute nec virtus nec perfectum. haec enim
 rationalibus solis contingunt, quibus datum est scire
 quare, quatenus, quemadmodum: ita bonum in nullo
 21 est, nisi in quo ratio. Quo nunc pertineat ista disputatio,
 quaeris et quid animo tuo profutura sit? [*non*] dico: et
 exercet illum et acuit et utique aliud acturum occupatione
 honesta tenet. prodest autem etiam quod moratur ad
 prava properantem: sed illud dico: nullo modo pro-
 desse possum magis, quam si tibi bonum tuum
 ostendo, si te a mutis animalibus separo, si
 22 cum deo pono. Quid, inquam, vires corporis alis et
 exerces? pecudibus istas maiores ferisque natura con-
 cessit. quid excolis formam? cum omnia feceris, a mu-
 tis animalibus decore vinceris. quid capillum ingenti di-

ligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum
 vel Germanorum modo vinxeris vel, ut Scythae solent,
 sparseris, in quolibet equo densior iactabitur iuba, hor-
 rebit in leonum cervice formosior. cum te ad velocitatem
 paraveris, par lepusculo non eris. Vis tu relictis, in qui-²³
 bus vinci te necesse est, dum in aliena niteris, ad bo-
 num reverti tuum? quod est hoc? animus scilicet emen-
datus ac purus, aemulator dei, super humana se extollens,
nihil extra se sui ponens. Rationale animal es: quod ergo
 in te bonum est? perfecta ratio: hanc tu ad suum finem
 evoca, in quantum potest plurimum crescere. Tunc bea-²⁴
 tum esse te iudica, cum tibi ex te gaudium omne nasce-
 tur, cum in istis, quae homines eripiunt, optant, custo-
 diunt, nihil inveneris, non dico quod malis, sed quod
 velis. Brevem tibi formulam dabo, qua te metiaris, qua
 perfectum esse iam sentias: tunc habebis tuum, cum in-
 telleges infelicissimos esse felices. Vale.

DE AMISSIS L. ANNAEI SENECAE LIBRIS TESTIMONIA VETERUM ET FRAGMENTA EX IIS SERVATA.

I.

- 1 *Quintil. institt. orat. X, 1, 125—131.* Ex industria Senecam in omni genere eloquentiae distuli propter vulgatam falso de me opinionem, quia damnare eum et invisum quoque habere sum creditus. quod accidit mihi, dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus revocare ad severiora iudicia contendo: tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit. quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus praeferrere non sinebam, quos ille non destiterat incessere, cum diversi sibi conscius generis placere se in dicendo posse, quibus illi placerent, diffideret. Amabant autem eum magis quam imitabantur, tantumque ab eo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat. foret enim optandum pares aut saltem proximos illi viro fieri: sed placebat propter sola vitia, et ad ea se quisque dirigebat effingenda, quae poterat, deinde, cum se iactaret eodem modo dicere, Senecam infamabat. cuius et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt: ingenium facile et copiosum, plurimum studii, multa rerum cognitio, in qua tamen aliquando ab his, quibus inquirenda quaedam mandabat, deceptus est. Tractavit etiam omnem fere studiorum materiam: nam et orationes eius et poemata et dialogi feruntur. In philosophia parum diligens, egregius tamen insectator vitiorum fuit. Multae in eo claraeque sententiae, multa etiam morum gratia legenda, sed in eloquendo corrupta pleraque atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis: velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio. nam si aliqua contempsisset, si partem non concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissi-

mis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum quam puerorum amore comprobaretur. Verum sic quoque iam robustis et severiore genere satis firmatis legendus vel ideo, quod exercere potest utrimque iudicium. multa enim, ut dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda sunt: eligere modo curae sit, quod utinam ipse fecisset. digna enim fuit illa natura, quae meliora vellet, quae quod voluit, effecit.

II. CARMINA.

Plin. epist. V, 3. Facio nonnumquam versiculos se-
veros parum — an ego vereor, ne me non satis deceat,
quod decuit M. Tullium, C. Calvum — Annaeum Senecam et
proxime Verginium Rufum?

Tac. Ann. XIV, c. 52. Mors Burri infregit Senecae poten-
tiam — Nero ad deteriores inclinabat. hi variis criminationi-
bus Senecam adoriuntur. — obiciebant etiam eloquentiae
laudem uni sibi adsciscere et carmina crebrius facitare,
postquam Neroni amor eorum venisset.

Priscian. lib. VII. p. 759. ed. Putsch. Seneca Ovidium se-
quens.

„Gausapa si sumpsit, gausapa sumpta proba.“

III. DE MOTU TERRARUM.

Sen. nat. quaest. VI, c. 4, 2. Inspiciamus ergo, quid sit, 5
propter quod haec accidant: quorum adeo est mihi dulcis in-
spectio, ut quamvis aliquando de motu terrarum volu-
men ediderim iuvenis, tamen temptare me voluerim et ex-
periri, an aetas aliquid nobis aut ad scientiam aut certe ad
diligentiam adiecerit.

IV. DE LAPIDUM NATURA.

Plin. nat. hist. lib. I. Libro XXXVI. continentur natura e 6
lapidum — ex auctoribus M. Varrone — --- Fabiano, Se-
neca, Catone censorio, Vitruvio.

V. DE PISCIIUM NATURA.

Plin. nat. hist. lib. 1. Libro IX. continetur aquatilium na- 7
tura — ex auctoribus Turranio Gracili — Melisso, Seneca,
Cicerone —.

- 8 *Plin. nat. hist. lib. IX, 53.* Aevi piscium memorandum nuper exemplum accepimus: Pausilypum villa est Campaniae haud procul Neapoli. in ea in Caesaris piscinis a Pollione Vedio coniectum piscem sexagesimum post annum exspirasse scribit Annaeus Seneca duobus aliis aequalibus eius ex eodem genere etiam tunc viventibus.

VI. DE SITU INDIAE.

- 9 *Plin. nat. hist. lib. I.* Libro VI. continentur situs, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, mensurae, populi, qui sunt aut fuerunt Ponti — Scytharum gentes et situs ab oceano Eoo, Seres, Indi, Ganges, Indus, Taprobane, Ariani et iunctae gentes, navigationes in Indiam — — ex auctoribus M. Agrippa — — T. Livio, Seneca, Nigidio.
- 10 *Plin. nat. hist. lib. VI, c. 17, s. 21. § 60.* Seneca etiam apud nos temptata Indiae commentatione LX amnis eius prodidit, gentis CXVIII. Par labos sit montis enumerare.
- 11 *Servius ad Virg. Aen. IX. v. 31.* Ganges fluvius Indiae est, qui secundum Senecam in situ Indiae novem alveis fluit, secundum Melam septem, qui tamen et ipse commemorat nonnullos dicere, quod tribus alveis fluat.

VII. DE SITU ET SACRIS AEGYPTIORVM.

- 12 *Servius ad Virg. Aen. VI, v. 154.* Seneca scripsit de situ et sacris Aegyptiorum. hic dicit, circa Syenen, extremam Aegypti partem, esse locum, quem Philas, hoc est Amicas vocant ideo quod illic est placata ab Aegyptiis Isis, quibus irascebatur, quod membra mariti Osiridis non inveniebat, quem frater Typhon occiderat. quae inventa postea cum sepelire vellet, elegit vicinae paludis tutissimum locum, quem transitu constat esse difficilem. limosa enim est et papyris referta et alta. [Cf. Mythogr. III, tract. VI, § 3. p. 188. ed. Mai.]

VIII. DE FORMA MUNDI.

- 13 *Cassiodor. de artib. ac disciplinis liberal. litt. cap. VII. (de astronomia). vol. II, p. 559. b. ed. Garet.* Nam mundus ipse, ut quidam dicunt, sphaerica fertur rotunditate collectus, ut diversas rerum formas ambitus sui circuitione concluderet. unde librum Seneca consentanea philosophis disputa-

tione formavit, cui titulus est: „de forma mundi,“ quem vobis item reliquimus perlegendum. *Boeth. de geometr. lib. II. p. 1537. (ed. Basil. 1570.)* Nam mundus ipse sphaerica fertur rotunditate collectus, ut diversas rerum formas ambitus sui circuitione concluderet, unde librum Seneca consentanea philosophis disputatione formavit, cui titulus est: „de forma mundi.“ (Rursus eadem verba habet Hrabanus Maurus de instit. clericor. lib. III, c. 25. tom. VI, p. 44 B. ed. Colon. a. 1626.)

IX. EXHORTATIONES.

Lactant. institt. lib. VI, c. 24, § 16. 17. Idem (Seneca) in 14 eiusdem operis (Exhortationum) primo:

„Quid agis? inquit, quid machinaris? quid abscondis? custos te tuus sequitur. Alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors, alium valetudo: haeret hic, quo carere numquam potes. Quid locum abditum legis et arbitros removes? puta tibi contigisse, ut oculos omnium effugias, demens: quid tibi prodest non habere conscium habenti conscientiam?“

Lactant. institt. lib. I, c. 7, 13. Quia fieri non potest, quin 15 d, quod sit, aliquando esse coeperit, consequens est, ut, quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex se ipso sit procreatus — quod Seneca, homo acutus, in Exhortationibus vidit.

„Nos, inquit, aliunde pendemus. itaque ad aliquem respicimus, cui quod est optimum in nobis, debeamus: alius nos edidit, alius instruxit: deus ipse se fecit.“

Lactant. institt. lib. I, c. 5, 27. Annaeus Seneca — in Ex- 16 hortationibus:

„Hic quum prima fundamenta molis pulcherrimae iaceret et hoc ordiretur, quo neque maius quidquam novit natura nec melius, ut omnia sub ducibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui deus genuit.“

Et quam multa alia de deo nostris similia locutus est, quae nunc differo. — *Ib. c. 7, 5.* Et est illud verum, quod dixisse in Exhortationibus Senecam supra retuli: genuisse regni sui ministros deum.

Lactant. institt. III, c. 15, 1. Eodem ductus errore Seneca — 17 ca — quis enim veram viam teneret errante Cicerone? —

„philosophia, inquit, nihil aliud est quam recta vivendi ratio vel honeste vivendi scientia vel ars rectae vitae agendae. Non errabimus, si dixerimus philosophiam esse legem bene honesteque vivendi, et qui dixerit illam regulam vitae, suum illi [nomen] reddidit.“

18 *Ibid.* § 11—14. Seneca in Exhortationibus:

„Plerique, inquit, philosophorum tales sunt, disertum in convicium suum. quos si audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium professos putes: adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa. quos non aliter intueri decet quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. quosdam vero nec pudor vitiorum tenet, sed patrocina turpitudini suae fingunt, ut etiam honeste peccare videantur.“

19 „Facit sapiens, inquit idem Seneca, etiam quae non probabit, ut etiam ad maiora transitum inveniat, nec relinquet bonos mores sed tempori aptabit, et quibus alii utuntur in gloriam aut voluptatem, utetur agendae rei causa.“

20 Deinde paulo post:

„Omnia, quae luxuriosi faciunt quaeque imperiti, faciet et sapiens, sed non eodem modo eodemque proposito.“

Atqui nihil interest, quo animo facias, quod fecisse vitio sum est, quia facta cernuntur, animus non videtur.

21 *Ibid.* c. 16, 14. Seneca:

„nondum sunt, inquit, mille anni, ex quo initia sapientiae mota sunt.“

22 *Ibid.* c. 23, 14. Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret, utrumne soli quoque suos populos daret: inepte scilicet, qui dubitaverit.

23 *Ibid.* c. 25, 15 sqq. Nullas umquam mulieres philosophari docuerunt praeter unam ex omni memoria Themisten, neque servos praeter unum Phaedonem, quem male servientem redemisse ac docuisse Cebetem tradunt. Enumerant etiam Platonem ac Diogenem, qui tamen servi non fuerunt, sed his servitus evenerat. sunt enim capti. Platonem quidem redemisse Anniceris quidam traditur HS VIII. itaque insectatus est conviciis hunc ipsum redemptorem Seneca, quod parvo Platonem aestimaverit, furiosus, ut mihi quidem videtur, qui homini

fuerit iratus, quod non multam pecuniam perdidit: scilicet aurum adpendere debuit, tamquam pro mortuo Hectore, aut tantum ingerere numorum, quantum venditor non poposcit. Ex barbaris vero nullum praeter unum Anacharsim Scytham, qui philosophiam ne somniasset quidem, nisi et linguam et litteras ante didicisset.

Lactant. institt. VI, c. 24, 11 sqq. Nec lucrari se quisquam 24 putet, si delicti conscius non habeat. scit enim ille omnia, in cuius conspectu vivimus, nec si universos homines celare possumus, deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. Seneca *Exhortationes* suas mirabili sententia terminavit.

„Magnum, inquit, nescio quid maiusque quam cogitari potest, numen est, cui vivendo operam damus. huic nos adprobemus! nam nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemur deo.“

X. DE OFFICIIS.

Diomedes lib. I. p. 362. ed. Putsch. Seneca de officiis: 25 „si cervicem praestitero“ ait pro praebuero. est autem hodie horum verborum ista divisio, ut sit praebeo patientis, praesto facientis.

XI. DE IMMATURA MORTE.

Lactant. institt. I, c. 5, 26. Annaeus quoque Seneca, qui 26 ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quam saepe summum deum merita laude prosequitur! nam cum de immatura morte disserteret:

„non intelligis auctoritatem ac maiestatem iudicis tui, rectoris orbis terrarum coelique et deorum omnium dei, a quo ista numina, quae singula adoramus et colimus, suspensa sunt.“

Lactant. institt. III, c. 12, 11. Seneca quoque imprudens 27 incidit, ut fateretur nullum esse aliud virtutis praemium quam immortalitatem. laudans enim virtutem in eo libro, quem de immatura morte conscripsit:

„una, inquit, res est virtus, quae nos immortalitate donare possit et pares diis facere.“ *)

*) Propter Fabricium moneo, quem Iacobus Magni in Zophi-

[28] *Tertullianus de anima c. 42. p. 295. ed. Haverc.* Multo coactius Seneca:

„post mortem, ait, omnia finiuntur, etiam ipsa.“

Item *de resurrect. carnis, c. 1. p. 325.* Ait et Seneca, omnia post mortem finiri, etiam ipsam. (Cf. Sen. Troad. 395.)

29 *Lactant. institt. V, c. 13, 20.* Recte igitur Seneca incongruentiam hominibus obiectans ait:

„Summa virtus illis videtur magnus animus: et iidem eum, qui contemnit mortem, pro furioso habent, quod est utique summae perversitatis.“

XII. DE SUPERSTITIOE DIALOGUS.

30 *Tertullian. Apolog. c. 12. p. 49. ed. Haverc.* O impiae voces! o sacrilega convicia! infrendite, inspumate: iidem estis, qui Senecam aliquem pluribus et amarioribus de vestra superstitione perorantem probatis.

31 *Augustin. de civ. dei VI, c. 10. (ed. Antwerp. a. 1700. vol. VII. p. 118 sq.)* Libertas sane, quae huic defuit, ne istam urbanam theologiam theatricae simillimam aperte sicut illam reprehendere auderet, Annaeo Senecae, quem nonnullis indiciis invenimus apostolorum nostrorum claruisse temporibus, non quidem ex toto, verum ex aliqua parte non defuit. adfuit enim scribenti, viventi defuit: nam in eo libro, quem contra superstitiones condidit, multo copiosius ac vehementius reprehendit ipse civilem istam et urbanam theologiam, quam Varro theatricam atque fabulosam. quum enim de simulacris ageret:

„sacros, inquit, immortales, inviolabiles in materia vilissima atque immobili dedicant. habitus illis hominum ferarumque et piscium, quidam vero mixto sexu diversis corporibus

logio lib. II. tract. 1. c. 1. s. f. profert locum Senecae de matura morte, esse hunc ipsum eumque e deterioribus libris mss. Lactantii petatum, id quod inscriptio docet. Nec magis memoria dignum erat, quod idem lib. III. tract. 1. c. 7 extr. appellat Senecae librum de natura rerum; scilicet locum affert ex nat. quaest. lib. II. cap. ult. — Vincentius Bellovacensis in spec. hist. lib. VII, c. 116 memorat libros de immatura morte, nec tamen vidit; nullos enim ex iis flosculos excerpsit.

induunt: numina vocant, quae si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur.“

Deinde aliquanto post quum theologiam naturalem praedicans quorundam philosophorum sententias digessisset, opposuit sibi quaestionem et ait:

„Hoc loco dicet aliquis: credam ego coelum et terram deos esse et supra lunam alios, infra alios? ego feram aut Platonem aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit deum sine corpore, alter sine animo?“

Et ad hoc respondens:

„Quid ergo tandem? inquit, veriora tibi videntur T. Tati aut Romuli aut Tulli Hostilii somnia? Cloacinam Tatius dedicavit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hostilius Pavorem atque Pallorem, teterrimos hominum adfectus, quorum alter mentis territae motus est, alter corporis ne morbus quidem sed color: haec numina potius credes et coelo recipies?“

De ipsis vero ritibus crudeliter turpibus quam libere scripsit!

„Ille, inquit, viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat: ubi iratos deos timent, qui sic propitios [habere] merentur? dii autem nullo debent coli genere, si et hoc volunt: tantus est perturbatae mentis et sedibus suis pulsae furor, ut sic dii placentur, quemadmodum ne homines quidem saeviunt. Teterrimi et in fabulas traditae crudelitatis tyranni laceraverunt aliquorum membra, neminem sua lacerare iusserunt. in regiae libidinis voluptatem castrati sunt quidam, sed nemo sibi, ne vir esset, iubente domino manus intulit: se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis ac sanguine supplicant. Si cui intueri vacet, quae faciunt quaeque patiuntur, inveniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, si cum paucioribus furerent: nunc sanitatis patrocinium insanientium turba est.“

Iam illa, quae in ipso Capitolio fieri solere commemorat et intrepide omnino coarguit, quis credat nisi ab irridentibus aut furentibus fieri? nam quum in sacris Aegyptiis Osirim lugeri perditum, mox autem inventum magno esse gaudio derisisset, quum perditio eius inventioque fingatur, dolor ta-

men ille atque laetitia ab eis, qui nihil perdidit nihilque invenerunt, veraciter exprimat, ,

- 36 „Huic tamen, inquit, furori certum tempus est: tolerabile est semel in anno insanire. In Capitolium perveni: pudebit publicatae dementiae, quod sibi vanus furor attribuit officii: alius nomina deo subicit, alius horas Iovi nunciat, alius licitor est, alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur unguentem. sunt quae Iunoni ac Minervae capillos disponant: longe a templo, non tantum a simulacro stantes digitos movent ornantium modo. sunt quae speculum teneant, sunt qui ad vadium sua deos advocent, sunt qui libellos offerant et illos causam suam doceant. doctus archimimus, senex iam decrepitus, quotidie in Capitolio mimum agebat, quasi dii libenter spectarent, quem homines desierant: omne illic artificum genus operantium diis immortalibus desidet.“

et paulo post:

- 37 „Hi tamen, inquit, etiamsi supervacuum usum, non turpem nec infamem deo promittunt: sedent quaedam in Capitolio, quae se a Iove amari putant nec Iunonis quidem, si credere poëtis velis, iracundissimae, respectu terrentur.“

- 38 Hanc libertatem Varro non habuit: tantummodo poëcan. theologiam reprehendere ausus est, civilem non ausus est, quam iste concidit. Sed si verum attendamus, deteriora sunt templa, ubi haec aguntur, quam theatra, ubi finguntur. unde in his sacris civilis theologiae has partes potius elegit Seneca sapienti, ut eas in animi religione non habeat sed in actibus fingat. ait enim:

„Quae omnia sapiens servabit tamquam legibus iussa, non tamquam diis grata.“

- 39 et paulo post:

„Quid, quod et matrimonia, inquit, deorum iungimus? et ne pie quidem, fratrum ac sororum: Bellonam Marti collocamus, Vulcano Venerem, Neptuno Salaciam. quosdam tamen caelibes relinquimus, quasi conditio defecerit, praesertim quum quaedam viduae sint, ut Populonia vel Fulgora et diva Rumina, quibus non miror petitozem defuisse.“

„Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo nevo longa superstitio congressit, sic, inquit, adorabimus,

ut meminerimus cultum eius magis ad morem quam ad rem pertinere.“

Nec leges ergo illae nec mos in civili theologia id insti- 40
tuerunt, quod diis gratum esset vel ad rem pertineret, sed iste, quem philosophia quasi liberum fecerat, tamen quia illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat: quia videlicet magnum aliquid eum philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo, sed propter leges civium moresque hominum non quidem ageret fingentem scenicum in theatro, sed imitaretur in templo, eo damnabilius, quo illa, quae mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus veraciter agere existimaret, scenicus autem ludendo potius delectaret quam fallendo deciperet.

Ibid. c. 11. Hic (Seneca) inter alias civilis theologiae su- 41
perstitiones reprehendit etiam sacramenta Iudaeorum et maxime sabbata, inutiliter id eos facere adfirmans, quod per illos singulos septem interpositos dies septimam fere partem aetatis suae perdant vacando et multa in tempore urgentia non agendo laedantur. Christianos tamen, iam tunc Iudaeis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suae patriae veterem consuetudinem vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem. De illis sane 42
Iudaeis cum loqueretur, ait:

„Cum interim usque eo sceleratissimae gentis consuetudo convaluit, ut per omnes iam terras recepta sit: victi victoribus leges dederunt.“

Mirabatur haec dicens et quid divinitus ageretur, ignorans. 43
subiecit plane sententiam, qua significaret, quid de illorum sacramentorum ratione sentiret. ait enim:

„Illi tamen causas ritus sui noverunt. maior pars populi facit, quod cur faciat, ignorat.“

Diomedes lib. I. pag. 375. ed. Putsch. Horum verborum non 44
facile reperimus tempus perfectum, et tamen quod est verro, in passiva declinatione perfectum reperimus, quasi verro, versus, ut apud Senecam in dialogo de superstitione:
„versa templa.“

XIII. DE MATRIMONIO.

- 45 *Hieronymus adv. Iovinian. lib. I. p. 191. (tom. IV. P. 2 ed. Paris. a. 1706.)* Epicurus, voluptatis assertor, quamquam Metrodorus, discipulus eius, Leontium habuerit uxorem, raro dicit sapienti ineunda coniugia, quia multa incommoda admixta sunt nuptiis. et quomodo divitiae et honores et corporum sanitates et cetera, quae indifferentia nominamus, nec bona nec mala sunt sed velut in meditullio posita usu et eventu vel bona vel mala fiunt, ita et uxores sitas in bonorum malorumque confinio. grave autem esse viro sapienti venire in dubium, utrum bonam an malam ducturus sit.
- 46 Ridicule Chrysippus ducendam uxorem sapienti praecipit, ne Iovem Gamelium et Genethlium violet. isto enim modo apud Latinos ducenda uxor non erit, quia Iovem non habent Nuptialem. quod si deorum, ut *putat*, nomina vitae hominum praeiudicant, offendet ergo Statorem Iovem, qui libenter sederit.
- 47 *Ibid. p. 190 sq.* Fertur aureolus Theophrasti liber de nuptiis, in quo quaerit, an vir sapiens ducat uxorem. et quum definisset, si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac dives, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim intulit: haec autem in nuptiis raro uni-
- 48 versa concordant. non est ergo uxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophiae nec posse quemquam libris et uxori pariter inservire. multa esse, quae matronarum usibus necessaria sint: pretiosae vestes, aurum, gemmae, sumptus, ancillae, supellex varia, lecticae et cessedae deauratae.
- 49 Deinde per noctes totas garrulae conquestiones: „illa ornatior procedit in publicum, haec honoratur ab omnibus, ego in conventu feminarum misella despicior. Cur adspiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attulisti?“ Non amicum habere possumus, non sodalem. alterius amorem suum odium suspicatur. Si doctissimus praeceptor in qualibet urbium fuerit, nec uxorem relinquere nec cum sarcina ire possumus. Pauperem alere difficile est, di-
- 50 vitem ferre tormentum. Adde, quod nulla est uxoris electio, sed qualiscumque obvenerit, habenda. si iracunda, si fatua,

si deformis, si superba, si foetida, quodcumque vitii est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis et vilissima mancipia, vestes quoque et lebetes, sedile ligneum, calix et urceolus fictilis probantur prius et sic emuntur: sola uxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur. Attendenda semper eius est facies et pulchritudo laudanda, ne si alteram adspexeris, se existimet displicere. vocanda domina, celebrandus natalis eius, iurandum per salutem illius, ut sit superstes optandum. honoranda nutrix eius et gerula, servus paternus et alumnus et formosus assecla et procurator calamistratus et in longam securamque libidinem exsectus spado, sub quibus nominibus adulteri delitescunt; quoscunque illa dilexerit, ingratis amandi. Si totam domum regendam ei commiseris, serviendum est: si aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putabit sed in odium vertetur ac iurgia, et nisi cito consulueris, parabit venena. Anus et aruspices et hariolos et institores gemmarum sericarumque vestium si intromiseris, periculum pudicitiae est: si prohibueris, suspicionis iniuria. Verum quid prodest etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat? infida enim custos est castitatis necessitas, et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare *sed noluit*. Pulchra cito adamatur, foeda facile concupiscit. difficile custoditur, quod plures amant: molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. minore tamen miseria deformis habetur quam formosa servatur. Nihil tutum est, in quod totius populi vota suspirant: alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat: aliquo modo vel aliquando expugnatur, quod undique incessitur. Quod si propter dispensationem domus et languoris solatia et fugam solitudinis ducuntur uxores, multo melius servus fidelis dispensat, obediens auctoritati domini et dispensationi eius obtemperans, quam uxor, quae in eo se existimat dominam, si adversum viri faciat voluntatem, id est, quod placet, non quod iubetur. Assidere autem aegrotanti magis possunt amici et vernulae beneficiis obligati, quam illa, quae nobis imputat lacrimas suas et hereditatis spe vendit illuviem, et sollicitudinem iactans languentis animum desperatione conturbat. Quod si ipsa languerit, coaegrotandum est et numquam ab eius

lectulo recedendum. Aut si bona fuerit et suavis uxor, quae
 tamen rara avis est, cum parturiente gemimus, cum periculi-
 57 tante torquemur. Sapiens autem nunquam solus esse potest:
 habet secum omnes, qui sunt, qui unquam fuerunt boni et ani-
 mum liberum, quocumque vult, transfert: quod corpore non
 potest, cogitatione complectitur, et si hominum inopia fuerit,
 loquitur cum deo: nunquam minus solus erit quam quum so-
 58 lus fuerit. Porro liberorum causa uxorem ducere, ut vel no-
 men nostrum non intereat vel habeamus senectutis praesidia
 et certis utamur heredibus, stolidissimum est. quid enim ad
 nos pertinet recedentes e mundo, si nomine nostro alius no-
 minetur, quum et filius non statim patris vocabulum referat et
 innumerabiles sint, qui eodem appellentur nomine? aut quae
 senectutis auxilia sunt enutrire domi, qui aut prior te forte
 moriatur aut perversissimis sit moribus, aut certe quum ad
 59 maturam aetatem venerit, tarde ei videaris mori? Heredes
 autem meliores et certiores amici sunt et propinqui, quos iu-
 dicio deligas, quam quos, velis nolis, habere cogaris, licet
 certior hereditas sit, dum advivis, bene abuti substantia tua
 quam tuo labore quaesita in incertos usus relinquere.

Haec et huiuscemodi Theophrastus disserens quem non
 suffundat Christianorum, quorum conversatio est in coe-
 lis!

60 *Ibid. c. 15. p. 170. med.* Quam rarum sit uxorem sine his
 vitiis inveniri, novit ille, qui duxit uxorem. unde pulchre
 Varius Geminus, sublimis orator: „qui non litigat, inquit, cae-
 lebs est.“

61 *Ibid. p. 190.* Cicero rogatus ab Hirtio, ut post repudium
 Terentiae sororem eius duceret, omnino facere supersedit,
 dicens non posse se uxori et philosophiae pariter operam
 dare. illa interim coniux egregia et quae de fontibus Tullianis
 hauserat sapientiam, nupsit Salustio, inimico eius, et tertio
 Messallae Corvino et quasi per quosdam gradus eloquentiae
 62 devoluta est. Socrates Xanthippen et Myrto neptem Aristidis
 duas habebat uxores, quae quum crebro inter se iurgarentur
 et ille eas irridere esset solitus, quod propter se, foedissimum
 hominem simis naribus, recalva fronte, pilosis humeris et re-
 pandis cruribus disceptarent, novissime verterunt in eum im-

petum et male mulctatum fugientemque diu persecutae sunt. Quodam autem tempore quum infinita convicia ex superiori loco ingerenti Xanthippae restitisset, aqua perfusus immunda nihil amplius respondit quam capite deterso: „sciebam, inquit, futurum, ut ista tonitrua imber sequeretur.“

L. Sullae, felicitis, si non habuisset uxorem, Metella coniux palam erat impudica, et, quia novissimi mala nostra discimus, id Athenis cantabatur et Sulla ignorabat, secretaque domus suae primum hostium convicio didicit. Cn. Pompeio Mutiam uxorem impudicam, quam Pontici spadones et Mithridaticae ambiebant catervae, quum eum putarent ceteri scientem pati, indicavit in expeditione commilito et victorem totius orbis tristi nuncio consternavit. M. Cato Censorius habuit uxorem Actoriam Paulam humili loco natam, vinolentam, impotentem et, quod nemo posset credere, Catoni superbam. hoc ideo dico, ne quis putet, si pauperem duxerit, satis se concordiae providisse.

Ibid. p. 191. Quid referam Pasiphaen, Clytaemnestram et Eriphylam, quarum prima deliciis diffluens, quippe regis uxor, tauri dicitur expetisse concubitus, altera occidisse virum ob amorem adulteri, tertia prodidisse Amphiaraum et saluti viri monile aureum praetulisse. Quidquid tragoediae tum et domos, urbes regnaque subvertit, uxorum pellicumque contentio est. armantur parentum in liberos manus, nefandae apponuntur epulae et propter unius mulierculae raptum Europa atque Asia decennali bello confligunt. Quasdam repudiatas altero nuptiarum die statim nupsisse legimus: uterque reprehendendus maritus, et cui tam cito displicuit et cui tam cito placuit.

Ibid. p. 188. Ad Romanas feminas transeam et primam ponam Lucretiam, quae violatae pudicitiae nolens supervivere maculam corporis cruore delevit. [G.] Duellius, qui primus Romae navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem, tantae pudicitiae, ut illo quoque seculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monstrum erat, non vitium. is iam senex et trementi corpore in quodam iurgio audivit exprobrari sibi os foetidum, et tristis se domum contulit, quumque uxori questus esset, quare nunquam se monuisset, ut huic vitio me-

deretur: „fecissem, inquit illa, nisi putassem omnibus viris
 71 sic os olere.“ Laudanda in utroque pudica et nobilis femina,
 et si ignoravit vitium viri et si patienter tulit, et quod maritus
 infelicitatem corporis sui non uxoris fastidio sed maledicto
 sensit inimici. Certe quae secundum ducit maritum, hoc non
 potest dicere.

72 Marcia, Catonis filia minor, quum quaereretur ab ea, cur
 post amissum maritum denuo non nuberet, respondit non se
 invenire virum, qui se magis vellet quam sua. quo dicto ostendit
 divitias magis in uxoribus eligi solere quam pudicitiam et
 multos non oculis sed digitis uxores ducere: optima sane res,
 73 quam avaritia conciliat. Eadem quum lugeret virum et ma-
 tronae ab ea quaererent, quem diem haberet luctus ultimum,
 ait: „quem et vitae.“ Arbitror, quae ita virum quaerebat ab-
 sentem, de secundo matrimonio non cogitabat.

74 Brutus Porciam virginem duxit uxorem, Marciam Cato non
 virginem. sed Marcia inter Hortensium Catonemque discurrit
 et sine Catone vivere Marcia potuit, Porcia sine Bruto non
 potuit. magis enim se unicis viris applicant feminae, et nihil

75 aliud nosse magnum arctioris indulgentiae vinculum est. An-
 niam cum propinquus moneret, ut alteri viro nuberet: esse
 enim ei et aetatem integram et faciem bonam: „nequaquam,
 inquit, hoc faciam. si enim virum bonum invenero, nolo ti-
 mere, ne perdam: si malum, quid necesse est post bonum

76 pessimum sustinere?“ Porcia minor quum laudaretur apud
 eam quaedam bene morata, quae secundum habebat maritum,
 respondit: „felix et pudica matrona numquam praeterquam
 semel nubit.“ Marcella maior rogata a matre sua, gauderetne
 77 se nupsisse, respondit: „ita valde, ut amplius nolim.“ Valeria,
 Messallarum soror, amisso Servio viro nulli volebat nubere.
 quae interrogata cur faceret, ait sibi semper maritum Servium
 vivere.

78 *Ibid.* p. 192. Doctissimi viri vox est, pudicitiam inprimis
 esse retinendam, qua amissa omnis virtus ruit: in hac mulie-
 brium virtutum principatus est. haec pauperem commendat,
 divitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram. bene
 meretur de maioribus, quorum sanguinem furtiva sobole non
 vitiat, bene de liberis, quibus nec de matre erubescendum

nec de patre dubitandum est, bene inprimis de se, quam a contumelia externi corporis vindicat. Captivitatis nulla maior calamitas est quam ad alienam libidinem trahi. Viros consu- 79
latus illustrat, eloquentia in nomen aeternum effert, militaris gloria triumphusque novae gentis consecrat. multa sunt, quae praeclara ingenia nobilitent: mulieris virtus proprie pudicitia est: haec Lucretiam Bruto aequavit, nescias an praetulerit, quoniam Brutus non posse servire a femina didicit. haec aequavit Corneliam Graccho, haec Porciam alteri Bruto. notior est marito suo Tanaquil. illum inter multa regum nomina iam abscondit antiquitas: hanc rara inter feminas virtus altius seculorum omnium memoriae quam ut excidere possit, infixit.

Ibid. c. 26. p. 185. Claudia virgo Vestalis quum in suspi- 80
cionem venisset stupri et simulacrum matris Idaeae in vado Tiberis haereret, ad comprobendam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse navem, quam multa milia hominum trahere nequiverant:

„Melius tamen, inquit Lucani poëtae patruus, cum illa esset actum, si hoc, quod evenit, ornamentum potius exploratae fuisset pudicitiae quam dubiae patrocinium.“

Ibid. c. 30. p. 191. Scripserunt Aristoteles Plutarchus et 81
noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus et superiora nonnulla sunt et ista, quae subiicimus:

„Amor formae rationis oblivio est et insaniae proximus, foedum minimeque conveniens animo sospiti vitium: turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrahit, querulos, iracundos, temerarios, dure imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles, ipsi novissime amori facit. nam quum fruendi cupiditate insatiabili flagret, plura tempora suspicionibus, lacrimis, conquestionibus perdit, odium sui facit et ipse novissime sibi odio est.“ Tota amoris insectatio apud Platonem exposita est et 82
omnia eius incommoda Lysias explicat, quod non iudicio sed furore ducatur et maxime uxorum pulchritudini gravissimus custos accubet. Refert praeterea Seneca cognovisse se quen- 83
dam ornatum hominem, qui exiturus in publicum fascia uxoris pectus colligabat et ne puncto quidem horae praesentia eius

carere poterat. potionemque nullam nisi alterius tactam labris vir et uxor hauriebant, alia deinceps non minus inepta facientes, in quae improvida vis ardentis adfectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta erat, sed magnitudo deformis: nihil autem interest, quam ex honesta causa quis insaniat. unde et Sextius in sententiis: „adulter est, inquit, in suam uxorem amator ardentior.“ In aliena quippe uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu. reget impetus voluptatis nec praeceps feretur in coitum: nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram. Certe qui dicunt se causa reipublicae et generis humani uxoribus iungi et liberos tollere, imitentur saltem pecudes et postquam uxorem venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores uxoribus se exhibeant sed maritos. Quorundam matrimonia adulteriis cohaeserunt et, o rem improbam, iidem illis pudicitiam praeceperunt, qui abstulerant. itaque cito eiusmodi nuptias satietas solvit. quum primum lenocinium libidinis abscessit, quod libebat, evuluit.

87 *Ibid. c. 30 p. 192.*

„Nam quid, ait Seneca, de viris pauperibus dicam, quorum in nomen mariti ad eludendas leges, quae contra caelibes latae sunt, pars magna conducitur? quomodo potest regere mores et praecipere castitatem et mariti auctoritatem tenere, qui nupsit?“

88 [*Ex schedis Pauli Sadoleti apud Arnaud du Ferron in Consuetudines Burdigalenses commentar. (Lugd. 1565.) pag. 111 et in Michaelis Massii, sodalis Augustiniani libro ms. de mansionibus sacris, tit. de continentia:*

„Cordubenses nostri, ut maxime laudarunt nuptias, ita et qui sine his convenissent, excluserunt cretione hereditatum, et iam pactam ne osculo quidem, nisi Cereri fecissent et hymnos cecinissent, attingi voluerunt. Si quis osculo solo [o c t o] parentibus aut vicinis non adhibitis attigisset, huic abducendae quidem sponsae ius erat, ita tamen, ut tertia parte bonorum sobolem suam parens, si vellet, multaret.“]

XIV [DE AMICITIA.]

Fragmenta a Niebuhrro ex membranis bibliothecae Vaticanae edita Romae 1820. p. 99 — 104.

I. [i]le tristior quam solebat | o . . ru . ille . . m . . si | . . .
 . . . ne . . . in ad . . | . . a quaerentem. erm . . |
 t. ni. se . . | gres. r. ae fecit . . al|ter alteri | dit a .
 | ses | plus . . . hi. conque-
 sturus venit: at contra se adfuit et satisfaciendi satisfacit: non
 minus hic sollicitus fuit, ne fecisse videretur iniuriam, quam ille,
 ne accepisse: aut certe nihil || resedit, quod serperet, sed in
 medium dedit uterque offensiones suas, et alter ab altero quid- 90
 quid latebat, expressit. Familiare iurgium non iudicem sed ar-
 bitrum quaerit, nihil autem componitur inter absentes, nec tuto
 epistulis omnis querella committitur, et inexplorata fronte, per
 quam produntur animi, incertum est, quam simpliciter delega-
 tur ira, quam fide||liter desinat. Sic amico iudicaturus amicus
 a praesente secundum absentem det.

Quisquis re consulta rixantes contrahat, plurimum operis 91
 facit, [si] in rem praesentem perducatur amicum. Quemadmo-
 dum multa, quorum in tenebris audacia est, luce prohibentur,
 ita, quae absentes irritant et concitant, ad praesentiam non
 ferunt. Optimum est itaque, etiam si quid neg||legentius prae-
 termissum est si petulantius | factum, ere con|putatum
 | . . . verbi . | . . . in id tempus . . . | niq. o possit . . . nob .
 | le . . le re ne|pens ad . . nari . . si . prae|terea sin-
 ceram amicitiam decet, ut sine cicatrice sanetur.

Quaeramus a venientibus, quid absentes agant, debitoribus 92
 illorum instemus, creditoribus respondeamus, inimicis resista-
 mus: si aut — — —

II. quaeritis: itaque momento amicitiae vestrae exolescunt, 93
 quarum [non] mens aut animus pignus est.

Una peregrinatio eradit animo ius omne: si vero longior
 haec est et longinquior, excidit notitia quoque, non tantum
 amicitia. Quod ne possit accidere, omni opera [re]sistamus, et
 fugientem memoriam reducamus: utamur, ut in prima parte di-
 cebam, || animi velocitate, neminem a nobis amicum abesse

94 patiamur, in animum subinde nostrum revertantur: futura nobis [*in*] promptu iam ut praeterita repetamus:

sic ille manus, sic ora ferebat:

imago effingatur animo notabilis et e vivo petita, non evanida et muta.

sic ille manus, sic ora ferebat:

adiciamus illa quae magis ad rem pertinent: sic loquebatur, sic hor||tabatur, sic deterrebat, sic erat in dando consilio expeditus, in accipiendo paratus, in mutando non pertinax: sic solebat beneficia liberaliter dare, patienter perdere, sic properabat benignitas eius, sic irascebatur, eo vultu ab amico vincebatur, quo solent vincere: ceteras virtutes pererremus, in harum usu

95 tractatuque versemur: et si plures eodem tempo||re absunt, velut sparsa pluribus locis membra familiaritatis nostrae colligamus: nunc hic, nunc ille in ore animoque sit, ubi . . e . ius . . si . . hui . nempe nes: nulla tantum possit vetustas, ut memoriam amicitiae *perdamus* | sic nun | lum est liae es . | se interdu . . cu fati | solet iniram est quam | valde illum amem | conscientia ea con |

96 III. — [*notitia animi esse cer*]tior debet, quia vultus incertus est. Magnos humanum pectus recessus habet: quod *vultu* quo placet virtus, eo fraus adumbratur, et cogitationibus pessimis facies benignissima obducitur: nec facile nisi peritus intellegas, quid intersit inter animum amici et colorem.

97 Hoc sibi quisque proponat, quo minus facile fucatis capiatur officiis: || rara res est amicitia, [*non*] vulgaris aut exposita, ut inplere totas domus possit, [*ut*] vulgo sibi homines persuasere. An aurum ingenti opera [*re*]tegi creditis, cuius ubique quaesiti vix sub aliquo monte vena deprehenditur; amicum autem ubique inveniri sine ullo labore, sine ulla investigatione? quid enim? tam simplex apertumque est? atqui non tam in alto latet aurum argentumque — — —

XV.

98 *Incipit eiusdem | Annaei Senecae | de vita patris | feliciter: scribente | me die et lo[co] s[upra] s[cripto].*

Si quaecunque composuit pater meus et edi voluit, iam in manus populi emissem, ad claritatem nominis sui satis sibi

ipse prospexerat: nam nisi || me decipit pietas, cuius honestus etiam error est, inter eos haberetur, qui ingenio meruerunt, ut puris *scriptorum* titulis nobiles essent. Quisquis legisset 99 eius historias ab initio bellorum civilium, unde primum veritas retro abiit, paene usque ad mortis suae diem, magni aestimaret scire, quibus natus esset parentibus ille, qui res Roma||nas *).

XVI. ORATIONES.

Cass. Dio LXI, c. 10. Ὁ Σενέκας — τυραννίδος κατηγο- 100
ρῶν τυραννοδιδάσκαλος ἐγίνετο — τοὺς τε κολακεύοντάς τινα
διαβάλλων αὐτὸς οὕτω τὴν Μ εσσαλῖναν καὶ τοὺς Κλαυδίου

*) Ad historias M. Annaei Senecae referenda videntur fragmenta haec, quae solent Lucio tribui:

Lactant. institt. lib. VII, c. 15, 14. Non incite Seneca Romanae urbis tempora distribuit in aetates: primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo et genita et quasi educata sit Roma. deinde pueritiam sub ceteris regibus, a quibus et aucta sit et disciplinis pluribus institutisque formata. at vero Tarquinio regnante quum iam quasi adulta esse coepisset, servitium non tulisse et reiecto superbae dominationis iugo maluisse legibus obtemperare quam regibus. quumque esset adolescentia eius fine Puuici belli terminata, tum denique confirmatis viribus coepisse iuvenescere. sublata enim Carthagine, quae diu aemula imperii fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit: donec regibus cunctis et nationibus imperio subiugatis quum iam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. Haec fuit prima eius senectus, cum bellis lacerata civilibus atque intestino malo pressa rursus ad regimen singularis imperii recidit quasi ad alteram infantiam revoluta. amissa enim libertate, quam Bruto duce et auctore defenderat, ita consenuit, tamquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur.

Sueton. Tiber. c. 73. Seneca eum (Tiberium) scribit, intellecta defectione exemptum annulum quasi alicui traditurum parumper tenuisse, dein rursus aptasse digito et compressa sinistra manu iacuisse diu immobilem, subitoque vocatis ministris ac nemine respondente consurrexisse nec procul a lectulo deficientibus viribus concidisse.

Ex eiusdem M. Senecae rhetoricis libris petita videntur haec:

Quintil. institt. IX, 2, 98. Frequens illud est nec magnopere captandum, quod petitur a iureiurando — nam et in totum iurare, nisi ubi necesse est, gravi viro parum convenit, et est a Seneca dictum eleganter, non patronorum hoc esse sed testium.

ἐξελευθέρους ἐθώπευεν, ὥστε καὶ βιβλίον σφίσιν ἐκ τῆς νήσου πέμπαι ἐπαίνους αὐτῶν ἔχον, ὃ μετὰ ταῦτα ὑπ' αἰσχύνης ἀπήλειψεν.

- 101 *Ibid.* c. 3. Ἐπὶ δὲ καὶ δέκα ἔτη ἦγεν (ὁ Νέρων) ὅτ' ἤρξεν· ἔς τε τὸ στρατόπεδον ἐσῆλθε καὶ ἀναγνοὺς ὅσα ὁ Σενέκας ἐγγράφει, ὑπέσχετο αὐτοῖς ὅσα ὁ Κλαύδιος ἐδεδώκει. τσαῦτα δὲ καὶ πρὸς τὴν βουλὴν, πρὸς τοῦ Σενέκου καὶ αὐτὰ γραφέντα ἀνέγνω, ὥστε καὶ ἔς ἀργυρῶν στήλην ἐγγραφῆναι καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν αἰεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγινώσκεσθαι ψηφισθῆναι. καὶ οἱ μὲν ἐκ τούτων ὡς καὶ κατὰ συγγραφὴν τινα καλῶς ἀρχιθεσόμενοι παρεσκευάζοντο. [Cf. Tac. Ann. XIII, 4.]
- 102 *Tacit. Ann. XIII, 3.* Die funeris (Claudii) laudationem eius princeps exorsus est. dum antiquitatem generis, consulatus ac triumphos maiorum enumerabat, intentus ipse et ceteri. liberalium quoque artium commemoratio et nihil regente eo triste rei publicae ab externis accidisse pronis animis audita: postquam ad providentiam sapientiamque flexit, nemo risui temperare. quamquam oratio a Seneca composita multum cultus praeferret, ut fuit illi viro ingenium amoenum et temporis eius auribus accommodatum. Adnotabant seniores, — primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienae facundiae eguisse.
- 103 *Tacit. Ann. XIII, c. 11.* Secuta lenitas in Plautium Lateranum, quem (Nero) ob adulterium Messalinae ordine remotum reddidit senatui, clementiam suam obstringens crebris orationibus, quas Seneca testificando, quam honesta praeciperet vel iactandi ingenii voce principis vulgabat.
- 104 *Cass. Dio LXI, c. 14.* Οὕτω μὲν ἡ Ἀγοριππίνα — ὑπ' αὐτοῦ τοῦ υἱέος, ᾧ τὸ κράτος ἐδεδώκει — κατεσφάγη. μαθὼν δὲ ὁ Νέρων ὅτι τέθνηκεν — τῇ γερούσιᾳ ἐπέστειλεν, ἄλλα τε ὅσα συνήδει αὐτῇ καταριθμῶν, καὶ ὅτι ἐπεβούλευσέ τε αὐτῷ καὶ φωραθεῖσα ἐαυτὴν διακατεχρήσατο.

Ibid. VIII, 3, 31. Memini iuvenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an gradus eliminat in tragoedia dici oportuisset.

Donat. vita Virgīlii c. 11 extr. Seneca tradidit, Iulium Montanum poetam solium dicere, involaturum se quaedam Virgilio, si et vocem posset et os et hypocrisis. eosdem enim versus eo pronunciantem bene sonare, sine illo inarescere quasi mutos.

Tacit. Ann. lib. XIV, c. 10 sq. (Nero) litteras ad senatum 105 misit, quarum summa erat:

Repertum cum ferro percussorem Agerinum ex intimis Agrippinae libertis et luisse eam poenam conscientia, qua seculus paravisset. adiciebat crimina longius petita, quod consortium imperii iuraturasque in feminae verba praetorias cohortes idemque dedecus senatus et populi speravisset, ac postquam frustra optata sint, infensa militi patribusque et plebi dissuasisset donativum et congiarium, periculaque viris illustribus struxisset. quanto suo labore perpetratum, ne irrumperet curiam, ne gentibus externis responsa daret! temporum quoque Claudianorum obliqua insectatione cuncta eius dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens. namque et naufragium narrabat, quod fortuitum fuisse quis adeo hebes inveniretur ut crederet? aut a muliere naufraga missum cum telo unum, qui cohortes et classes imperatoris perfringeret? Ergo non iam Nero, cuius immanitas omnium questus anteibat, sed Seneca rumore adverso erat, quod oratione tali confessionem scripsisset.

Quintil. institt. orat. VIII, c. 5, 18. Facit quasdam sententias sola geminatio, qualis est Senecae in eo scripto, quod Nero ad senatum misit occisa matre, cum se periclitatum videri vellet:

„salvum me esse adhuc nec credo nec gaudeo.“

Melior cum ex contrariis valet:

„Habeo, quem fugiam: quem sequar non habeo.“ „Quid, quod miser cum loqui non posset, tacere non poterat.“

Tacit. Ann. XIV, c. 53. Seneca criminantium non ignarus 107 prodentibus iis, quibus aliqua honesti cura, et familiaritatem eius magis aspernante Caesare tempus sermoni orat et accepto ita incipit:

„Quartus decimus annus est, Caesar, ex quo spei tuae admotus sum, octavus, ut imperium obtines: medio temporis tantum honorum atque opum in me cumulasti, ut nihil felicitati meae desit nisi moderatio eius. Utar magnis exemplis, nec meae fortunae sed tuae: abavus tuus Augustus Marco Agrippae Mytilenense secretum, Gaio Maecenati urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit, quorum alter bellorum socius, al-

ter Romae pluribus laboribus iactatus ampla quidem sed pro ingentibus meritis praemia acceperant: ego quid aliud munificentiae adhibere potui quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata et quibus claritudo venit, quod iuventae tuae rudimentis affuisse videor, grande huius rei pretium. At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo ut plerumque intra me ipse volvam: egone equestri et provinciali loco ortus proceribus civitatis adnumeror? inter nobiles et longa decora praeferentes novitas mea eniluit? ubi est animus ille modicis contentus? talis hortos exstruit et per haec suburbana incedit et tantis agrorum spatiis, tam lato fenore exuberat? Una defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui.

108 Sed uterque mensuram implevimus, et tu, quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere: cetera invidiam augent. quae quidem ut omnia mortalia infra tuam magnitudinem iacent, sed mihi incumbunt: mihi subveniendum est. quomodo in militia aut via fessus adminiculum orarem, ita in hoc itinere vitae senex et levissimis quoque curis impar quum opes meas ultra sustinere non possim, praesidium peto: iube per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis, quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum aut villarum curae seponitur, in animum revocabo. Superest tibi robur et tot per annos visum fastigii regimen: possumus seniores amici quietem respondere. Hoc quoque in tuam gloriam cedit, eos ad summa vexisse, qui et modica tolerarent.“

XVII. EPISTOLAE.

109 *Priscian. de ponderib. c. 3. p. 1349 extr. ed. Putsch.* Seneca in decimo epistolarum ad Novatum:

„Viginti quatuor sestertia, id est talentum Atticum parvum.“

Martialis epigr. VII, 45.

Facundi Senecae potens amicus
Caro proximus aut prior Sereno

hic est Maximus (Caesonius) ille, quem frequenti
felix littera pagina salutat.

Gellius noctt. Attic. lib. XII, c. 2. De Annaeo Seneca par- 110
tim existimant ut de scriptore minime utili, cuius libros attingere nullum pretium operae sit, quod oratio eius vulgaris videatur et protrita, res atque sententiae aut inepto inanique impetu sint aut [ut] levi et quasi dicaci argutia, eruditio autem vernacula et plebeia nihilque ex veterum scriptis habens neque gratiae neque dignitatis. alii vero elegantiae quidem in verbis parum esse non infitias eunt, sed et rerum, quas dicat, scientiam doctrinamque ei non deesse dicunt et in vitiis morum obiurgandis severitatem gravitatemque non invenustam. Mihi de omni eius ingenio deque omni scripto iudicium censuramque facere non necessum est, sed quod de M. Cicerone et Q. Ennio et P. Virgilio iudicavit, ea res cuimodi sit, ad considerandum ponemus. In libro enim vicesimo secundo epistolarum moralium, quas ad Lucilium composuit, deridiculos versus Q. Ennium de Cethego, antiquo viro fecisse hos dicit:

is dictust ollis popularibus olim,

qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,

flos delibatus populi, suadai medulla.

ac deinde scripsit de iisdem versibus verba haec:

„Admiror eloquentissimos viros et deditos Ennio pro optimis ridicula laudasse. Cicero certe inter bonos eius versus et hos refert.“

Atque id etiam de Cicerone dicit:

111

„Non miror, inquit, fuisse, qui hos versus scriberet, cum fuerit, qui laudaret: nisi forte Cicero, summus orator, agebat causam suam et volebat hos versus videri bonos,“

Postea hoc etiam addidit insulsissime:

„Apud ipsum quoque, inquit, Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus intelligas illum non perdisse operam, quod Ennium legit.“

Ponit deinde, quae apud Ciceronem reprehendat quasi En- 112
niana, quod ita scripserit in Republica: „ut Menelao Laconi quaedam fuit suaviloquens iucunditas“ et quod alio loco dixerit: „breviloquentiam in dicendo colat.“ atque ibi homo nuga-

tor Ciceronis errores deprecatur, et:

„non fuit, inquit, Ciceronis hoc vitium sed temporis: necesse erat haec dici, cum illa legerentur.“

Deinde adscribit Ciceronem haec ipsa interposuisse ad ef-
113 fugiendam infamiam nimis lascivae orationis et nitidae. De Virgilio quoque eodem in loco verba haec ponit:

„Virgilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam versus et enormes et aliquid supra mensuram trahentes interposuit quam ut Ennianus populus agnosceret in novo carmine aliquid antiquitatis.“

114 Sed iam verborum Senecae piget, haec tamen inepti et insubidi hominis ioca non praeteribo:

„Quidam sunt, inquit, tam magni sensus Q. Ennii, ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere.“ et cum reprehendisset versus, quos supra de Cethego posuimus:

„qui huius[ce]modi, inquit, versus amant, liqueat tibi eodem admirari et Soterichi lectos.“

115 Dignus sane Seneca videatur lectione ac studio adolescentium, qui honorem coloremque veteris orationis Soterichi lectis comparavit quasi minimae scilicet gratiae et relictis iam contemptisque: audias tamen commemorari ac referri pauca quaedam, quae idem ipse Seneca bene dixerit:

„Quid enim refert, quantum habeas? multo illud plus est, quod non habes.“

Bene hoc sane, bene. sed adolescentium indolem non tam iuvant quae bene dicta sunt, quam inficiunt quae saepissime, multoque tanto magis, si et plura sunt, quae deteriora sunt, et quaedam in his non pro enthymemate aliquo rei parvae ac simplicis, sed in re ancipiti pro consilio dicuntur.

XVIII. MORALIS PHILOSOPHIAE LIBRI.

116 *Seneca epist.* 106, 2. Quid ergo fuit, quare non protinus rescriberem ei, de quo quaerebas? veniebat in contextum operis mei. scis enim me moralem philosophiam velle complecti et omnes ad eam pertinentis quaestiones explicare. itaque dubitavi, utrum differrem te, an, donec suus isti rei veniret locus, ius tibi extra ordinem dicerem: humanius visum

est tam longe venientem non detinere. itaque et hoc ex illa serie rerum cohaerentium excerptam et si qua erunt eiusmodi, non quaerenti tibi ultro mittam. Quae sint haec, interrogas? quae scire magis iuvat quam prodest, sicut hoc, de quo quaeris: „bonum an corpus sit.“

id. epist. 108, 1. 39. Id, de quo quaeris, ex his est, quae 117 scire tantum eo, ut scias, pertinet. sed nihilominus, quia pertinet, properas nec vis exspectare libros, quos cum maxime ordino, continentes totam moralem philosophiae partem: statim expediam. — desiderio tuo satisfaciam et in alteram epistulam integram, quod exegeras, transferam, ne ad rem spinosam et auribus erectis curiosisque audiendam lassus accedas. *Epist. 109, 1.* „An sapiens sapienti prosit,“ 118 scire desideras. *ibid. § 14.* Necessè est ex hac quaestione argumenti causa in alteram transeam. quaeritur enim, „an deliberaturus sit sapiens, an in consilium aliquem advocaturus.“ *ibid. § 17.* Persolvi quod exegeras, quamquam in ordine rerum erat, quas moralis philosophiae voluminibus complectimur.

Lactant. institt. lib. I. c. 16, 10. Non illepide Seneca in 119 libris moralis philosophiae:

„Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Iupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est et illi lex Papia fibulam imposuit? an impetravit ius trium liberorum? an tandem illi venit in mentem:

ab alio exspectes, alteri quod feceris
et timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno?“

Lactant. institt. lib. II, c. 2, 14. Recte igitur Seneca in 120 libris moralibus:

„Simulacra, inquit, deorum venerantur. illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum adsident diem aut adstant, illis stipem iaciunt, victimas caedunt: et quum haec tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecere, contemnunt.“

Ibid. c. 4, 13. 14. Non videbat enim (Persius) simulacra 121 ipsa et effigies deorum — nihil aliud esse quam grandes pupas, non a virginibus, quarum lusibus venia dari potest, sed a barbatis hominibus consecratas. merito igitur etiam senum stultitiam Seneca deridet:

„Non, inquit, bis pueri sumus, ut vulgo dicitur, sed semper: verum hoc interest, quod maiora ludimus.“

- 122 *Ibid. c. 8, 23.* Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit, nil aliud esse naturam quam deum.

„Ergo, inquit, deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? nec illam didicit ex ullo. immo laudabimus. quamvis enim naturalis illi sit, sibi illam dedit, quoniam deus ipse natura est.“

- 123 *Ibid. lib. VI, c. 25, 3.* Quanto melius Seneca et verius!

„Vultisne vos, inquit, deum cogitare magnum et placidum et maiestate leni verendum, amicum et semper in proximo, non immolationibus et sanguine multo colendum — quae enim ex trucidatione immerentium voluptas est? — sed mente pura, bono honestoque proposito. non templa illi congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt: in suo cuique consecrandus es pectore.“

- 124 *Ibid. c. 17, 28.* Vera igitur Ciceronis illa sententia est — item Senecae in libris moralis philosophiae dicentis

„Hic est ille homo honestus, non apice purpurave, non licitorum insignis ministerio, sed nulla re minor, qui quum mortem in vicinia videt, non sic perturbatur, tamquam rem novam viderit. qui, sive toto corpore tormenta patienda sunt, sive flamma ore rapienda est, sive extendendae per patibulum manus, non quaerit, quid patiat, sed quam bene.“

- 125 *Lactant. institt. epil. c. 4, 3.* Longum est recensere, quae de summo deo vel Thales vel Pythagoras et Anaximenes antea, vel postmodum Stoici Cleanthes et Chrysippus et Zenon vel nostrorum Seneca Stoicos secutus et ipse Tullius praedica-verint, quum hi omnes et quid sit deus, definire temptaverint et ab eo solo regi mundum adfirmaverint nec ulli subiectum esse naturae, quum ab ipso sit omnis natura generata.

XIX. POSTREMA VERBA ANTE MORTEM ET CODICILLI.

- 126 *Tacit. Ann. XV, c. 63.* Et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo. *Ibid. c. 67.* Ipsa rettuli verba (Subrii Flavi tribuni postrema ante mortem), quia non, ut Senecae, vulgata erant.

Ibid. c. 64. Postremo stagnum calidae aquae introiit, re- 127
spergens proximos servorum, addita voce, libare se liquorem
illum Iovi Liberatori. Exin balneo inlatus et vapore eius exani-
matus sine ullo funeris sollemni crematur: ita codicillis prae-
scripserat, cum etiamtum praedives et praepotens supremis
suis consuleret.

[XX. NOTAE.]

Isidor. etymol. I. c. 22. Vulgares notas Ennius primus mille 128
et centum invenit. — Romae primus [Tullius] Tiro, Ciceronis
libertus commentatus est notas, sed tantum praepositionum.
post eum Vipsanius, Philargyrius et Aquila, libertus Maecena-
tis, alius alias addiderunt. Deinde Seneca contractu omnium
digestoque et aucto numero opus effecit in quinque milia. [At
vid. Sen. epist. 90, 25.]

L. ANNAEI SENECAE
AD GALLIONEM
DE REMEDIIS FORTUITORUM LIBER.

Tertullian. Apol. c. 50 extr. p. 164 ed. Haverc. Multi apud vos ad tolerantiam doloris et mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis, ut Seneca in fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus.

De *Hildeberto Cenomanensi* vid. Devit. ad Varronis sententias p. 89.

Vincentius Bellovacensis in spec. hist. lib. VII, c. 116. Scripsit quoque (Seneca) librum de moribus et de remediis fortuitorum.

Ibid. c. 123 sequuntur flosculi ex libro de remediis fortuitorum excerpti.

Iacobus Magni in Zophilogio passim Senecam libro de remediis fortuitorum citat, veluti lib. I. tract. II. c. 16. init. lib. III, tract. IV. c. 2.

Petrarcha de remediis utriusque fortunae, ipsa hac inscriptione Senecam aemulatus, testatur pag. 9. libellum eius passim in manibus vulgi esse.

- 1 I. [Licet cunctorum poëtarum carmina gremium tuum semper illustrent, aliquando deliberans hoc tibi opusculum pro accidentibus casibus dirigere curavi, quod non praecedentes sed posteri narrabunt.]
- 2 * * * Unde ergo primum incipimus? si tibi videtur, a morte. „Ab ultimo?“ inquis: immo a maximo. Ad hoc praecipue gens humana contremit, nec immerito [videtur sibi hoc facere]: ceteri enim timores habent aliquem post se locum:
- 3 mors omnia abscindit; alia nos torquent: mors omnia devorat. Omnium, quae horremus, ad hanc exitus spectat, aliorum [*recta invadentium, aliorum*] per circuitum. etiam qui aliud se non timere iudicant, hoc timent. Quicquid aliud extimescimus, habet aut remedium aut solatium: [*hoc unum sine remedio est. hoc unum et respuit solatium.*] Sic ergo

te forma, ut, si quis tibi palam mortem minetur, omnes terriculas eius deludas.

II. „Mori eris.“ Ista hominis natura est, non poena. 1

„Mori eris.“ Hac conditione intravi, ut exirem.

„Mori eris.“ Gentium lex est, quod acceperis reddere.

„Mori eris.“ Peregrinatio est vita: cum multum ambulaveris, domum redeundum est. 2

„Mori eris.“ Putabam te aliquid novi dicere: ad hoc veni, hoc ago, huc me singuli dies ducunt. nascenti mihi protinus natura posuit hunc terminum: quid habeo, quod indigner? in haec verba iuravi.

„Mori eris.“ Stultum est timere, quod vitare non possis: 3 istud non effugit etiam qui distulit.

„Mori eris.“ Nec primus nec ultimus: multi me antecesserunt, omnes sequentur.

„Mori eris.“ Nihil grave [est], quod semel est. aes alienum meum novi. hoc equidem cum eo creditore contraxi, cui decoquere non possum. 4

„Mori eris.“ Di melius, quod nemo mihi istud minari immortalis potest.

„Mori eris.“ Hic est humani officii finis: quis sanus exactorem moleste tulit? 5

[„Mori eris.“] Quid? ego nescio me esse animal rationale et mortale? cum rationali est et mortale.

„Mori eris.“ Ad hanc conditionem cuncta gignuntur: quod coepit, et desinit. quo transit orbis, ego transibo.“

ADDITIO. „Mori timeo.“ Et nasci timuisses et vivere: 6 vitae limen initium mortis est, vita ipsa cursus ad mortem seu verius mors quaedam. Quidquid est natum, moritur. quidquid moritur, natum erat.

„Mortem metuo.“ Nihil est metuendum, quod affert necessitas naturae.

„Animus mortem timet.“ Si sibi, supervacuum timor. 7 immortalis est [enim ipse]: si corpori suo, hosti curam gerere pietas debita.

„Mortem horreo.“ Si quid in morte mali est, id ipsum metus mortis exasperat. at si nihil mali, ipse metus est malum. stultitia est, malum suum vel augere vel facere.

- 8 „Moriesis.“ Immo carnis tributum naturae debitum persolves, mox futurus liber: fac libens, quod vel nolens faceres. cupias, quodcunque necesse est. non est utilius, immo quidem non est aliud in necessitate consilium. Quidquid fit a volente, fit levius, et desinit esse necessitas, si voluntas accesserit.
- 9 „In freto morieris.“ Non ubi, sed qualiter moriaris, ad rem pertinet.
 „Quo devenient opes?“ Unde venerunt, revertentur, hoc est ad fortunae manus, inde rursus ad alios abiturae, apud neminem diu mansurae: vagae sunt [enim], stare nequeunt.
- 1 III. „Sed decollaberis.“ Quid interest, caesim moriar an punctim?
 „Sed saepe ferieris et multi in te gladii convenient.“ Quid refert, quam multa sint vulnera? non potest amplius quam unum esse mortiferum.
- 2 „Peregre morieris.“ Hoc est in patriam sine viatico pervenire.
 „Peregre morieris.“ Undecunque ad inferos una via est.
 „Peregre morieris.“ Ego quod debeo, solvere paratus sum: videat fenerator, ubi me appellet.
 „Peregre morieris.“ Nulla terra aliena mortuo.
 „Peregre morieris.“ Non est gravior foris quam domi somnus.
- 1 IV. „Sed iuvenis morieris.“ Optimum est, ante quam optes, mori.
 „Iuvenis morieris.“ Hoc unum est, quod aequae ad iuvenem quam ad senem pertinet. non citamur ex censu nec exigitur numerus annorum: [et] adolescentes et impuberes eadem fati necessitas ducit. Optimum est mori, cum iuvat vivere. [quae enim virtus est, cum eiciaris, exire?]
- 2 „Iuvenis morieris.“ Quicumque ad extremum fati sui venit, senex moritur. non enim refert, quae sit hominis aetas, sed quae sit meta.
 „Iuvenis morieris.“ Fortasse alicui malo subducit me fortuna, ut nulli alii, certe senectuti.

„Iuvenis morieris.“ Non refert, quot annos habeam, sed 3
quot acceperim. si plus vivere non possum, haec est senectus
mea.

V. „Insepultus iacebis.“ Quid aliud huic respondeam 1
quam Virgilianum illud:

facilis iactura sepulcri.

[facilis, inquam, sic, ut nulla facilior.] Si nihil sentio, non per-
tinet ad me iactura corporis insepulti: si sentio, omnis sepul-
tura tormentum est.

„Insepultus iacebis.“ Quid interest, ignis me an fera con- 2
sumat an tempus, ultima omnium sepultura? istud non sen-
tienti supervacuum est, sentienti onus.

„Insepultus iacebis.“ At tu combustus, at tu obrutus, at tu 3
inclusus, at tu putridus, at tu evisceratus et constrictus aut tra-
ditus lapidi, qui te paulatim edat et exsiccet. Nulla est sepul-
tura: non sepeliemur sed proiciemur.

„Non sepelieris.“ Quid in re tutissima trepidas? ultra poe- 4
narum omnium terminum iste locus est. Vitae multa debemus,
morti nihil. Non defunctorum causa sed vivorum inventa est
sepultura, ut corpora et visu foeda et odore amoverentur: alios
terra obruit, alios flamma consumpsit, alios lapis ad ossa reda-
cturus inclusit: [sic] non defunctis sed nostris oculis parci-
mus.

ADDITIO. „Insepultus abiciar.“ Alitibus invides an fe- 5
ris an piscibus? nam si metuis tibi, baculum seu custodem
iuxta te poni iube, quo a cadavere depellantur. „Ludis in
malis meis. nam profecto nil sentiam.“ Quid ergo times,
quod non senties? nam si sentias, pro[hi]be[a]s. sentientem
enim sepelire necare est. * Te nisi terra contexerit, coelum
teget. notum est illud:

coelo tegitur, qui non habet urnam.

„Defuncto mihi terra negabitur! praedurum.“ Non id 6
durum, sed tu mollis, qui nec sentiens [*nec non sentiens*]
laedi queas.

„Inhumatus linquar! horrendum auditu. insepultus abi-
ciar!“ Age res tuas: curam hanc linque viventibus.

VI. „Aegroto.“ Venit tempus, quo experimentum mei 1
SENECA PHIL. III.

caperem. Non in mari tantum aut in proelio vir fortis apparet: exhibetur etiam in lectulo virtus.

2 „Aegroto.“ Non potest istud toto seculo fieri: aut ego febrem relinquam aut ipsa me. semper una esse non possumus.

„Aegroto.“ Cum morbo mihi res est: aut vincetur aut vincet.

1 VII. „Male de te opinantur homines.“ Sed malim moverer, si de me Marcus [Cicero, si] Cato, si Laelius sapiens, si alter Cato, si Scipiones duo ista loquerentur: nunc malis displicere laudari est. Non potest ullam auctoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est, damnat.

2 „Male de te loquuntur.“ Moverer, si hoc iudicio facerent: nunc morbo faciunt. non de me loquuntur sed de se.

„Male de te loquuntur.“ Bene enim nesciunt loqui. faciunt non quod mereor, sed quod solent. quibusdam enim canibus sic innatum est, ut non pro feritate sed pro consuetudine latent.

3 „[Homines de te male loquuntur.“ Si merito, non quod loquuntur, molestum est, sed quod non mentiuntur: si immerito, innocentia mea nunc maxime gaudeo. apparet enim illos obiecturos vera, si possent.]

1 VIII. „Exulabis.“ Erras: cum omnia fecerim, patriam meam transire non possum: omnium una est. extra hanc nemo proici potest.

„Exulabis.“ Non patria mihi interdicitur sed locus. In quacumque terram venio, in meam venio. nulla terra exilium est, sed altera patria est.

2 „Non eris in patria.“ Patria est, ubicumque bene es. illud autem, per quod bene est, in homine, non in loco est. in ipsius, inquam, potestate est, quid sit illa fortuna: si enim sapiens est, peregrinatur, si stultus, exulat.

„Exulabis.“ Hoc dicis: alterius loci civitate donaberis.

3 ADDITIO. „Ire in exilium cogor.“ Si sponte, peregrinatio est, non exilium. et memento, quibusdam exitum, quibusdam vero reditum pro exilio fore. sunt quibus nusquam peius quam in patria sua sit.

„In exilium eo.“ Immo forsán in requiem: sub obtentu falsae miseriae vera felicitas. iam saltem ab invidia tutus eris.

„Mittor in exilium.“ Immo in experimentum tui: vide-4 ris, quem te in exilio praebeas: si succumbas, exul verus, si consistis, exilio clarus, ut nulli olim, qui invicti et fulgidi per asperitates incesserunt, ut sequentibus iter rectum ostenderent.

VIII. „Dolor imminet.“ Si exiguus est, feramus: le-1 vis est patientia. si gravis est, feramus: non levis est gloria.

„Clamorem dolor exprimit.“ Dum secreta non exprimat.

„Non potest homo par dolori esse.“ Nec rationi dolor.

„Dura res est dolor.“ Immo tu mollis. 2

„Pauci dolorem ferre potuerunt.“ Simus ex paucis.

„Imbecilles natura sumus.“ Naturam infamare nolite: illa nos fortes genuit.

„Fugiamus dolorem.“ Quid, quod ille sequitur fugientem? [Contemnite dolorem: aut solvetur aut solvet.]

X. „Paupertas mihi gravis est.“ Immo tu pau-1 pertati. non in paupertate vitium est sed in paupere: illa expe- dita est, hilaris, tuta.

„Pauper sum.“ Nescis te opinione, non re laborare: pau- per es, quia videris.

„Pauper sum.“ Nihil deest avibus. pecora in diem vivunt. feris in alimentum solitudo sua sufficit.

„Non sum potens.“ Gaude: impotens non eris. 2

„Iniuriam accipere potero.“ Gaude: facere non poteris.

„Accepit ille grandem pecuniam.“ Ergo et superbiam.

„Magnam pecuniam habet.“ Hominem illum iudicas? arca 3 est: quis aerario, quis plenis invidet oculis? et iste, quem dominum pecuniae existimas, locus est.

„Multum habet.“ Aut avarus aut prodigus est: si prodigus, non habebit, si avarus, non habet. Iste, quem tu felicem admirantibus credis, saepe dolet, saepe suspirat.

„Multi illum comitantur.“ Mel muscae sequuntur, cada-4 vera lupi, frumenta formicae: praedam sequitur ista turba, non hominem.

- 5 ADDITIO. „Paupertas meum limen obsidet.“ Non obsidet, sed custodit. ultro illi ut occurras consulo venienti: minime sumptuosa et secunda et facilis hospes erit.
- 6 „Domum meam paupertas irrupit.“ Adversus fures et peiores furibus voluptates pervigil excubatrix, adversus vulgi morsus et insulsa iudicia atque avaritiae seu prodigalitatis infamiam, quae raro alibi quam locupletum sedet in limine — ab his malis nullo melius custodiri [in]genio domus tua poterit quam illam custodiet paupertas.
- 7 „Opes cunctas trux fortuna praeripuit.“ Non tibi fecit iniuriam: suum tulit. Sed vetus et nota haec ingratitude est: dati immemores meministis ablati. itaque rarae atque tepentes gratiae, crebrae ac fervidae sunt querelae.
- 8 „Victum vestitumque necessarium amara sors negavit.“ Aliunde petendum: virtus liberalior quam fortuna est. nihil negat nisi quod et promissum noceat et negatum prosit. nihil eripit nisi quod habuisse damnosum, amisisse utile sit. non differt, non impropertat, non retrahit manum, non rugat frontem, non attollit supercilium. nullum despicit, nullum destituit, nullum fallit. non saevit, non irascitur, non murmurat, non mutatur. una semper et ubique est, nisi quod magis magisque degustata dulcior in dies et propius conspecta sit pulchrior.
- 9 Ut sis [ergo] verus dives, ab hac posce: non te fastidiet nec repellat, quamvis exerceat. difficiles habet aditus primos: cetera prona, iucunda, facilia. semel ubi ad illam perveneris, non senties paupertatem.
- 10 „Spoliavit me omnibus bonis meis fortuna.“ Fallit te opinio, malum commune mortalium. nam profecto non bonis: et ut bona permiserim, non tuis, sed quae tua forsitan vulgi more credideras, mirorque si non[dum] intelligis aliena.
- 11 „Fortuna me nudum et inopem liquit.“ Virtus te vestiet, *ni* respuit, ac ditabit, nisi forte pluris aurum et purpuram quam decorum generosae mentis habitum facis. quod si feceris, tunc vere inopem nudumque te dicerem.
- 12 „Domo, familia, necessariis atque ornamentis omnibus spoliatus quid agam? quo me vertam?“ Ad eas opes, qui-

bus spoliari nequeas, quae undique comitatum, divitem et ornatum praestent.

„Pauper sum.“ In vita: eris laetior in morte. Nemo tam pauper vixit, ut non moriens vellet vixisse pauperior.

XI. „Pecuniam perdidit.“ Fortasse te illa perdidit.

„Pecuniam perdidit.“ Sed habuisti.

„Pecuniam perdidit.“ Habebis uno periculo minus.

„Pecuniam perdidit.“ O te felicem, si cum illa avaritiam perdidisti. sed si manet illa apud te, es tamen utcunque felicior, quod tanto malo materia subducta est.

„Pecuniam perdidit.“ Et illa [quidem] quam multos! Eris nunc in via expeditior, domi tutior: non habebis, sed non timebis heredem. Exoneravit te fortuna, si intelligis, et tutiore loco posuit: damnum putas? remedium est. [Denique si amissas cum amissis taediis conferas, lucrum voces.] Defles, gemis, miserum te clamitas, quod opibus excussus es? tuo vitio ista tibi iactura tam tristis est. non tam moleste ferres, si tamquam perditurus habuisses.

„Pecuniam perdidit.“ Nempe quam ut tu haberes, alius ante perdiderat.

ADDITIO. „Pecuniam amisi.“ Et cum illa curas multas periculumque perpetuum.

„Perdidi pecuniam.“ Et laborem custodiae et perdendi metum: sic perdendo pecuniam duo bona, unumquodque praestantius amissâ, securitatem et requiem, invenisti.

„Pecuniam perdidit.“ Bene, si te illa non perdidit, quod multis iam possessoribus fecit.

„Pecuniam amisi.“ Si te adeo non tuae quoque cruciant iacturae tibi vel alienum demi doles, discite illa conquirere, quae tua sunt propria atque perpetua, quorum et adquisitio faciliior et possessio nobilior certiorque: virtutem si quaesieris, non amittes.

„Perdidi pecuniam.“ Experrectus es: te divitem sonnia- bas.

„Pecuniam magnam amisi.“ Magnum pondus et durum et grave simul custodis officium.

„Amisi pecuniam quam amabam.“ Turpi amore relaxatus

es. nam amor pecuniae avaritia est: minus hanc amabis, hanc optabis minus. nam et illud satiricum experimento cognitum, quod

minus hanc optat, qui non habet.

optanda autem amissio est magni etiam boni, cui inseparabile malum maius adiunctum sit. Plures multo propter opes quam propter inopiam periere.

- 1 XII. „Oculos perdidisti.“ Habet et nox suas voluptates.
- „Oculos perdidisti.“ Quam multis cupiditatibus via incisa est! quam multis hominibus carebis, quos ne videre vellem, vel eruendi erant! non intelligis partem innocentiae esse caecitatem? huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, huic urbem: irritamenta sunt vitiorum, duces scelerum, [fomenta malitiae].
- 3 ADDITIO. „Oculos perdidisti.“ O quot simul vitae fastidia perdidisti, quot foeda spectaculorum ludibria non videbis! Multis vitiis obstructum iter.
- „Oculis careo.“ Culpis careres plurimis, si his perpetuo caruisses.
- 4 „Auditum perdidisti.“ Adulantium iam susurros atque obtreptantium iurgia evasisti.
- „Mutus factus sum.“ Perdidisti mentiendi consuetudinem. Si muti fuissent Cicero et Demosthenes, et diutius vixissent et lenius obiissent.

- 1 XIII. „Amisi liberos.“ Stultus es, qui defles mortem mortalium. quid istic aut novum aut mirum est? quam rara est sine isto casu domus? Quid, si infelicem voces arborem, quod
- 2 stante ipsa cadunt poma? et hic tuus fructus est. Nemo extra ictum vulneris positus est: ducuntur ex plebeia domo immatura funera, ducuntur et ex regia. Non est idem fati ordo, qui et aetatis. non quomodo quisque venit, emittitur. quid hic tamen est, quod indigneris? quid contra exspectionem tuam evenit? periere perituri.

- 3 „Sed ego illos superstites optaveram.“ Sed hoc nemo tibi promiserat.
- „Perierunt liberi mei.“ Habebant illi, cuius essent magis

quam tui. Apud te precario morabantur: educandos tibi illos fortuna mandaverat: recepit illos, non abstulit.

ADDITIO. „Amisi filium.“ Melius dic: praemisi secutus 4
rus [et] cito quidem, fortassis hodie, et quid scimus an hac ipsa hora. Nulla vitae fides est.

„Amisi filium.“ Amisisti simul et metus multos infini- 5
tamque materiam curarum et sollicitudinum, quibus ut care- res, vel tibi vel filio moriendum fuit. securum patrem mors sola facit.

„Filiam amisi.“ Si pium, nihil est iam, quod illi metuas: 6
in tuto est. si impium, tuorum numeratorem annorum, tuae stimulum senectutis extulisti. perdidisti forsitan, qui te perditum optabat.

„Filiam perdidit.“ Si virtute praeditum, gaude, quod ha- 7
bueris. at si vitio perditum, gaude saltem, quod amiseris: utrobique naturae beneficium agnosce, quod talem dedit seu abstulit.

„Acerba morte filii deiectus sum.“ An non Anaxagoram 8
audieras? an oblitus eras te genuisse mortalem? Non affligitur sapiens [de] liberorum amissione, non amicorum: eodem animo fert illorum mortem, quo suam exspectat.

„Exstinctum fleo filium unicum.“ Si fleturus eras morien- 9
tem, et nascentem flasses: nunc mori desiit, tunc coeperat. Illi vixeras: vive iam tibi.

„Infantis filii casum miserabilem fleo.“ Humanum nihil 10
flendum. praemeditata esse debent, si non sunt. Non casum filii, inscitiam tuam defle et conditionis oblivionem.

XIV. „Naufragium feci.“ Cogita non quid perdidit 1
ris sed quod evaseris.

„Nudus exii.“ Sed existi.

„Omnia perdidit.“ Sed cum omnibus perire potuisti.

„In latrones incidi.“ Sed alius in accusatores, alius 2
in fures, alius in fraudatores: plena insidiis via est. Noli queri, quod incideris: gaude, quod evaseris.

XV. „Inimicos graves habeo.“ Quomodo adver- 1
sus feras munimenta conquirereres, quomodo adversus serpentes, sic adversus inimicos auxilia circumspice, quibus illos aut arceas aut compescas aut, quod optimum est, places.

- „Inimicos habeo.“ Illud est peius, quod amicos non habes.
- 2 „Amicum perdidit.“ Iam enim habuisse te certum est?
 „Amicum perdidit.“ Alium quaere, et ibi eum quaeras, ubi invenias: quaere inter liberales artes, inter honesta et recta officia. quaere in laboribus. ad mensam res ista non quaeritur. quaere aliquem frugi.
- „Perdidi amicum.“ Fortem animum habe, si unum: erubescere, si unicum. quid, tu in tanta tempestate ad unam ancoram stabas?
- 1 XVI. „Uxorem bonam amisi.“ Utrum inveneras bonam an feceras? si inveneras, adhuc habere te posse ex hoc intelligas, licet, quod habuisti: si feceras, bene spera: res perit, salvus est artifex.
- 2 [„Sine uxore sum.“ Et sine adversario. iam tui rerumque dominus tuarum esse incipis.
 „Uxorem bonam ac decoram perdidit.“ Stulti est compedes suas quamvis aureas amare.]
- 3 „Amisi uxorem bonam.“ Quid in illa probabas? pudicitiam? quam multae diu custoditam perdiderunt! decus? quam multae inter probra matronalis ordinis esse coeperunt inter exempla nominatarum! delectabat te fides eius? quam multas ex optimis coniugibus pessimas videmus! ex diligentissimis solutissimas, ex liberalissimis rapacissimas! Omnium quidem imperitorum animus, maxime tamen in lubrico muliebris est. etiamsi bonam uxorem habuisti, non potes affirmare in illo [eam] permansuram fuisse proposito. nihil est tam mobile quam
- 5 feminarum voluntas, nihil tam vagum. Veterum matrimoniorum repudia cognovimus et foediores divortio male cohaerentium rixas. quam multae quos in adolescentia amaverunt, in senectute communi reliquerunt! quotiens anile divortium risimus! quam multarum notus amor odio notiore mutatus est!
- „Sed haec et fuit bona et fuisset [si vixisset].“ Mors efficit, ut affirmare sine periculo possis.
- 6 „Bonam uxorem amisi.“ Invenies [similem], si nihil quaeris nisi bonam uxorem: tu modo ne imagines proavosque respexeris nec patrimonium, cui iam ipsa nobilitas primo loco cedit. ista diu cum forma repugnabunt: facilius reges animum nulla vanitate [rerum] tumentem. non multum abest a con-

temptu viri, quae se nimis suspicit. Duc bene institutam nec 7
maternis inquinatam vitiis, non cuius auriculis utrimque patri-
monia bina dependeant, non quam margaritae suffocent, non
cui minus sit in dote quam in veste, non quam [in]patente sella
circu[m]latam per urbem populus ab omni parte aequae quam
maritus inspexerit, cuius sarcinis domus non sit angusta. Hanc
facile ad mores tuos rediges, quam nondum corruperunt pu-
blici [corruptores].

„Uxorem bonam amisi.“ Non erubesces flere et intolera- 8
bilem vocare iacturam? Hoc unum deest, utrum illam lugeas
an non. cum maritum te cogitaveris, et virum cogita.

„Amisi uxorem bonam.“ Soror recuperari bona non pot- 9
est nec mater: uxor adventicium bonum est. non est inter illa,
quae semel unicuique contingunt. multos tibi numerare pos-
sum, quibus bonam uxorem lugentibus melior contigit.

Mors, exilium, luctus, dolor non sunt supplicia sed tributa
vivendi. neminem illaesum fata transmittunt. Felix est non qui
aliis videtur, sed qui sibi: vides autem, quam rara domi sit
ista felicitas.

DE PAUPERTATE.

EXCERPTA E SENECAE EPISTULIS.

- 2,5 Honesta, inquit Epicurus, res est paupertas laeta. illa vero iam paupertas non est, si laeta est. Cui cum paupertate bene convenit, dives est. Non qui parum habet, sed qui plura cupit, pauper est. quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis lateat, quantum pascat, aut feneret, si alieno imminet, si non acquisita, sed acquirenda concupiscit? Quis sit divitiarum modus, quaeris? Primo habere quod necesse est: secundo, quod satis est.
- 4,4 Nulli potest segura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat.
- 4,6 Nullum bonum iuvat habentem, nisi ad cuius amissionem praeparatus est animus.
- 4,10 Magnae divitiae sunt lege naturae composita paupertas. lex autem naturae, scis quos terminos nobis statuit? non esurire, non sitire, non algere. Uti famem sitimque depellas, non est necesse maria tentare, nec castra sequi. Parabile est, quod natura desiderat, et cito apponitur: ad supervacua sudatur: illa sunt, quae togam terunt, quae nos senescere cogunt, quae in aliena littora impingunt. Ad manum est, quod satis est.
- 9,20 Si cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus sit, miser est. Miser est, qui se beatissimum non iudicat, licet toti mundo imperet. Non est beatus, qui se id non putat esse.
- 14,9 Nihil habeamus, quod cum magno emolumento insidiantis eripi possit. quam minimum in corpore tuo sit spoliolum. Nemo ad humanum sanguinem venit propter ipsum, vel admodum pauci. Nudum latro transmittit: etiam in obsessa via pauperi pax est.
- 14,17 Is maxime divitiis fruitur, qui minime indiget.

Si ad naturam vives, numquam eris pauper: si ad opinio-16,7
nem, numquam dives. Exiguum natura desiderat, immensum
opinio. Si congeratur in te quidquid multi locupletes possede-
runt, si ultra privatum pecuniae modum fortuna te provehat,
auro legat, purpura vestiat, eo deliciarum opumque perduc-
cat, ut terram marmoribus abscondas, non tantum liceat ha-
bere, sed calcare divitias: accedent statuæ et picturæ, et
quidquid ars ulla luxuriæ auro et argento elaboravit: majora
cupere ab his disces. Desideria naturalia finita sunt: ex falsa
opinionē nascentia ubi desinant, non habent. nullus enim ter-
minus falso est. Veritati aliquid extremum est: error immen-
sus est. Retrahe te ergo a vanis: et cum voles scire, an natu-
ralem, an vanam habeas cupiditatem, considera, num ali-
cubi consistat: si longe progresso semper aliquid longius re-
stat, scito id naturale non esse. Paupertas expedita, secunda est. 17,3
Cum classicum cecinit, scit non se peti: cum aliquo conclama-
tum est, quomodo exeat, non quid efferat, quaerit. At cum
navigandum est, non strepitu portus, non unius comitatu in-
quieta sunt littora. Non circumstat illum turba hominum, ad
quos pascendos transmarinarum regionum optanda est fertilitas.
Facile est pascere paucos ventres et bene institutos et nihil
aliud desiderantes quam impleri. Parvo fames constat, magno
fastidium. Paupertas contenta est desiderii instantibus satis-
facere. — Sanus dives est, qui licet habeat divitias, eas tamen
ut fugientes habet. — Quid ergo est, quare recuses eam contu-17,4
bernalem, cuius mores sanus dives imitatur? Si vis vacare
animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non pot-
est studium salutare fieri sine frugalitatis cura. Frugalitas pau-
pertas voluntaria est.

Perpessi sunt multotiens exercitus inopiam omnium re-17,7
rum, vixerunt herbarum radicibus et dictu foedam tulerunt
famem. et haec omnia perpessi sunt pro regno, quo magis
mireris, alieno. Dubitabit aliquis ferre paupertatem, ut ani-
mum a furoribus liberet?

Multis divitias parasse non finis miseriarum fuit, sed muta-17,11
tio. nec hoc miror: non in rebus vitium, sed in animo ipso
est. Illud quod paupertatem gravem nobis fecerat, et divitias
graves faciet. Quemadmodum nihil refert, utrum aegrum in

lecto ligneo an in aureo colloces: quocumque illum transtuleris, morbum suum secum transferet: sic nihil refert, utrum aeger animus in divitiis an in paupertate sit: malum suum illum sequitur.

- 18,7 Ad securitatem non est opus fortuna. quod enim necessitati sat est, dabit, licet irata.
- 18,8 Ne imparatos nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, si sciemus, quam non sit grave pauperes esse.
- 18,12 Incipe cum paupertate habere contubernium.
*Aude hospes contemnere opes, et te quoque dignum
 Finge deo.*
 Nemo alius dignus deo est, nisi qui opes contempsit. Quare possessiones tibi non interdico, sed efficere volo, ut illas intrepide possideas. quod uno consequeris modo, si te etiam sine illis bene victurum speraveris, et si illas tamquam exituras adspexeris.
- 20,7 Discedat quisquis non te, sed aliud in te sequebatur. ob hoc unum est amanda paupertas, quod a quibus ameris, ostendit.
- 20,10 Multum est, non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus ille est, qui in divitiis pauper est.
- 20,13 Nemo nascitur dives. Quisquis exit in lucem, iussus est pane et lacte esse contentus: ab his initiis regna nos non capiunt.
- 25,4 Panem et aquam natura desiderat. nemo ad haec pauper est. intra quae si quis desiderium suum clusit, cum ipso Iove de felicitate contendat.
- 36,1 Res inquieta felicitas est, ipsa se exagitat, movet cerebrum non in uno genere: alios in cultum irritat, alios in potentiam, alios inflat, alios mollit.
- 80,6 Si vis scire, quam nihil mali sit in paupertate, compara inter se vultum pauperis et divitis: saepius pauper et fidelis ridet: nulla sollicitudine concutitur, in alto est. cura velut nubes levis transit: horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est: huic gravis et suprema superbia, licet non palam, tristitia est, eo quidem gravior, quod interdum non licet palam esse miseros, sed inter aerumnas cor ipsum exedentes necesse est agere felicem.

Abstrahunt a recto divitiae, honores, potentiae, et cetera, 81,28 quae opinione hominum cara sunt, pretio suo vilia. Nescimus aestimare res, de quibus non cum fama, sed cum rerum natura deliberandum est. Nihil habent ista magnificum, quod mentes nostras in se trahat, praeter hoc, quod mirari illa consuevimus. non enim quia concupiscenda sunt, laudantur, sed quia concupiscuntur.

Hanc praecedentem causam habent divitiae: mutant animos, 87,31 superbiam et arrogantiam pariunt, invidiam trahunt, eo usque mentem alienant, ut fama pecuniae nos etiam nocitura delectet. Bona omni culpa carere decet: pura sunt, non corrumpunt animos, non sollicitant: extollunt quidem animos et delectant, sed sine tumore. Quae bona sunt, fiduciam faciunt: divitiae audaciam. quae bona sunt, magnitudinem animi dant: divitiae insolentiam.

L. ANNAEI SENECAE CORDUBENSIS
DE MORIBUS LIBER.

- 1 Omne peccatum actio est. actio autem omnis voluntaria est tam honesta quam turpis: ergo voluntarium est omne peccatum. Tollite excusationes: nemo peccat invitus.
- 2 Educatio et disciplina mores facit et id unusquisque sapit [et vivit], quod didicit. itaque bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit. — [Bene docet loqui *qui* bene docet facere.]
- 3 Nihil interest, quo animo facias, quod vitiosum est, fecisse, quia facta cernuntur, animus [vero] non videtur. nulla autem laus est non facere, quod facere non possis.
- 5 Quid est omnium inimicissimum homini? alter homo.
- 6 Libenter feras, quod necesse est. dolor patientia vincitur.
- 7 *Expetas*, quod te numquam poeniteat.
- 8 Non quam multis placeas, sed qualibus, stude.
- 9 In hoc[tantum]incumbe, ut libentius audias quam loquaris.
- 10 Multos vitam differentes mors incerta praevenit: itaque omnis dies velut ultimus iudicandus est.
- 11 Tristitiam, si potes, non admiseris, si minus, non ostenderis.
- 12 Amicum [in] secreto mone, palam lauda.
- 13 Verba rebus, non personis aestimanda sunt.
- 14 Oratorem te puta, si tibi [ipsi] ante omnes quod oportet persuaseris.
- 15 Ut licentiosa mancipia animi imperio coerceas linguam, ventrem, libidinem.
- 16 Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. si tibi [ipsi] non imperasti, quomodo ab aliis silentium speras?
- 17 Ridiculum est aliquem odio nocentis innocentiam [suam] perdere.
- 18 Monstro similis est avaritia senilis. quid enim stultius est, quod dici solet, quam via deficiente augere viaticum.

Omnes infantes terra nudos excipit: non te pudet sordi- 19
dius vivere quam nasci? [al'. fortius nasci quam vivere?]

Quid dulcius quam habere amicum, cum quo audeas ut 20
tecum omnia loqui? [servandus ergo est omni diligentia raro
inventus amicus. est enim alter ego.]

Quid sis interest, non quid habearis. 21

Magnarum virium est negligere laedentem. 22

Nondum es felix, si nondum te turba dimiserit. 23

Si vis beatus esse, cogita hoc primum *contemnere con- 24
temni ab eisdem*.

Priusquam promittas, deliberes, et cum promiseris, facias. 25

Id agas, [ut] ne quis merito tuo te oderit, et si nullós ini- 26
micos tibi faciat iniuria, multos [tamen] facit invidia.

Solitudinem quaerat, qui vult cum innocentibus vivere. 27

Optimus ergo animus et pulcherrimus dei cultor est. 28

Abstinebis [ab] alieno matrimonio. 29

Praestabis parentibus pietatem, cognatis indulgentiam, 30
[amicis fidem,] omnibus aequitatem.

Devitabis crudelitatem et ministram crudelitatis iram. 31

Non vives aliter in solitudine [et] aliter in foro. 32

Nil petas, quod negaturus fuisti: nihil negabis, quod pe- 33
liturus fuisti.

Pacem habebis cum hominibus, cum vitiis bellum. 34

Hoc habet omnis adfectus, ut in quod ipse insanit, 35
in idem putet ceteros furere.

Maximum in eo vitium est, qui non vult melioribus pla- 36
cere sed pluribus.

Vis omnibus esse notus? prius effice ut neminem no- 37
veris.

Bonum est non laudari velle, sed praestantius est lauda- 38
bilem esse. [al'. Bonum est non laudari et esse laudabilem.]

Morieris: stultum est timere quod vitare non possis. 39

Male de te opinantur homines: sed mali. malis autem 40
displicere est laudari.

Male de te loquuntur homines: bene autem loqui nesciunt. 41
faciunt non quod mereor ego sed quod solent ipsi.

Homines de te male loquuntur: si merito, non quod lo- 42
quantur molestum fuit, sed quod non mentiuntur. si immerito,

innocentia mea nunc maxime gaudeo. apparet enim illos obiecturos vera, si possent.

43 Non es in patria: patria est ubicumque bene est. illud enim, per quod bene est, non in loco sed in homine est.

44 Nihil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens.

45 Quae sunt magnae divitiae? non desiderare divitias.

46 Quis plurimum habet? qui minimum cupit.

47 Quid est dare beneficium [deo]? deum imitari.

48 Honestius est cum iudicaveris amare quam cum amaveris, iudicare.

49 Dissensio ab alio incipiat, a te autem reconciliatio.

50 Succurre paupertati amicorum, immo occurre.

51 Amicos secundae res parant, adversae certissime probant

52 Peiora sunt tecta odia quam aperta. itaque te minus loquax inimicus offendit quam tacitus.

53 Mira ratio est, quae non vult praedicari, quod gaudet intelligi.

54 Agnosci amat, qui quod agit, ostendit.

55 Eleemosyna non tam accipientibus quam dantibus prodest.

56 et spes praemii solatium fit laboris.

57 Quae est maxima egestas? avaritia.

58 Pecuniae imperare oportet, non servire.

59 Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris quam temet ipsum: alium potes effugere, te autem numquam.

60 Quis est pauper? qui sibi videtur.

61 Qui a multis timetur, multos timet.

62 Infelicitatem erige, submitte felicitatem.

63 Vera felicitas innocentia est.

64 Nequitia ipsa sui poena est.

65 Mala conscientia saepe tuta est, segura numquam.

66 Libidinis initia continebit, qui exitum cogitabit.

67 Beneficii accepti numquam oportet oblivisci, dati protinus.

68 Inhonesti victoria est suos vincere.

69 Satis est poenarum potuisse puniri.

70 Inimicitias tarde suscipe, [amicitias] exerce moderate.

71 Simultates depone.

72 Imago animi sermo est.

Qualis vir, talis oratio.	73
Magna res est vocis et silentii tempora nosse.	74
Qui aequo animo malis immiscetur, malus est.	75
Neminem cito laudaveris, neminem cito accusaveris: 76 semper puta te <i>coram</i> diis testimonium dicere.	
Vitium est omnia credere, <u>vitium nihil credere.</u>	77
Utendum est divitiis, non abutendum.	78
Nullum putaveris locum sine teste.	79
Excusationem quaerere vitium. [*sed omnia delinque ad 80 dominum.*]	
Fortior est qui cupiditatem vincit quam qui hostem subicit.	81
Est difficillimum se ipsum vincere.	82
Inique irascitur, qui suis irascitur.	83
Amare sic incipe tamquam non liceat desinere.	84
Magnarum rerum etiamsi successus non fuerit, honestus 85 est ipse conatus.	
Nobilitas animi est generositas sensus.	86
Nobilitas corporis generosus animus.	87
Honestior est quem senectus ad otium retulit quam quem 88 in otio invenit. *et tunc incipiat laborare.	
Turpe spectaculum praebet animus aeger.	89
Numquam sit tristis facies tibi in commodo alterius.	90
Homo sum: quomodo devitabo secundarum rerum in- 91 vidiam?	
Si felicitatem iactaveris, cum multis dives eris.	92
Quomodo optime potentiam tuebor? impotentia occasionis.	93
Locum tenet innocentiae proximum confessio: ubi con- 94 fessio, ibi remissio irae.	
Severitas in vitio est.	95
Boni iudicis est dispensare non tantum quid damnandum 96 sit, sed quatenus.	
Proximus iustitiae modus severitas.	97
Quietissimam vitam agerent homines in terris, si haec 98 duo verba <i>e</i> natura [omnium] rerum tollerent: meum et tuum.	
Qui paupertatem timet, timendus est.	99
Vires tuas amici magis sentiant beneficiis quam iniuriis.	100
Pecunia non satiat avaritiam sed irritat. ideo semper in- 101	

- 102 *digel.* pecunia *scit cum eius moribus convenire. [al'. Pecunia si tibi est: cui ius usura morbi.]
- 103 Mihi crede, non potes dives esse et felix.
- 104 Auribus frequentius quam lingua utere.
- 105 Quidquid dicturus es, ante quam aliis [dixeris], dicito tibi.
- 106 Nihil interest inter iratum et insanum nisi unus dies:
*alter semper irascitur, alter semper insanit.
- 107 Facillime bonis frueris, si ea vitaveris, quae vituperaveris.
- 108 Cum ali[en]os timueris, te ipsum verere. nam saepe sine aliis esse potes, sine te numquam.
- 109 Si bene te instruxeris, pudeat deteriora facere.
- 110 Quod persuaseris, erit diuturnum, quod coegeris, erit in occasione.
- 111 Alteri semper ignoscito, tibi ipsi numquam.
- 112 Tantum ad virtutem adicies, quantum ex voluptate abstraxeris.
- 113 Stultum est somno delectari, mortem horrere, cum somnus assidua sit mortis imitatio.
- 114 Bonis nocet qui malis parcit.
- 115 Multi cum aliis maledicunt, sibi ipsis convicia faciunt.
- 116 Nihil turpius quam qui obicit alteri [quod] sibi obiciendum.
- 117 [Ut licentiosa mancipia animi imperio rege linguam, libidinem, ventrem] cupiditatem[que] comprime: si non potes, paululum remitte.
- 118 Saepe ea, quae sanari ratione non poterant, sanata sunt tempore.
- 119 Qui propter pecuniae amorem et libidinum moritur, ostendit se numquam sui causa vixisse.
- 120 Turpia ne dixeris. paulatim enim pudor rerum per verba dediscitur.
- 121 Sic habita, ut potius laudetur dominus quam domus.
- 122 Consuetudinaria res est innocentia.
- 123 Non damnatio, sed causa hominem turpem facit.
- 124 Merito damnari poena damnati est, damnatio immerita damnantis est calamitas.
- 125 Si aliquid cogitaveris, cito apparebit conversantibus.
- 126 Videri vis ab omnibus *numquam bonae honestatis simulatio longa est.
- 127 Quod de alienis tractas, ex tuis iudices.

Multi sunt obligandi, pauci offendendi. nam memoria 128
beneficiorum fragilis est, iniuriarum tenax.

Obiurgationi semper aliquid blandi admisce. facilius enim 129
penetrant verba, quae molli vadunt via quam [quae] aspera.
nemo enim se mutat, qui mutari se desperat.

Quotiens scribes aliquid [quod] editurus es, scito morum 130
tuorum te hominibus chirographum dare.

Qui in servos irascitur et crudelis est, satis ostendit po- 131
testatem adversus alienos sibi [fuisse, sui] defuisse.

Qui nescit tacere, nescit et loqui. 132

Facilius est pauperi contemptum effugere quam diviti in- 133
vidiam.

Bonus fruitur bona conscientia. 134

[In] malis hominibus tutissimum est cito fugere. 135

Nulla pusilla domus, quae multos amicos capit. 136

Scire uti paupertate maxima felicitas. 137

Acuit intentio [nimia], frangit animum remissio. 138

Numquam scelus scelere vincendum est. 139

Bonus vir est, qui eo perduxit [adfectu] animum, ut non 140
tantum peccare non velit, sed etiam non possit.

Regnantibus peius multo periculum quam his, qui iudi- 141
cantur: hi enim singulos timent, illi universos.

Numquid fortis fortem se gloriabitur, quem corporis aegri- 142
tudo efficit infirmum? Numquid dives [in] opibus suis glori-
abitur, cuius spem fur vel tyrannus abruptit? Numquid nobilitas
gloriabitur, effecta nonnumquam indignis et miserabilibus ser-
viens?

Diabolus aliquando se gloriabatur interfectorem tuae mise- 143
ricordiae, nunc intergemiscit socios tuae beatitudinis.

Fugienda sunt omnibus modis et abscindenda igni ac ferro 144
totoque artificio separanda languor a corpore, imperitia ab
animo, luxuria a mente, a civitate seditio, a domo discordia,
a cunctis rebus intemperantia.

Dixit quidam amicorum omnia esse communia et amicum 145
se ipsum esse alterum. duorum temporum maxime haben-
dam curam, et eorum, quae acturi sumus, et eorum, quae
gessimus. post deum veritatem colendam. quae sola homines
diis proximos facit.

L. ANNAEI CORDUBENSIS
(MARTINI DUMIENSIS EPISCOPI AD MIRONEM
REGEM GALLICIAE)
DE FORMULA HONESTAE VITAE
[VEL DE VERBORUM COPIA
VEL
DE QUATUOR VIRTUTIBUS CARDINALIBUS] LIBER.

I. GLORIOSISSIMO AC TRANQUILLISSIMO ET INSIGNI CATHOLICAE FIDEI PRAEDITO PIETATE MIRONI REGI GOTHORUM MARTINUS EPISCOPUS.

Non ignoro, clementissime rex, flagrantissimam animi tui sitim sapientiae insatiabiliter poculis inhiare eaque te ardentem, quibus moralis scientiae rivuli manant, fluenta requirere, et ob hoc humilitatem meam tuis saepius litteris admones, ut dignationi tuae crebro aliquid per epistolam scribens aut consolationis aut exhortationis alicuius et qualiacumque sint dicta offeram. Sed quamvis hoc a me exigat laudabile tuae pietatis studium, scito tamen tenuitatis meae insolentem continuo a cautis impingi proterviam, si regalis reverentiae gravitatem aut assiduis aut vilius, ut libet. dictis attingam, et ideo ne aut ego licentia pia invitationis abuterer loquendo aut vestro magis desiderio obsisterem reticendo, libellum hunc nulla sophismatum ostentatione politum sed planitiae purae simplicitatis excerptum capacibus fidenter auribus obtuli recitandum. quem non vestrae specialiter instituo potestati, cui naturalis sapientiae sagacitas praesto est, sed generaliter his conscripsi, quos ministeriis tuis adstantes haec convenit legere, intelligere et tenere. Titulus autem libelli est FORMULA VITAE HONESTAE, quem ideo tali volui vocabulo superscribi, quia non illa ardua et perfecta, quae a paucis et [per]egregiis deicolis patrantur, instituit, sed ea magis commonet, quae et sine divinarum scripturarum praeceptis naturali tantum humanae intelligentiae lege etiam a laicis recte honesteque viventibus valeant adimpleri.

Quatuor virtutum species multorum sapientium sententiis definitae sunt, quibus animus humanus comptus ad honestam vitae possit accedere: harum prima est prudentia, secunda magnanimitas, tertia continentia, quarta iustitia. Singulae igitur his officiis, quae subter annexa sunt, honestum ac bene moratum virum efficiunt.

II. De prudentia.

Quisquis igitur prudentiam sequi desideras, tunc per rationem recte vives, si omnia prius aestimes et perpenses et dignitatem rebus non ex opinione multorum sed ex earum natura constituas. nam scire debes, quod quaedam non videantur bona esse et sunt, quaedam videantur et non sunt. Quaecunque autem ex rebus transitoriis possides, non mireris nec magni aestimes [precii], quod caducum est, nec apud te quae habes, tamquam aliena servabis, sed pro te tamquam tua et dispenses et utaris. Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris, et prout rerum [temporis] varietas exigit, ita te accommodes tempori nec te in aliquibus mutes sed potius aptes, sicut manus, quae [semper] eadem est et cum in palmam extenditur et cum in pugnum astringitur. Prudentis proprium est examinare consilia et non cito facili credulitate ad falsa prolabi. De dubiis non definias sed suspensam tene sententiam. nihil [inexpertum] affirmes, quia non omne, quod verisimile est, statim et verum est, sicut et saepius quod primum incredibile videtur, non continuo falsum est. crebro siquidem faciem mendacii veritas retinet, [et] crebro mendacium specie veritatis occultatur. nam sicut aliquando tristem frontem amicus et blandam adulator ostendit, sic verisimil[itudin]e coloratur [veritas] et ut fallat vel surripiat componitur. Si prudens esse cupis, in futura prospectum intende et quae possunt contingere, animo tuo cuncta propone. nihil tibi subitum sit sed totum ante prospicias. nam qui prudens est, non dicit: „non putavi hoc fieri,“ quia non dubitat sed exspectat, non suspicatur sed cavet. Cuiuscumque facti causam require: cum initia inveneris, exitus cogitabis. Scito in quibusdam te debere perseverare, quia coepisti: quaedam vero nec incipere, in quibus perseverare sit noxium. Prudens fallere non vult, falli non poterit. [Boni est viri etiam

7 in morte neminem fallere.] Opiniones tuae iudicia sint. cogitationes vagas [et inutiles] et velut somnio similes non recipias, quibus si animum tuum oblectaveris, cum omnia disposueris, tristis remanebis. Sed cogitatio tua stabilis sit et certa: sive deliberet sive contempletur sive quaerat, a vero
 8 non recedat. Sermo quoque tuus non sit inanis, sed aut suadeat aut moneat aut consoletur aut praecipiat. Lauda parce, vitupera parcius. nam similiter est reprehensibilis tam nimia laudatio quam immoderata culpa; illa siquidem adulatione, ista malignitate suspecta est. Testimonium veritati, non amicitiae reddas. Cum consideratione promitte, plenius quam
 9 promiseris, praesta. Si prudens est animus tuus, tribus temporibus dispensetur: praesentia ordina, futura praevide, praeterita recordare. nam qui praesentia non ordinat, obliviosus et fatuus appellatur, *qui* nil de praeterito cogitat, perdit vitam, qui nil de futuro praemeditatur, in omnia incautus incidit. Propone autem animo tuo et mala et bona futura, ut illa
 10 sustinere possis, ista moderari. Non semper in actu sis, sed interdum animo tuo requiem dato, sed et requies ipsa sit sapientiae studiis et cogitationibus bonis plena. nam prudens numquam marcet otio. aliquando animum remissum habet, numquam solutum. accelerat tarda, perplexa expedit, dura mollit, [aspera tentat,] ardua exaequat. scit enim, quid qua via aggredi debeat et cito singula ac distincte videt [consilia imperitorum.] ex apertis obscura aestimat, ex parvulis magna,
 11 ex proximis remota, ex partibus tota. Non te moveat dicentis auctoritas, nec quis, sed quid dicat intendito. nec quam multis sed qualibus placeas, cogita. Id sequere, quod potest inveniri, id discere, quod potest sciri, id optare, quod potest optari coram bonis. nec altiori rei te imponas, in qua stanti
 12 tibi tremendum, descendenti cadendum sit. Tunc consilia tibi salutaria advoca, cum tibi alludit vitae prosperitas. tunc te velut in lubrico retinebis ac sistes nec tibi dabis impetus liberos, sed circumspicies, quo eundum sit vel quousque.

III. De magnanimitate.

1 Magnanimitas vero, quae et fortitudo dicitur si insit animo tuo, cum magna fiducia vives, liber, intrepidus, alacer. Magnum bonum humani animi est non tremere, sed con-

stare sibi et finem vitae intrepidum expectare. [Nil aliud magnum in rebus humanis nisi animus magna despiciens.] Si magnanimus fueris, numquam iudicabis contumeliam tibi 2 feri. De inimico dices: non nocuit mihi sed animum nocendi habuit. et cum illum in potestate tua habueris, vindictam putabis potuisse vindicare: scito enim magnum et honestum vindictae genus [esse] ignoscere. Neminem susurro appetas, 3 neminem suffodias: palam aggredere. non geres conflictum nisi indixeris: nam fraudes et doli imbecillum decent. Eris 4 magnanimus, si pericula nec appetas, ut temerarius, nec formides, ut timidus. nam timidum non facit animum nisi reprehensibilis vitae conscientia. [Mensura ergo magnanimitatis est nec timidum esse hominem nec audacem.]

IV. De continentia.

Continentiam vero si diligis, circumcide superflua et in 1 artum desideria tua constringe. Considera tecum, quantum natura poscat, non quantum cupiditas expetat. Si continens 2 fueris, usque eo pervenies, ut te ipso contentus sis. nam qui sibi ipsi satis est, cum divitiis natus est. [Si ad naturam vivas, numquam eris pauper. Si alicui sua non videntur amplissima, si totius mundi dominus sit, miser est. Qui paupertati concordat, dives est. Nulli potest segura vita contingere, qui de re exigua nimis cogitat.] Impone concupiscentiae [tuae] 3 frenum [et modum]; omnia quae sunt blandimento, [quae occulta voluptate animum trahunt,] reice. Ede citra cruditatem, bibe citra ebrietatem observa, ne in convivio vel in qualibet vitae communitate quos non imitaberis, damnare videaris. Nec praesentibus deliciis inhaerebis nec desiderabis 4 absentes. Victus tibi ex facili sit, nec ad voluptatem sed ad cibum accede. palatum tuum fames excitet, non sapor. Desideria tua parvo redime, quia hoc tantum curare debes, ut desinant. atque ita quasi ad exemplar divinum compositus a corpore ad spiritum, quantum potes, festina te adducere. Si continentiae studes, habita non amoene sed salubriter, nec 5 dominum velis esse notum a domo, sed domum a domino. Non tibi affingas quod non eris [nec quod es], nec maius quam es, videri velis. hoc magis observa. ut ne paupertas tibi immunda sit nec [vitae] parsimonia sordida. nec simpli-

- citas [tibi] neglecta nec lenitas [iam] languida. et si res tibi exiguae sint, non sint tamen [animo tuo] angustae. Nec tua defleas nec aliena mireris. Si continentiam diligis, turpia fugito, antequam accedant, nec quemquam alium vereberis plus quam te. Omnia tolerabilia [esse] praeter turpitudinem crede. a verbis quoque turpibus abstineto, quia licentia eorum impudentiam nutrit. Sermones utiles magis quam facetos et affabiles ama, rectos potius quam obscundantes.
- 7 Miscebis interdum seriis iocos sed temperatos et sine detrimento dignitatis ac verecundiae. nam reprehensibilis risus est, si immodicus [sit], si pueriliter effusus, si muliebriter fatuus. odibilem quoque hominem facit risus aut superbus et clarus aut malignus et furtivus, aut alienis malis evocatus.
- 8 Si ergo tempus exigit iocos, hos quoque cum dignitate sapientiae gere, ut te nec gravet[ur] quisquam tamquam asperum nec [te] contemnat tamquam vilem. Non erit tibi scurris sed grata urbanitas. Sales tui sine dente sint, ioci sine vilitate, risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu. Quies non desidia erit tibi et cum ab aliis luditur,
- 9 tu sancti aliquid honestique tractabis. Si continens es, adulationes evita, sitque tibi tam triste, laudari a turpibus quam si lauderis ob turpia. laetior esto, quotiens displices malis et malorum de te pravas existimationes [ad] veram tui laudationem ascribe. Difficillimum opus continentiae est assentationes adulantium [multorum] repellere, quorum sermones animum quadam voluptate resolvunt. Nullius per assentationem amicitiam merearis, nec ad tuam [gratiam] promerendam [per hanc] aliis ad te aditum pandas. Non eris audax, non arrogans. submitte te, non proicies, gravitate servata. Admoneberis libenter, reprehenderis patienter. si merito obiurgaverit te aliquis, scito quia profuit tibi, si immerito, scito quia prodesse voluit. [meliora sunt enim odia diligentis quam fraudulenta oscula odientis.] Non acerba, sed blanda verba
- 12 timebis. Esto vitiorum fugax ipse, alienorum vero neque curiosus scrutator neque acerbus reprehensor, sed sine exprobratione corrector, ita ut admonitionem hilaritate praevenias. et errori veniam facile dato. Nec extollas quemquam neque
- 13 deicias. Dicentium esto tacitus auditor, auditorum promptus

receptor. Requirenti facile responde, contendenti facile cede, ne in iurgia execrationesque [al'. nec ad iniuriarum excitationes] descendas. Si continens es, et animi tui et corporis motus observa, ne indecori sint. nec ideo illos contempnas, quia latent. nam nihil differt, si nemo videat, cum tu ipse videas. Mobilis esto, non levis, constans, non pertinax. Alicuius rei scientiam te habere nec sit ignotum nec molestum. Omnes tibi pares facias: inferiores superbiendo non contempnas, superiores recte vivendo non metuas. In reddenda officiositate neque negligens neque exactor appareas. Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus aequus. Severior esto iudicio quam sermone, vita quam vultu, cultor clementiae, saevitiae detestator, famae bonae neque tuae seminator neque alienae invidus. rumoribus, criminibus, suspicionibus minime credulus, sed malignis potius, qui per speciem simplicitatis ad nocendum aliquibus subrepunt, oppositissimus. ad iram tardus, ad misericordiam pronus, in adversis firmus, in prosperis cautus et humilis, occultator virtutum sicut alii vitiorum, vanae gloriae contemptor et bonorum, quibus praeditus es, non acerbus exactor. Nullius imprudentiam despicias. Rari sermonis ipse, sed loquentium patiens, severus ac serius, sed hilares non aspernans, sapientiae cupidus ac docilis. quae nosti, sine arrogantia postulanti imparties. quae nescis, sine occultatione ignorantiae tibi postula impartiri. [Non conturbabit sapiens mores publicos nec populum in se vitae novitate convertet.]

V. De iustitia.

Iustitia post haec virtus est. Quid est autem iustitia, nisi naturae tacita conventio in adiutorium multorum inventa. [Iustitia est etiam habitus animi communi utilitate servata suam cuique tribuens dignitatem.] Et quid est iustitia nisi nostra constitutio seu divina lex aut vinculum societatis humanae. In hac non est quod aestimemus, quid expediat. expediet enim quicquid illa dictaverit. Quisquis ergo hanc sectari desideras, time prius et ama deum, ut ameris ab eo. amabis enim deum, si illum in hoc imitaberis, ut velis omnibus prodesse, nulli nocere et tunc te virum iustum appellabunt omnes, sequentur [te], venerabuntur et diligent. Iustus

enim ut sis, non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis. nam nihil nocere non est iustitia, sed abstinentia alieni est. Ab his ergo incipe, ut non auferas. et ad maiora provehere, ut etiam ab aliis ablata restituas; raptoresque
 4 ipsos ne aliis timendi sint, castiga et cohibe. Ex nulla vocis ambiguitate controversiam nectes, sed qualitatem animi speculari. Nihil tibi intersit, adfirmes, an iures: de religione et fide scias agi ubicumque de veritate tractatur. nam etsi in iureiurando deus non invocetur — etiam non invocantis testis est, — tamen non transies veritatem, ne iustitiae
 5 transeas legem. Quod si aliquando coarcteris uti mendacio, utere non ad falsi fructum sed ad veri custodiam. et si contigerit fidelitatem mendacio redimi, non mentieris, sed potius excusabis, quia ubi honesta causa est, iustus secreta non
 6 prodit. tacenda enim tacet, loquenda loquitur; atque ita illi pax est aperta et secunda tranquillitas. Haec ergo si studere curaveris, laetus et intrepidus cursus tui finem exspectans prospicies [haec] tristitia huius mundi hilaris, tumultuosa quietus, extrema securus.

VI. [De moderanda prudentia.]

1 His ergo institutionibus hae quatuor virtutum species perfectum te facient virum, si mensuram reclusionis earum aequo
 2 vivendi fine servaveris. Nam prudentia si terminos suos excedat, callidus ac pavendi acuminis eris, investigator latentium et scrutator qualiumcunque nostrarum ostenderis. notaberis minutus, suspiciosus [et contemptus], attentus, semper aliquid timens, [semper aliquid dubitans,] semper aliquid quaerens, semper aliquid convincens, et qui subtilissimas suspiciones tuas ad reprehensionem alicuius impingas ad-
 3 missi. [al. ad animi tui apprehensionem impingas.] monstraberis digito astu plenus, versipellis et simplicitatis inimicus, commendatorque culparum, et postremo uno nomine vocaberis a cunctis malus homo. In has ergo maculas immensurata prudentia [te] perducet. Quicumque in illa mediocri lance persistit, nec obtusum in se aliquid habet nec versutum.

VII. [De moderanda magnanimitate.]

1 Magnanimitas autem si se extra modum suum extollat,

faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum et in quascunque extollentias dictorum et actorum neglecta honestate festinum, qui momentis omnibus supercilia surrigens ut bestiarius, etiam quietam excitat: alium ferit, alium fugat. Sed quamvis audax sit impugnator, tamen multa extra se valentia ferre non poterit, sed aut miserum appetit finem aut aerumnosam sui memoriam derelinquit. Mensura ergo magnanimitatis est nec timidum esse hominem nec audacem.

VIII. [De moderanda continentia.]

Continentia deinde his terminis se astringat: cave ne parcus sis nec suspiciose et timide manum contrahas nec in minimis quoque *calculus* ponas. nam talis et tam circumcisa putrebit integritas. Hac ergo mediocritatis linea continentiam observabis, ut nec voluptati deditus, prodigus aut luxuriosus appareas, nec avara tenacitate sordidus aut obscurus existas.

IX. [De moderanda iustitia.]

Iustitia postremo eo mediocritatis tenore tibi regenda est, ne ductu iugiter levi immotam semper animi rationem negligentia subsequatur, dum nec de magnis neque de minimis errantium vitiis corrigendi curam geris, sed licentiam peccandi aut alludentibus tibi blande aut illudentibus proterve permittis; neque rursus nimiae rigiditatis asperitate nihil veniae aut benignitatis reservans humanae societati dirus appareas. Ita ergo iustitiae regula tenenda est, ut reverentia disciplinae eius neque nimia negligentiae communitate despecta vilescat neque saeviori atrocitate durata gratiam humanae amabilitatis amittat.

X. [Conclusio.]

Si quis ergo vitam suam ad utilitatem non tantum propriam sed et multorum inculpabiliter ascisci desiderat, hanc praedictarum virtutum formulam pro qualitatibus temporum, locorum, personarum atque causarum eo mediocritatis tramite teneat, ut in quodam velut meditullio summitatis assistens quasi per abrupta altrinsecus praecipitia aut ruentem compos ipse devitet insaniam aut deficientem contemnat ignaviam.

**EPISTOLAE SENECAE, NERONIS IMPERATORIS MAGISTRI,
AD PAULUM APOSTOLUM ET PAULI APOSTOLI AD
SENECAM.**

S. HIERONYMUS DE SENECA IN CATALOGO SANCTORUM.

Lucius Annaeus Seneca Cordubensis, Sotionis stoici discipulus et patruus Lucani poetae, continentissimae vitae fuit, quem non ponerem in catalogo sanctorum, nisi me epistolae illae provocarent, quae leguntur a plurimis, Pauli ad Senecam et Senecae ad Paulum. in quibus, cum esset Neronis magister et illius temporis potentissimus, optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium quam Petrus et Paulus martyrio coronarentur, a Nerone interfectus est.

EPISTOLA I.

SENECA PAULO SALUTEM.

Credo tibi, Paule, nunciatum esse, quod heri [de te] cum Lucilio nostro de apocryphis et aliis rebus sermonem habuerimus. erant enim quidam disciplinarum tuarum comites mecum nam in hortos Salustianos secesseramus, quo loco occasione nostra alio tendentes hi, de quibus dixi, visis nobis adiuncti sunt. certe quod tui praesentiam optavimus, et hoc scias volo: libello tuo lecto, id est de plurimis aliquas litteras quas ad aliquam civitatem seu caput provinciae direxisti, mira exhortatione vitam moralem continentes, usque refecti sumus. Quos sensus non puto ex te dictos sed per te, certe aliquando ex te et per te: tanta enim maiestas earum est rerum tantaque generositate calens, ut vix suffecturas putem aetates hominum, quibus institui perficique possint. Bene te valere, frater, cupio.

EPISTOLA II.

SENECAE PAULUS SALUTEM.

Litteras tuas hilaris heri accepi, ad quas rescribere statim potui, si praesentiam iuvenis, quem ad te eram missurus, habuissem. scis enim, quando et per quem et quo tempore et cui quid dari committique debeat. Rogo ergo, non putes [te] neglectum, dum personae qualitatem respicio. Sed quod litteris meis vos bene acceptos alicubi scribis, felicem me arbitror tanti viri iudicio. neque enim hoc diceres, censor, sophista, magister tanti principis et iam omnium, nisi quia vere dicis. Opto te diu bene valere.

EPISTOLA III.

SENECA PAULO SALUTEM.

Quaedam volumina ordinavi et divisionibus suis statim eis dedi. ea quoque Caesari legere sum destinatus. Si modo sors prospere annuerit, ut novas afferat aures, eris forsitan et tu praesens: sin, alias reddam tibi diem, ut hoc opus invicem inspiciamus. et possem non prius edere ei eam scripturam, nisi prius tecum conferam, si modo [etiam] impune hoc fieri potuisset, ut scires non te praeteriri. Vale.

EPISTOLA IV.

PAULUS SENECAE SALUTEM.

Quotiescunque litteras tuas audio, praesentiam tui cogito nec aliud existimo quam omni tempore te nobiscum esse. Cum primum itaque venire coeperis, invicem nos et de proximo videbimus. Bene te valere opto.

EPISTOLA V.

SENECA PAULO SALUTEM.

Nimio tuo secessu angimur. Quid est? vel quae res te remo[ra]tum faciunt? si indignatio dominae, quod a ritu et secta veteri recesseris et alios rursum converteris, erit postulandi locus, ut ratione factum, non levitate hoc existimetur.

EPISTOLA VI.

SENECAE ET LUCILIO PAULUS SALUTEM.

De his, quae mihi scripsistis, non licet arundine et atramento eloqui, quarum altera res notat et designat aliquid, altera evidenter ostendit, praecipue cum sciam inter vos esse, hoc est apud vos et in vobis, qui me intelligant. Honor omnibus habendus est et tanto magis, quanto indignandi occasionem captant. quibus si patientiam demus, omni modo eoe ex quaqua parte vincemus, si modo hi sunt, qui poenitentiam sui gerant Bene valete.

EPISTOLA VII.

ANNAEUS SENECA PAULO ET THEOPHILO SALUTEM.

Profiteor bene me acceptum lectione litterarum tuarum, quas Galatis, Corinthiis, Achaeis misisti, et ita invicem vivamus, ut etiam cum horrore divino esse exhibes. spiritus enim sanctus in te et super te excelsus sublimiores sanctis venerabiles sensus exprimit. Vellem itaque, cures et cetera, ut maiestati earum cultus sermonis non desit. Et ne quid tibi, frater, surripiam aut conscientiae meae debeam, confiteor Augustum sensibus tuis motum. cui lecto virtutis in te exordio ista vox fuit: mirari eum posse, ut qui non legitime imbutus sit, taliter sentiat. Cui ego respondi, solere deos ore innocentium effari, haud eorum, qui praevaricare doctrina sua quid possint. et dato ei exemplo Vatiensium hominis rusticuli, cui viri duo apparuissent in agro Reatino, qui postea Castor et Pollux sunt nominati, satis instructus videtur. Vale.

EPISTOLA VIII.

PAULUS SENECAE SALUTEM.

Licet non ignorem Caesarem nostrarum rerum admiratorem, si quando deficiet amatorem esse, permittes tamen te non laedi sed admoneri: puto enim te graviter fecisse, quod ei in notitiam perferre voluisti id, quod ritui et disciplinae eius sit contrarium. cum enim ille gentium deos colat, quid tibi visum sit, ut hoc scire cum velles, non video, nisi nimio amore meo facere te hoc existimo. Rogo de futuro, ne id agas. cavendum est enim, ne dum me diligis, offensum do-

minae facias, cuius quidem offensa neque oberit, si perseveraverit, neque, si non sit, proderit: si est regina, non indignabitur, si mulier est, offendetur. Bene vale.

EPISTOLA IX.

SENECA PAULO SALUTEM.

Scio te non tam tui causa commotum litteris, quas ad te de editione epistolarum tuarum Caesari feci, quam natura [ipsarum] rerum, quae ita mentes hominum ab omnibus artibus et moribus rectis revocat, ut non hodie admirer, quippe [ut] qui multis documentis hoc iam notissimum habeam. Igitur nove agamus, et si quid facile in praeteritum factum est, veniam irrogabis. Misi tibi librum de verborum copia. Vale Paule carissime.

EPISTOLA X.

SENECAE PAULUS SALUTEM.

Quotienscunque tibi scribo et nomen meum tibi subsequendo, gravem et sectae meae incongruentem rem facio. debeo enim, ut saepe professus sum, cum omnibus omnia esse et id observare in tua persona, quod lex Romana honori senatus concessit, perlecta epistola ultimum locum eligere, ne cum aporia et dedecore cupiam [illud] efficere, quod mei arbitrii fuerit. Vale, devotissime magister. Data quinto Calendarum Iulii Nerone IV et Messala consulibus.

EPISTOLA XI.

SENECA PAULO SALUTEM.

Ave mi Paule carissime. Si mihi nominique meo vir tantus et dilectus omnibus modis non dico fueris iunctus sed necessario mixtus, optime actum erit de Seneca tuo. Cum sis igitur vertex et altissimorum omnium montium cacumen, non ego vis laeter, si ita sim tibi proximus, ut alter similis tui deputer? Haud itaque te indignum prima facie epistolarum nominandum censeas, ne tam temptare me quam ludere videaris, quippe cum scias civem esse te Romanum. [uti]nam qui meus, tuus apud te locus, qui tuus, velim ut meus. Vale mi Paule carissime. Data X. Cal. April. Aproniano et Capitone consulibus.

EPISTOLA XII.

SENECA PAULO SALUTEM.

Ave mi Paule carissime. Putasne me haud contristari et non luctuosum esse, quod de innocentia vestra subinde supplicium sumatur? dehinc quod tam duros tamque obnoxios vos reatui omnis populus iudicet, putans a vobis effici, quidquid in urbe contrarium fit? Feramus aequo animo et utamur foro, quod sors concessit, donec invicta felicitas finem malis imponat. Tulit et priscorum aetas Macedonem Philippi filium et post Darium Dionysium. nostra quoque Gaium Caesarem, quibus quicquid libuit, licuit. Incendium urbs Romana manifeste saepe unde patiatur, constat. sed si effari humilitas potuisset humana, quid causae sit, et impune in his tenebris loqui liceret, iam omnes omnia viderent. Christiani et Iudaei quasi machinatores incendii affecti supplicio uri solent. Grasator iste, quisquis est, cui voluptas carnificina est et mendacium velamentum, tempori suo destinatus est. ut optimus quisque unum pro multis donatum est caput, ita et hic devotus pro omnibus igni cremabitur. Centum triginta duae domus, insulae quatuor [in] sex diebus arsere, septimus pausam dedit. Bene te valere frater opto. Data quinto Cal. April. Frugi et Basso consulibus.

EPISTOLA XIII.

SENECA PAULO SALUTEM.

[Ave mi Paule carissime.] Allegorice et aenigmaticae multa a te usquequaque opera concluduntur et ideo rerum tanta vis et muneris tibi tributa non ornamento verborum sed cultu quodam decoranda est. Nec vereare, quod saepius te dixisse retineo, multos, qui talia affectent, sensus corrumpere, virtutes rerum evirare. Ceterum mihi concedas velim latinitati morem gerere, honestis vocibus speciem adhibere, ut generosi muneris concessio digne a te possit expediri. Bene vale. Data V. Non. Iul. Leone et Sabino consulibus.

EPISTOLA XIV.

PAULUS SENECAE SALUTEM.

Perpendenti tibi ea sunt revelata, quae paucis divinitas concessit. Certus igitur ego in agro iam fertili semen fortissi-

mum sero, non quidem materiam, quæ corrumpi videtur, sed verbum stabile, dei derivamentum crescentis et manentis in aeternum. Quod prudentia tua assecuta [est], indeficiens fore debet, ethnicorum Israelitarumque observationes censere vitandas. Novum te auctorem feceris Iesu Christi praeconiis ostendendo rhetoricis irreprehensibilem sophiam, quam prope modum adeptus regi temporali eiusque domesticis atque fideis amicis insinuabis quibus aspera et incapabilis erit persuasio, cum plerique illorum minime flectantur insinuationibus tuis. quibus vitale commodum sermo dei instillatus, novum hominem sine corruptela perpetuamque animam parit ad deum istinc properantem. Vale Seneca carissime nobis. Data Cal. Augusti Leone et Sabino consulibus.

EPITAPHIUM SENECAE.

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores,
ite, alias post hanc sollicitate animas!
me procul a vobis deus evocat: illicet actis
rebus terrenis hospita terra vale!
corpus avara tamen solemnibus accipe saxis,
namque animam coelo reddimus, ossa tibi.

L. ANNAEI SENECAE

LIBRORUM ORDO ET SIGNA.

Volumine primo continentur

(Dial.) Dialogorum libri XII.	
I. Quare aliqua incommoda bonis viris accidant cum providentia sit (de providentia)	3
II. Nec iniuriam nec contumeliam accipere sapientem (de constantia sapientis)	17
III. IV. V. De ira libri tres	35
VI. Ad Marciam de consolatione	111
VII. De vita beata	139
VIII. De otio	164
IX. De tranquillitate animi	171
X. De brevitae vitae	197
XI. Ad Polybium de consolatione	218
XII. Ad Helviam matrem de consolatione	237
(Epigr.) Epigrammata super exilio	261
(Lud.) Ludus de morte Claudii	264
(Cl.) De clementia libri duo	276

Volumine altero continentur

(B.) De beneficiis libri septem	1
(NQ.) Naturalium quaestionum libri septem	157

Volumine tertio continentur

(Ep.) Epistularum moralium libri viginti	1
(Fr.) De amissis libris testimonia veterum et fragmenta ex iis servata	418
(Rem.) De remediis fortuitorum liber	446

Excerpta et supposita:

De paupertate	458
De moribus	462
Martini Dumiensis de formula honestae vitae liber	468
Epistolae Senecae ad Paulum apostolum et Pauli ad Senecam	476
Epitaphium Senecae	482

INDEX RERUM MEMORABILIUM.

A.

Ἄβρατος petra in Nilo. NQ. IV, 2, 7.
 abdomini servire. B. VII, 26, 4.
 abnoctare. Dial. VII, 26, 6.
 absolutum intra se. Ep. 113, 5. 10.
 abstinentia finire vitam. Ep. 70, 9. 77, 9.
 quorum abstinentiam interrumpi, modum
 servo. Ep. 108, 16.
 Academia. B. VI, 11, 1.
 Academici. Ep. 29, 11. 88, 5. 44. veteres.
 Ep. 71, 18. et veteres et minores
 nullum antistitem reliquerunt. NQ. VII,
 32, 2.
 accessio morbi. Dial. V, 3, 4. 33, 3. B.
 II, 14, 3. NQ. VI, 18, 6. Ep. 85, 12.
 accidere et contingere. Ep. 110, 3. acci-
 dens. Ep. 117, 3. 10.
 accipiter. Dial. IV, 16, 1. Ep. 121, 19.
 Accius. Ep. 58, 5. citatur non nominatim
 Ep. 80, 7. 8. item illud: *oderint, dum
 metuant* Dial. III, 20, 4. Cl. I, 12, 4.
 II, 2, 2.
 accusare. Dial. X, 17, 5.
 accusatores. Dial. VI, 22, 7. 8. Cl. I, 6, 2.
 acervatio et nexus. NQ. II, 2, 3.
 acetabula praestigatorum. Ep. 45. 8.
 acetum. NQ. III, 21, 2.
 Achaei. B. V, 16, 6.
 Achaia. NQ. III, 26, 5. VI, 1, 13. 15. 8.
 2. VII, 28, 3. Ep. 91, 9. 10. 104, 1.
 Achaiae civitates in Ponticis litoribus.
 Dial. XII, 7, 1.
 Achaicum bellum. NQ. VII, 15, 1.
 Acherusius lacus. Ep. 55, 6.
 Achilles. Dial. IV, 2, 3.
 Achilles. Dial. IX, 2, 12. B. IV, 27, 2.
 Ep. 27, 5. 88, 6.
 Achivi. Ep. 27, 5.
 Acilius Buta. Ep. 122, 10—13.
 (Acilius Aviola cos. Lud. 1, 1.)
 Actiacum mare. Cl. I, 11, 1.
 actio non datur. B. III, 6, 1. IV, 39, 4.
 Dial. IV, 29, 3. actio ex conducto et
 locato. B. III, 7, 1. actioni honestae
 semper locus. Dial. IX, 4, 8. actiones
 inhibendae, ubi nullum officium sol-
 lemne nos citat. Dial. IX, 13, 1. actio
 unuscuusque dicenti similis est. Ep.
 114, 2

acta maiorum. Dial. VI, 1, 3. Caesaris
 Augusti. Dial. V, 23, 6. beneficium non
 in acta mittere. B. II, 10, 4.
 Actoria Paula, M. Catonis Censorii uxor.
 Fr. 65.
 acturarius. Ep. 33, 9.
 acumen exercere. Ep. 109, 17.
 adamare et amare. Ep. 71, 5.
 adamas. Dial. II, 3, 5.
 adclamationis secundae favor magna sol-
 licitudine et partus et expiandus. Ep.
 59, 15.
 addictus. B. III, 8, 2.
 adesse sibi nemo dicitur. B. V, 8, 2.
 adfectus quid sit. Dial. IV, 3, 1. corpus
 videtur Stoicis. Ep. 106, 5. principia
 proludentia adfectibus. Dial. IV, 2, 5.
 V, 10, 2 sqq. muta animalia iis carent.
 Dial. III, 3, 6. quemadmodum incipiant
 aut crescant aut efferantur. Dial. IV,
 4, 1. non sunt sine voluntate. ib. c.
 2—4. adfectus omnis cedit irae. Dial.
 IV, 36, 6. interpellat iudicium. B. II, 14,
 1. cito rebellat. Ep. 69, 4. nullus ser-
 vit. Dial. XII, 17, 1. Ep. 85, 8. adfectus
 tam mali ministri quam duces sunt.
 Dial. III, 9, 4. honestis adfectibus in-
 dulgendum est. Ep. 104, 3. nulli sunt
 tam feri et sui iuris adfectus, ut non
 disciplina permittuntur. Dial. IV, 12,
 3. utrum satius sit modicos habere ad-
 fectus an nullos. Ep. 116. Peripatetici
 temperatos probant, Stoici nullos. Ep.
 85, 3 sqq. 116. intransitibus resistamus,
 quia facilius non recipiuntur quam ex-
 eunt. Ep. 116, 3. quomodo differant a
 morbis animi. Ep. 75, 10—12. 85, 10.
 carmina poetarum adfectibus nostris fa-
 cem subdunt. Ep. 115, 12.
 adflare. NQ. II, 40, 4. 53, 2.
ἀδιάφορα. Ep. 82, 10.
 aditialis coeua. Ep. 95, 41. 123, 4.
 aditus aedium obscuri. Dial. X, 14, 4.
 adlocutio. Dial. VI, 1, 6. XII, 1, 3.
 adloqui. Dial. XI, 14, 2. Ep. 98, 9.
 adludere sapientiae. Ep. 72, 10.
 admiracula arborum. Cl. II, 7, 4.
 admiratio auri argentique unde orta. Ep.
 115, 11 sqq.
 admissarius. NQ. I, 16, 2

- admissiones primae et secundae. B. VI, 33, 4. admissionis primae cohors. Cl. I, 10, 1.
- admonere verberibus. Cl. I, 14, 1.
- admonitio quid sit. Ep. 94, 25. 32. 33. 36. 44. inter amicos res bella. B. VII, 25, 1.
- adoptare in nomen et in bona. Dial. X, 15, 3.
- adoptio. Dial. VI, 13, 3. 15, 2.
- adoptivus pater. B. III, 32, 5.
- Adria. NQ. III, 29, 7. Ep. 89, 20.
- adridere ridentibus. Dial. IV, 2, 5. Cl. II, 6, 4.
- adrosor, adrisor, derisor. Ep. 27, 7.
- adrosio quid sit. Ep. 113, 18.
- adsertator. B. V, 7, 4.
- adessor praetoris. Dial. IX, 3, 4.
- adsurgere magnis nominibus. Ep. 64, 10.
- adterranea fulmina. NQ. II, 49, 2.
- adtestata fulmina. NQ. II, 49, 2.
- adtoniti qui proprie dicantur. NQ. II, 27, 3. verens atque adtonitus. Ep. 115, 4.
- adventicium, periturum. Ep. 42, 9. fragilibus innititur, qui adventicio laetus est. Ep. 98, 1. cf. Dial. II, 5, 7. VI, 10, 1. B. IV, 22, 4. adventicia vitia. Dial. V, 18, 1.
- adulatio. Dial. IX, 1, 16. Ep. 59, 11. pro sua quemque portione infatuat. ib. 13.
- adulatores. NQ. IV, praef. 3. eorum sermo diutius haeret quam auditur. Ep. 123, 9.
- adulescentia. Dial. V, 25, 2. Ep. 9, 7. 78, 1, 50, 3.
- adulter. B. VII, 9, 5. Dial. II, 7, 4. Ep. 94, 26. Fr. 51. incendent libidines tuas adulterorum sodalitia. Ep. 104, 20.
- adultera. B. II, 14, 4. III, 28, 4. VI, 32, 1. VII, 19, 3. Ep. 51, 12.
- adulterina bona. Ep. 71, 4.
- adulterium. B. I, 9, 4. 10, 2. III, 16, 3. Ep. 29, 5. 87, 23. 97, 3 sqq. lex de adulteriis. B. VI, 32, 1.
- advocare. Dial. X, 2, 4. 7, 7. Cl. I, 9, 10. B. IV, 18, 3.
- advocatio. Dial. III, 18, 1. V, 9, 3. 12, 4. VI, 10, 4. IX, 4, 3. Lud. 14, 2. B. IV, 35, 2.
- advocatus. Lud. 14, 2. Dial. IV, 7, 3. XII, 12, 7. Cl. I, 9, 7. Ep. 94, 28. 52. 59. 53, 9. 109, 14.
- Aeacus. Lud. 14, 1. 2. 4. 15, 2.
- Aebutus. vid. *Liberatis*.
- aedificare luxuriose. Ep. 20, 3. multa, ingentia. 89, 21.
- aedificium putre. Ep. 30, 2. 58, 35. aedificia. 52, 5. Dial. IX, 3, 7. mota. NQ. VI, 30, 4. crepant, antequam corruant. Ep. 103, 2. privata, laxitatem urbium magnarum vincentia. B. VII, 10, 5.
- aedilis. Dial. VII, 7, 3. Ep. 86, 10.
- Aegaeum (Aegeum) mare. NQ. II, 26, 4. VI, c. 21. Ep. 89, 20.
- aeger simulatus. Dial. X, 7, 7. temperans. Ep. 78, 20. intemperans. Dial. II, 13, 2. Ep. 65, 1. aegri rabies ferenda. Dial. V, 26, 1. aegri sunt iracundi. Dial. III, 13, 5. IV, 19, 4. proprium aegri est nihil diu pati et mutationibus ut remediis uti. Dial. IX, 2, 12.
- Aegialus diligentissimus pater familiae docuit Senecam quamvis vetus arbutum posse transferri. Ep. 86, 14—21.
- Aegium. NQ. VI, 25, 4.
- Aegle. B. I, 3, 6.
- Aegyptius miles. Dial. VI, 14, 2. carnifex Pompeji. Dial. VI, 20, 4. Aegyptii. Fr. 12. quatuor elementa fecerunt. NQ. III, 12, 2. Aegyptiis fuit coeli cura. NQ. VII, 3, 2. 3. Aegyptium littus. NQ. IV, 2, 23. Aegyptiae arenae. Ep. 115, 8. Aegyptia sacra. Fr. 35.
- Aegyptus. Dial. X, 4, 5. XII, 9, 8. NQ. I. prol. 8. IV, 2, 1. 2. 7. 8. 10. 13. 25. 30. VI, 26, 1. 2. 3. VII, 3, 2. Ep. 71, 9. Fr. 12. loquax et in contumelias praefactorum ingeniosa provincia. Dial. XII, 19, 6.
- Aemilianus. vid. *Scipio*.
- Aeneas. B. III, 37, 1. VI, 36, 1. de Aeneae matre vera quaesivit Didymus. Ep. 88, 37.
- aeneatores. Lud. 12, 1. Ep. 84, 10.
- aequanimitas. Ep. 91, 18. (49, 10.)
- aequilibrium. NQ. III, 25, 6.
- aequinoctialis aestus. NQ. III, 28, 6. circulus. ib. V, 17, 2. VII, 15, 2. ortus occasusque. V, 16, 3. 4. 5.
- aequinoctium. NQ. III, 16, 3. IV, 2, 1. V, 16, 3. VII, 28, 1. autumnale. ib. I, 8, 6.
- aër. vid. NQ. lib. V. aer est et pars et materia mundi. NQ. II, 6, 1. non ex atomis constat. ib. §. 2. non habet admixtum inane. c. 7. solido quoque inest. c. 9. 4. natura frigidus et obscurus. c. 10. ima sui parte maxime varius et inconstans. c. 11, 1. verbere atque ictu non laeditur. Ep. 57, 8. semper fluit et mutatur. NQ. VII, 22, 1. gignit humorem. NQ. III, 10, 1. 4. 15, 7. eo crassior est, quo terris propior. NQ. VII, 22, 2. aer densus, non qui fluit, in aliquam faciem fingi potest. NQ. I, 2, 4. 6. 7. 11. dies et nox aëris infimi vices sunt. Ep. 102, 28. aer corruptus. NQ. VI, 27, 2. extenuatus accenditur. II, 57, 1. 2.
- aerarium. Dial. XII, 12, 6. Rem. 10, 3.
- aeratae (naves). B. VII, 20, 3.
- aes paucorum insania pretiosum. Dial. XII, 11, 3. aes grave. Dial. XII, 12, 6. NQ. I, 17, 8. minutum. Dial. II, 12, 2.

- aere collato funeratus. Dial. XII, 12, 5.
 aes alienum. Dial. XII, 10, 9. B. II, 7,
 2. 8, 1. V, 14, 4. Ep. 119, 1. Rem. 2,
 4. profiteri. B. VI, 19, 5.
 Aeschines, pauper auditor Socratis. B. I,
 8, 1. 2. 9, 1.
 Aeschylus. NQ. IV, 2, 17.
 Aesopet logi. Dial. XI, 8, 3. [31, 4.
 aestimatio sui nimia. B. VII, 26, 4. VI,
 aestus. B. I, 10, 1. NQ. III, 28, 3. 30, 2.
 quibusdam locis per centena milia ex-
 currit innoxius. NQ. III, 28, 6.
 aetas cursum suum nec revocat nec sup-
 primit. Dial. X, 8, 5. quod aetatem voca-
 mus humanam, — exiguum. Ep. 99,
 10. aetatem disponere stultum est ne
 crastini quidem dominum. Ep. 101, 4.
 aetas devexa iam, non tamen praecipit
 est incundissima. Ep. 12, 5. in aetate
 nostra quod est optimum, in primo est.
 Ep. 108, 26. aetas emendabilis Cl. II, 7, 2.
 altius praecipit descendunt, quae ten-
 deris imprimuntur aetatibus. Dial. XII,
 18, 8. aetas iam dura et intractabilis.
 Ep. 25, 1. omnis aetatis homines haec
 schola admittit. Ep. 76, 2. bona aetas.
 Ep. 47, 12. 76, 1. virtutes id agunt. ut
 non in unam aetatem prosint. B. IV,
 30, 3. aetas nulla vacavit a culpa. Ep.
 97, 1.
 aeternitas rerum contrariis constat. Ep.
 107, 8. animarum. 102, 2. 117, 6. aeter-
 nitatem qui mente concepit, nullis ad
 timorem minis agitur. 102, 29.
 aether. NQ. II, 10, 1. 12, 3. 13, 3. 4. 14,
 1. 2. c. 19. III, 28, 4. VI, 16, 2. tenuis
 in vicinia stellarum. NQ. I, 2, 4.
 Aethiopia. NQ. IV, 2, 1. 4. 17. 18. V,
 18, 2. VI, 8, 3. Aethiopiae siccae soli-
 tudines. NQ. III, 6, 2.
 Aethiops minimus elephantem regit. Ep.
 85, 41. Aethiopsis color. Dial. V, 26, 3.
 Aethiopes. NQ. I, prol. 8. Macrobiotae.
 Dial. V, 20, 2.
 Aetna. B. III, 37, 2. VI, 36, 1. NQ. II,
 30, 1. Ep. 51, 1. 79, 2. 4. 5. 7. 10.
 aevum omne sapientibus adquisitum est.
 Dial. X, 14, 1.
 Africa. Dial. III, 11. 6. IX, 11, 12. XII,
 7. 2. 9, 8. 12, 5. NQ. III, 6, 2. V, 18,
 2. VI, 30, 3. Ep. 24, 9. 10. 71, 9. 10.
 82, 24. 94, 65. 66. 104, 33. 115, 8.
 Africus, ventus. NQ. V, 16, 5.
 Agamemnon. Ep. 66, 26.
 Agatho. Lud. 12, 2.
 ager uni domino, qui populum cepit, an-
 gustus est. Ep. 89, 20. agros agris ad-
 cere. 90, 39. tantum suburbanis agri pos-
 sidet, quantum invidiose in desertis Apu-
 liae possideret. Ep. 87, 7. agris fertilibus
 non est imperandum. Dial. IX, 17, 5.
 agere iniuriarum. B. V, 8, 4.
 aggerem arcibus aequum attollere. Ep.
 94, 61.
 agitatione virtutum opus est sapienti. Ep.
 109, 2.
 agitadores. Ep. 30, 13.
 agmen quadratum. Ep. 59, 7. agmine fa-
 cto. Lud. 13. 5. Ep. 104, 19.
 agnae niveae capite non exorantur fata
 NQ. II, c. 36.
 agnum immolare pro avertenda grandine.
 NQ. IV, 6, 2. 3.
 agricola. B. VI, 38, 3. NQ. IV, 2, 9. V,
 18, 3. Ep. 9, 7. 34, 1. 109, 8. agricolae
 boni. Cl. II, 7, 4. B. VII, c. 32.
 De agricultura vid. B. II, 11, 4. 28, 3.
 IV, 9, 2. 14, 2. VI, 4, 4. 12, 2. NQ.
 V, 18, 3. 13. Ep. 12, 2. 39, 4. 81, 1.
 86, 5. 14—21. 90, 21. Cl. II, 7, 4.
 Agrippa vid. *Meneuius*.
 Agrippa, M. Vipsanius, ignoto patre na-
 tus. B. III, 32, 4. Augusti amicus. B.
 VI, 32, 2—4. Attici gener. Ep. 21, 4.
 solus ex iis, quos civilia bella claros
 potentesque fecerunt, in publicum fe-
 lix. Ep. 94, 46.
 (Agrippina. Lud. II, 3.)
 Ajax. Dial. IV, 36, 5.
 alas vellere. Ep. 56, 2. 114, 14.
 Albanum Caligulae. Dial. XI, 17, 4. Se-
 necae. Ep. 123, 1.
 Albinovanus. vid. *Pedo*.
 Albulae. NQ. III, 20, 4.
 album (iudicium). B. III, 7, 7. ad album
 sedentes. Ep. 48, 10. si ad nostrum al-
 bum verba dirigimus. Ep. 59, 2.
 (Alcestis), quae se pro viro vicariam
 dedit, carminibus omnium nobilitatur.
 Dial. XII, 19, 5.
 Alcibiades. Dial. VII, 27, 5. B. I, 8, 2.
 alea. Dial. XI, 17, 4. Lud. 14, 4. 15, 1.
 B. VII, 16, 3. in damnum certior. Ep.
 99, 12. aleam subire. Ep. 117, 20. adire.
 B. III, 11, 1. magnam adibat aleam po-
 pulus Rom. Cl. I, 1, 7. magnae rei aleam
 exigua mercede redimere. Ep. 58, 34.
 Alexander Macedo, nepos Antigoni. Dial.
 V, 23 1. Aristotelis alumnus. ib. 17, 1.
 civis Corinthus factus. B. I, 13, 1. cum
 Diogene comparatur. B. V, 4, 4. 6, 1.
 Xenophanto caecente manum ad arma
 misit. Dial. IV, 2, 6. intravit muros
 Babylonios. Dial. II, 6, 8. a pueritia
 latro gentiumque vastator, tam hostium
 pernicies quam amicorum. B. I, 13, 3.
 Clitum carissimum sibi et una educa-
 tum inter epulas transfodit manu sua,
 Lysimachum aequae familiarem sibi le-
 oni obiecit. Dial. V, 17, 1. 2. 23, 1. Ep.
 83, 19. eius aeternum crimen Callisthe-
 nes occisus. NQ. VI, 23, 2. 3. Hercules
 Liberique vestigia sequens, ne ibi quid-
 dem restitit, ubi illa defecerant. B. I,

